INSTITUTIONES

THEOLOGIÆ MORALIS

SPECIALIS.

BRUXELLES. — IMPRIMERIE A. VROMANT.

INSTITUTIONES
THEOLOGIÆ MORALIS
SPECIALIS.

TRACTATUS
DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS

AUCTORE

THOMA BOUQUILLON,

S. THEOL. DOCT. ET PROF.



BRUGIS

BEYAERT-STORIE, EDITOR

RATISBONÆ	PARISIIS	LONDINI	BUSCODUCI
apud Pustet.	apud P. Lethielleux	Burns & Oates	apud W. Van Gulick
	4, *via Cassette.*	*Paternoster Row.*	& » Mosmans.

1878

(TOUS DROITS RÉSERVÉS.)

4975

JOANNI. JOSEPHO. FAICT

PRÆSVLI. VIGILANTISSIMO

BRVGENSEM. ECCLESIAM

IN. FIDE. ET. CHARITATE

FELICITER. REGENTI

HANC TRACTATIONEM

DE. FIDE. SPE. ET. CHARITATE

D. D. D.

THOMAS. JOSEPHVS. BOVQVILLON

SACERDOS. BRVGENSIS

SVORVM. STVDIORVM

HORTATORI. FAVTORI, AVCTORI.

IMPRIMATUR

Brugis, 16 *Julii* 1877.

J. J. EPISC. BRUGEN.

PRÆFATIO

In hoc tractatu de virtutibus theologicis, quæstiones dogmaticas a moralibus avellere noluimus. Arbitramur enim hujusmodi separationem partis theoreticæ a parte practica, quam Majores nostri ignorarunt, parum conferre ad distinctam rerum intelligentiam, plurimum vero nocere veræ scientiæ morum. Inde enim necessario contingit ut ethicæ christianæ expositio integra suisque numeris absoluta non amplius habeatur, imo ut in ea aliquando vix attingantur prima et fundamentalia vitæ supernaturalis principia.

Porro pro viribus curam adhibuimus ut veritates præcipuas ex Scripturis, Patribus et Conciliis solide demonstraremus, simulque illustraremus commentariis Scholasticorum, ac tandem cum Moralistis earum applicationem faceremus ad casus frequentius contingentes. Nam hæc omnia complecti debent theologiæ *Institutiones*, quibus scilicet sacerdos instructus non solum possit peccata discernere, sed etiam valeat virtutis excellentiam prædicare et eos, qui contradicunt, arguere.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

INTRODUCTIO.

IDEA VIRTUTUM THEOLOGICARUM.

Virtutes theologicæ sunt principia quibus homo ordinatur ad Deum finem supernaturalem.

1. « Per virtutem, ait S. Thomas, perficitur homo ad actus quibus in beatitudinem ordinatur... Est autem duplex hominis beatitudo sive felicitas... Una quidem proportionata humanæ naturæ, ad quam sc. homo pervenire potest per principia suæ naturæ. Alia autem est beatitudo naturam hominis excedens, ad quam homo sola divina virtute pervenire potest secundum quamdam divinitatis participationem, secundum quod dicitur 2 Pet. 2, quod per Christum facti sumus *consortes divinæ naturæ*. Et quia hujusmodi beatitudo proportionem humanæ naturæ excedit, principia naturalia hominis, ex quibus procedit ad bene agendum secundum suam proportionem, non sufficiunt ad ordinandum hominem in beatitudinem prædictam. Unde oportet quod superaddantur homini divinitus aliqua principia per quæ ita ordinetur ad beatitudinem supernaturalem, sicut per principia naturalia ordinatur ad finem connaturalem, non tamen absque adjutorio divino : *et hujusmodi principia virtutes dicuntur Theologicæ, tum quia Deum habent pro objecto, in quantum per eas recte ordinamur in Deum, tum quia a solo Deo nobis infunduntur, tum quia sola divina revelatione in Sacra Scriptura hujusmodi virtutes traduntur.* » 1.2, q. 62, a. 1.

Tres esse virtutes theologicas eruitur ex Scripturis,

2. *Sunt autem virtutes theologicæ tres, Fides, Spes et Charitas, nec plures nec pauciores.* Sic perpetua habet Ecclesiæ doctrina, juxta Apostoli verba 1 Cor. XIII, 13: *Nunc manent fides, spes, charitas, tria hæc.* Unde S. Augustinus,

traditur a SS. Patribus,

serm. 27, n. 1: « Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur. » Et S. Greg. M. Moral. lib. XI, c. 16, n. 25: « Mœnia in urbibus pro ornamento sunt, munitiones vero in defensionem. Et alia sunt dona quæ nos muniunt, alia quæ ornant. Prophetica quippe doctrina, genera linguarum, curationum virtus quasi quædam mœnia mentis sunt. Quæ etsi quisque non habeat, stare munitus per fidem et justitiam potest, quamvis ornatus virtutum altitudine minime esse videatur. Spes vero, fides et charitas, non nostra mœnia, sed munitiones sunt, quæ, si habere negligimus, hostilibus insidiis patemus. » Item S. Bernardus, serm. 10 in ps. *Qui habitat*, n. 1: « Dicit fides : parata sunt magna et inexcogitabilia bona a Deo fidelibus suis. Dicit spes: Mihi illa servantur. Nam tertia quidem charitas : Curro mihi, ait, ad illa.» Et S. Bonaventura, itin. mentis in Deum, c. 4: « Christus dicit: *Ego sum ostium: per me si quis introierit, salvabitur, et ingredietur et egredietur et pascua inveniet.* (Joan. 10, 9.) Ad hoc autem ostium non appropinquamus, nisi in ipsum credamus, speremus et amemus. Necesse est igitur, si reintrare volumus ad fruitionem veritatis, tanquam ad paradisum, quod ingrediamur per fidem, spem et charitatem mediatoris Dei et hominum Jesu Christi, qui est tanquam

ratione innuitur.

lignum vitæ in medio paradisi. » Ratio autem ita exponi potest: ut quis in Deum tanquam finem supernaturalem tendat, tria requiruntur ; primum est, ut ipsum supernaturaliter cognoscat, quod fit per fidem ; unde et ad Heb. XI, 6 : *Oportet accedentem ad Deum credere.* Secundum est, ut eumdem finem efficaciter intendat, quod fit per spem, juxta illud ad Rom. VIII, 23, 24: *Ipsi intra nos gemimus adoptio-*

nem filiorum Dei exspectantes... Spe enim salvi facti sumus. Tertium est, ut cum ipso per affectum conjungatur, teste 1 Joan. IV, 16. *Qui manet in charitate in Deo manet et Deus in eo.* Ergo virtutes theologicæ pauciores non sunt quam tres. Sed nec sunt plures : nam non potest ulla actio theologica afferri, quæ ad unam ex tribus assignatis nequeat reduci; actus siquidem intellectus circa Deum sub ratione veri refertur ad fidem, actus voluntatis circa Deum sub ratione nobis boni reducitur ad spem; idem actus circa Deum sub ratione in se boni ad charitatem pertinet. Pulchre omnino hanc rationem evolvit S. Thomas : « Virtutes theologicæ hoc modo ordinant hominem ad beatitudinem supernaturalem, sicut per naturalem inclinationem ordinatur homo in finem sibi connaturalem : hoc autem contingit secundum duo. Primo quidem secundum rationem vel intellectum, in quantum continet prima principia universalia cognita nobis per naturale lumen intellectus, ex quibus procedit ratio tam in speculandis quam in agendis. Secundo per rectitudinem voluntatis naturaliter tendentis in bonum rationis. Sed hæc duo deficiunt ab ordine beatitudinis supernaturalis, secundum illud 1 Cor. 2: *Oculus non vidit et auris non audivit, et in cor hominis non ascendit quæ præparavit Deus diligentibus se.* » Unde oportuit quod quantum ad utrumque aliquid homini supernaturaliter adderetur ad ordinandum ipsum in finem supernaturalem. Et primo quidem, quantum ad intellectum adduntur homini quædam principia supernaturalia, quæ divino lumine capiuntur, et hæc sunt credibilia, de quibus est fides. Secundo vero est voluntas quæ ordinatur in illum finem, et quantum ad motum intentionis in ipsum tendentem, sicut id quod est possibile consequi, quod pertinet ad spem : et quantum ad unionem quamdam spiritualem, per quam quodammodo transformatur in illum finem, quod fit per charitatem. Appetitus enim uniuscujusque rei naturaliter movetur, et tendit in

finem sibi connaturalem, et iste motus provenit ex quadam conformitate rei ad suum finem. »

Ordine generationis, secundum actus fides præcedit spem,

3. Ex quibus jam satis apparet quisnam sit ordo constituendus inter virtutes theologicas. « Duplex est ordo, ait S. Thomas, scilicet generationis et perfectionis. Ordine quidem generationis, quo materia est prior forma et imperfectum perfecto, in uno et eodem fides præcedit spem, et spes charitatem secundum actus : nam habitus simul infunduntur. Non enim potest in aliquid motus appetitivus tendere vel sperando vel amando, nisi quod est apprehensum sensu aut intellectu ; per fidem autem apprehendit intellectus ea quæ sperat et amat : unde oportet quod ordine generationis fides præcedat spem et charitatem. Similiter autem ex hoc homo aliquid amat, quod apprehendit illud ut bonum suum ; per hoc autem quod homo ab aliquo sperat se bonum consequi posse, reputat ipsum, in quo spem habet, quoddam bonum suum : unde ex hoc ipso quod homo sperat de aliquo, procedit ad amandum ipsum, et sic, ordine generationis secundum actus, spes præcedit charitatem. Ordine vero perfectionis charitas præcedit fidem et spem, eo quod tam fides quam spes per charitatem formatur, et perfectionem virtutis acquirit : sic enim charitas est mater omnium virtutum et radix, in quantum est omnium virtutum forma. » l. c. a. 4.

spes charitatem ;

ordine vero perfectionis, charitas præcedit fidem et spem.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

LIBER I.

DE FIDE.

PROŒMIUM.

DE SIGNIFICATIONE VOCIS.

Variæ *fidei* significationes ad duas classes revocantur :

4. Variæ quidem sunt in sacris Litteris et apud ecclesiasticos scriptores significationes voci *Fides* subjectæ, quæ tamem facile possunt ad duas classes generales revocari. Nomine scilicet *fidei* aliquando designatur actus vel habitus *voluntatis*, aliquando actus vel habitus *intellectus*.

prout sc. refertur ad voluntatem, fides primario significat fidelitatem ;

5. Prout usurpatur ad exprimendam perfectionem voluntatis, fides primario significat *fidelitatem* in statutis vel in promissis ; quo sensu adhibetur Rom. III, 3 : *Numquid infidelitas eorum fidem Dei evacuabit ? Absit. Est autem Deus verax.* Cfr. 2 Tim. II, 13. De hac fide loquitur S. Augustinus, epist. 82 (al. 19) n. 22 ad Hieronymum : « Fides in latino sermone ab eo dicitur appellata quia fit quod dicitur. Ubi autem fit quod dicitur, mentiendi utique non est locus. » Alludit forte ad Tullium, qui de Off. I, 7 ita scribit : « Fundamentum justitiæ fides, id est, dictorum conventorumque constantia et veritas : ex quo, quamquam hoc videbitur for-

tasse cuipiam durius, tamen audeamus imitari Stoicos, qui studiose exquirunt unde verba sunt ducta, credamusque quia fit quod dictum est, appellatam fidem.»Quia vero in quocumque munere suscipiendo invenitur implicita saltem quædam pactio, ideo qui muneri satisfacit, solet *fidelis* vocari, ut v. g. Matth. XXV, 14-29, Luc. XIX, 11-26 : *Euge serve bone et fidelis*, et 1 Cor. IV, 2 : *Hic jam quæritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur.*

secundario autem existimationem probitatis,

6. Ex hac significatione primaria aliæ secundariæ profectæ sunt. Videlicet a) fides dicitur existimatio et fama probitatis, inde præsertim alicui comparata quod promissis et statutis stare soleat ; sic v. g. Eccli. XXVII, 17 : *Qui denudat arcana amici, fidem perdit, et non inveniet amicum ad animum suum.* Præterea b) fides etiam dicitur ipsa promissio, 1 Tim. V, 11 et 12 : *Adolescentiores autem viduas devita ; cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem,quia primam fidem irritam fecerunt ?* Ad quæ verba S.Augustinus, in expositione ps.75 : « Quid est, *Primam fidem irritam fecerunt ?* Voverunt et non reddiderunt. » Cfr Estius in h.l. Tandem c) fides dicitur fiducia quam apud alios generat nota fidelitas in promissis ; in quem sensum aliqui interpretantur Matth. VI, 30, IX, 2, XIV, 31, I Jac. 6, etc. ; verum hæc interpretatio nobis videtur minus adæquata ; adeoque præferendam putamus explicationem quam,inter alios, proposuit Lucas Brugensis in Matth. IX, 2 ; cfr etiam Suarez, de Fide, disp. 2, s. 1, n.5 et sqq.

promissionem,

fiduciam ;

prout refertur ad intellectum, primario et proprie significat assensum propter auctoritatem loquentis ;

7. Prout autem usurpatur ad exprimendam perfectionem intellectus, fides primario et proprie significat tum assensum veritatibus præstitum propter auctoritatem loquentis , ut Heb. XI, 1 : *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium ;* tum virtutem moventem ad hunc assensum præstandum,ut 1 Cor. XIII,13: *Nunc manent fides, spes, caritas.* Improprie vero significat non solum as-

sensum præstitum propter loquentis auctoritatem, sed etiam assensum præstitum propter evidentiam sive immediatam et rei insitam, sive mediatam et derivatam, ita ut quælibet persuasio fidei nomine veniat; quo sensu Rom. XIV, 23 fides dicitur dictamen conscientiæ : *Omne quod non est ex fide peccatum est.* Similiter loqui videtur S. Basilius, hom. in ps. 32, n. 3, in verba : *Omnia opera ejus in fide :* « Quid igitur est quod dicit ? Sive, inquit, contemplare cœlum ejusque ordinem, fidei dux est, artificem enim per seipsum ostendit ; sive terræ ornatum, rursus quoque hoc pacto augetur tua in Deum fides. Non enim carneis oculis Deum edocti in ipsum credidimus, sed vi mentis per visibilia invisibilem conspicimus. Omnia ergo opera ejus in fide. » Item S. Augustinus, serm. 126 (al. 32), n. 3 : « Erige ergo rationalem adspectum, utere oculis ut homo, intende cœlum et terram, ornamenta cœli, fœcunditatem terræ, volatus avium, natatus piscium, vim seminum, ordinem temporum : intende facta et quære factorem ; aspice quæ vides, et quære quem non vides. Crede in eum quem non vides propter ista quæ vides. » impropríe vero quamcumque persuasionem ;

8. Cum hac vero primaria et propria significatione connexæ sunt aliæ quædam significationes secundariæ. Nempe a) fides dicitur veritas et veracitas loquentis, propter quam ejus verbis assensus datur, ut Jer. VII, 28 : *Periit fides, et ablata est de ore eorum ;* eodem fere sensu titulus 22 lib. 2 Decr. est : *De fide instrumentorum.* Deinde b) fides dicitur ipsa doctrina seu veritatum complexio, cui propter loquentis auctoritatem assensus præstatur, ut Apoc. II, 13 : *Non negasti fidem meam,* et in symbolo Athanasiano : *Quicumque vult salvus esse, opus est ut ante omnia teneat catholicam fidem.* Tandem c) fides vocatur tota summa christianæ religionis ; sic v. g. Act. VI, 7 : *Multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei ;* et Gal. III, 25 : *At ubi venit fides.* et secundario veracitatem, doctrinam revelatam, et totam œconomiam christianam.

9. Jam inquirendum est quænam ex his fidei speciebus ea Tractationis

partitio. sit quæ vere dici possit *theologica*, et a qua credentes denominantur *fideles;* ejus porro natura et indole semel determinata, considerandum erit quantæ sit necessitatis et efficaciæ ; demum erit agendum de peccatis quæ contra ipsam committuntur.

DE FIDE THEOLOGICA.

PARS I.

DE NATURA FIDEI THEOLOGICÆ.

10. Fides theologica, quæ scilicet est initium humanæ salutis, fundamentum et radix omnis justificationis, et a qua *fideles* denominamur et sumus, definiri debet « *Virtus supernaturalis, qua, Dei aspirante et adjuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest.* » Conc. Vat. Const. *Dei Filius*, c. 3 ; cfr Conc. Trid. sess. 6, c. 6. Quæ in hac definitione continentur, distinctius jam explicabimus, agendo de fide primum quatenus est *actus*, deinde quatenus est *habitus*. Definitio virtutis fidei.

—

CAPUT I.

DE NATURA ACTUS FIDEI THEOLOGICÆ.

11. Actus fidei theologicæ est assensio supernaturalis, firma ac libera veritatibus revelatis præstita propter auctoritatem Dei testantis. Quibus verbis breviter indicantur actus fidei *subjectum, objectum materiale, motivum* seu *objectum formale* et *proprietates*, de quibus seorsim tractabimus. Actus fidei definitio.

—

ARTICULUS I.

DE SUBJECTO ACTUS FIDEI.

Actum fidei esse assensum aliquem intellectualem

12. *Subjecti* nomine hic non intelli imus, sensu scholasticorum, illud de quo aliquid creditur, s d potentiam ex qua proxime et formaliter actus fidei procedi , et in qua consequenter fidei virtus residet. Asserimus autem *actum fidei salutaris proxime pertinere ad intellectum, et formaliter consistere in assensu veritatibus præstito.*

probatur ex Scripturis,

13. Colligitur manifestissime hæc veritas ex sacris Litteris, nominatim Joan. VI, 69-70, XI, 25-27; Act. VIII, 37; Rom. IV, 3, X, 9; 1 Cor. XIII, 13; 2 Cor. X, 5; Gal. III, 6; Eph. III, 12; Heb. XI, 1 et sqq.; Jac. II, 23; 1 Joan. V, 1, etc. Etenim his in locis sermo sane est de fide salutari, nam dicitur: *Qui credit in me, habet vitam æternam. — Verba vitæ æternæ habes. — Omnis qui credit, non morietur in æternum. — Si credis ex toto corde licet (baptizari). — Credidit et reputatum est illi ad justitiam. – Sumus filii fidei in acquisitionem animæ. —Sine fide impossibile est placere Deo*, etc. Atqui hæc fides a) expressis verbis dicitur pertinere ad intellectum: *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* b) Vocatur quædam cognitio, persuasio: *confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissime sciens quia quæcumque promisit, potens est et facere. — Est autem fides sperandarum substantia rerum* (sc. hæreditatis ad quam vocati sumus, basis ac fundamentum, vel inchoatio vel apprehensio certa), *argumentum non apparentium* (scilicet, convictio et plena demonstratio eorum quæ non videntur). Cfr Estius in h. l. c) Exhibetur ut tendens in verum, quod profecto est objectum intellectus: *Nos credidimus quia tu es Christus, Filius Dei. —Credo Filium Dei esse Jesum Christum. —Si in toto corde credideris quod Deus suscitavit eum a mortuis. —Fide intel-*

ligimus aptata esse sæcula verbo Dei.—Accedentem ad Deum oportet credere quia est, et quia inquirentibus se remunerator sit, etc.

traditur a SS. Patribus,

14. Eamdem doctrinam unanimiter tradunt SS. Patres. Ita S. Justinus M. vel quisquis auctor est epistolæ ad Diognetum, n. 8 : « Hominum quisquam neque vidit ipsum (Deum) neque aliquam ipsius notitiam habuit : sed ipse seipsum ostendit. Ostendit autem per fidem, cui soli Deum videre concessum est. » S. Cyrillus Hierosol. Catech. V, de fide et symbolo, n. 4 : « Ad fidem veram vos vocat et hodierna lectio, viam vobis designans per quam vos quoque oportet placere Deo. Ait enim sine fide impossibile esse placere. Quando enim apud se statuet homo Deo servire, ni illum credat remuneratorem fore? Quando virginitatis propositum arripiet puella, vel castus erit juvenis, nisi esse credat immarcessibilem castitatis coronam? Fides oculus est conscientiam omnem illuminans, et intelligentiam pariens. « S. Chrysost. hom. 27 (al. 26) in Joann. n. 2 : « Viden' ubique opus esse fide? Nam crucem vitæ fontem esse dicit. Id ratiocinium non facile admittat : cujus rei testes nunc sunt gentiles, qui id videntes cum risu excipiunt. Fides vero, quæ ratiocinii imbecillitatem superat, hoc facile admittit et retinet. » Dionysius Areop. de Divinis Nom. c. 7, § 4 : « Ratio hæc simplex est ac vere existens veritas, circa quam, ut puram et infallibilem universorum notionem, fides divina versatur, quæ est constans fidelium firmamentum, fundans illos in veritate atque in ipsis veritatem, dum indissuasibili identitate simplicem veritatis cognitionem habent rerum credendarum. » S. Hilarius Pict. de Trin. lib. 2, n. 11 : « Hæc de natura divinitatis attigimus, non summam intelligentiæ comprehendentes, sed intelligentes esse incomprehensibilia, quæ loquamur. Nullum ergo, dicis, officium est fidei, si nihil poterit comprehendi? Immo hoc officium fides profiteatur, id unde quæritur incomprehensibile

sibi esse se scire. » S. Ambrosius, in Luc. lib. 4, n. 71 : «Quid enim tam altum, quam altitudinem divitiarum videre, scire Dei Filium et professionem divinæ generationis assumere? Quam licet mens non queat humana plena rationis investigatione comprehendere, fidei tamen plenitudo complectitur. » S. Augustinus, de Præd. Sanct. c. 2, n. 5 : « Ipsum credere nihil aliud est quam cum assensu cogitare. Non enim omnis qui cogitat, credit: cum ideo cogitent plerique ne credant; sed cogitat omnis qui credit; et credendo cogitat et cogitando credit. »

docetur a scholasticis,

15. Cum SS. Patribus conspirat universa Schola, ut patet ex fidei definitionibus quæ in illa traduntur, ex theoremate apud eam certo, fidem esse referendam inter virtutes intellectuales, ex tot quæstionibus circa fidem agitatis, v. g. utrum de eodem objecto fides et scientia haberi possit, etc.

definitur in Conciliis.

16. Hinc jure meritoque tum in antiquis Ecclesiæ symbolis, quæ sunt velut fidei expressio, directe proponuntur veritates et mysteria, objectum proprium intellectus; tum in decretis Conciliorum, Tridentini nempe et Vaticani II. supra citt., actus fidei salutaris exhibetur ut assensus in veritates revelatas.

Hinc veram notionem fidei perverterunt Novatores sæculi XVI

17. E contra fidei salutaris notionem perverterunt Novatores sæculi XVI dum dixerunt illam consistere in fiducia divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum. Ex sacris enim Litteris habemus, fidem ita distinctam esse a fiducia ut sit ejus fundamentum; sic v. g. Eph. III, 12 : « *In quo habemus fiduciam et accessum in confidentia per fidem ejus* » ; et 1 Tim. III, 13 : *Qui enim bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirent, et multam fiduciam in fide, quæ est in Christo Jesu.* Unde S. Aug. Ench. de fide, spe et char. c. 2, n. 5 : « Cum autem initio fidei, quæ per dilectionem operatur, imbuta mens fuerit, tendit bene vivendo etiam ad speciem pervenire, ubi est sanctis et per-

fectis cordibus nota ineffabilis pulchritudo, cujus plena visio est summa felicitas. Cfr Trid. sess. 6, can. 12.

18. Notionem etiam fidei salutaris recentius pervertit Hermesius, dum, distinctione facta inter fidem *cognitionis* et fidem *cordis*, docuit hanc solam salutarem esse, et consistere in omnimoda resignatione in Deum et in res divinas. Dogm. p. 3, § 282, apud Müller lib. 2, tit. 1, § 2.

et recentius Hermes.

19. Tandem notandum est, fidem salutarem, quamvis immediate et formaliter sit actus intellectus, aliquomodo tamen procedere a voluntate, scilicet mediate et imperative, prout explicat S. Thomas, 2. 2, q. 4, a. 2 : « Credere immediate est actus intellectus, quia objectum hujus actus est verum, quod proprie pertinet ad intellectum ; » dicitur autem « consistere in credentium voluntate, in quantum ex imperio voluntatis intellectus credibilibus assentit. » Atque hoc sensu in concilio Vaticano docetur, teneri nos « plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide præstare. » Porro intellectum et voluntatem nonnisi cum auxilio gratiæ illustrantis, adjuvantis et excitantis ad actum fidei salutarem sufficere, inferius demonstrabitur.

Partes voluntatis in actu fidei.

—

ARTICULUS II.

DE OBJECTO MATERIALI ACTUS FIDEI.

20. *Objectum materiale* actus fidei divinæ, seu id cui assensus datur, est verum a Deo supernaturaliter et proprie revelatum. Dicitur *supernaturaliter*, sc. alio modo quam per ea quæ facta sunt et alio quam ipsius rationis naturali lumine manifestatum. Dicitur *proprie*, sc. communicatum per modum locutionis, non vero solum per infusionem. Unde objectum fidei divinæ definiri breviter potest : *verbum Dei*, vel : *illud quod Deus*

Objectum fidei est veritas supernaturaliter a Deo revelata,

dixit. Cfr. Lugo, de Fide, disp. 1, s. 10, n. 197 et 199, et Jungmann, de Vera Religione, n. 62.

explicite vel implicite ;

21. Est autem objectum fidei divinæ verum a Deo revelatum sive *explicite*, scilicet in seipso, sive *implicite*, sc. in alio, quod sequentibus modis præsertim contingit: a) nempe in revelato *definito* implicite revelantur omnes definitionis partes et omnia essentialia tali definito ; b) in revelata propositione *universali* implicite revelantur omnes particulares sub ea comprehensæ ; c) in revelata propositione *complexa* implicite revelantur singulæ ejus partes. Cfr. Franzelin, de Trad., th. XXII, pag. 239-240 in nota.

non tamen veritas cum revelatis solummodo mediate connexa,

22. At objectum fidei divinæ, juxta sententiam communiorem, non est illud quod cum revelato mediate tantum *connexum* est, quatenus vel ex eo sequitur vel ad illud supponitur ; hoc enim non est formaliter *verbum Dei*, adeoque admitti nequit quia Deus illud dixit, licet admitti possit propter illud quod Deus dixit. Porro veritas ita cum revelatis connexa, licet non sit objectum *fidei divinæ*, est tamen objectum *assensus theologici*, et, si ab Ecclesia infallibiliter definiatur, est objectum *fidei ecclesiasticæ*. Cfr. Franzelin, de Trad., pag. 110 et sqq. Lugo, disp. 1, s. 13, n. 269, qui tamen paulo aliter loqui videtur. Cæterum hic non potest confundi revelatio implicita cum fide implicita, quæ latius patet.

adeoque nec conclusio theologica, nisi tota implicite contineatur in præmissa revelata.

23. Ex quibus judicari potest utrum objectum fidei sit *conclusio theologica*. Duplex videlicet fieri potest hypothesis, prout conclusio deducitur ex duabus revelatis vel ex una revelata et altera non revelata. Si conclusio deducatur ex duabus præmissis revelatis, et ipsa revelata habetur ; exemplum est : omnes et singuli Apostoli infallibiles erant in proponendo verbo Dei ; atqui S. Matthæus fuit Apostolus ; ergo S. Matthæus infallibilis erat. Si vero conclusio deducatur ex una præmissa revelata, altera autem non revelata, iterum distinguendum est ; nam vel præmissa revelata implicite jam

continet, uno ex modis supra indicatis, id quod in conclusione jam enuntiatur, et altera solum manifestat hanc comprehensionem ; vel id quod in conclusione enuntiatur, nonnisi in utraque præmissa simul sumpta continetur. In priori casu, conclusio est revelata, et objectum fidei divinæ ; exempla sunt : Christus est verus homo ; atqui omnis homo habet animam rationalem ; ergo Christus habet animam rationalem ; item : Deus vult omnes homines salvos fieri ; atqui ego sum homo ; ergo Deus vult me salvum fieri. In posteriori casu, conclusio non est simpliciter revelata, nec objectum fidei divinæ ; exemplum est : B. V. Maria est mater Christi ; atqui S. Anna est mater B. V. Mariæ, ergo S. Anna est avia Christi, etc. Cfr. Franzelin, de Deo uno, pag. 19, 20.

Difficultates applicationis.

24. Quamvis hæc principia communiter a theologis admitti videantur, est tamen diversitas opinionum relate ad non paucas conclusiones, quia non constat ad quamnam classem, ex tribus supra indicatis, illæ conclusiones pertineant. Sic v. g. propositionem : *hunc infantem absque dubio rite baptizatum esse justificatum*, revelatam esse et per se objectum fidei divinæ existimant Lugo, disp. 1, s. 13, n. 298, Suarez, disp. 3, s. 11, etc ; e contra eam non esse revelatam docet Franzelin, de Deo uno, pag. 21. Hæc inter summos viros sententiarum discrepantia inde fortasse oritur quod alii, sc. Suarez, Lugo, ll. cc. existiment præmissam formaliter revelatam esse ut *propositionem universalem*, nempe : *omnes homines rite baptizatos justificationem consequi*, dum alii videntur existimare eamdem propositionem formaliter revelatam esse *per modum principii abstracti*, nimirum : baptismum gratiam conferre non ponentibus obicem. Quidquid vero teneatur, simili fere ratione resolvendæ sunt quæstiones an objectum fidei divinæ sint hæ aliæque propositiones : *Concilium Tridentinum est infallibile*, *Pius IX est verus Christi vicarius*, *hic sanctus solemniter canonizatus fruitur æterna beatitudine*. Præter au-

ctores citatos, legantur ea de re Wirceburgenses, de Virt. Theol. disp. 2, c. 1, a. 2 et 3, Murray, de Eccl. disp. 1, s. 3.

Ad objectum fidei divinæ sufficit revelatio mediata,

25. Licet vero ad objectum fidei divinæ constituendum necessaria sit formalis revelatio explicita vel saltem implicita, non requiritur tamen revelatio *immediata*, scilicet a Deo facta nullo interposito medio, sed sufficit *mediata*, facta nimirum per Dei legatos. Cfr Lugo, sect. X, n, 193 et Jungmann, op. cit. n. 60.

vel etiam privata; revelatio tamen publica requiritur ad objectum fidei catholicæ;

26. Præterea objectum fidei divinæ sunt non solum ea quæ communicata fuerunt revelatione *publica*, ad omnes nimirum homines universamque Ecclesiam directa, de quo nemo dubitat, sed etiam per se ea quæ communicata fuerunt revelatione *privata*. De hoc tamen altero aliqualis exstat controversia, quam ita solvit Franzelin, de Trad. th. XXII, pag. 234 : « Revelatio privata a Deo facta potest et saltem ab eo cui fit vel pro quo fit debet credi fide divina, si evidentia adsint motiva credibilitatis, non tamen ea fides dicitur *catholica*. Hæc est sententia communior, et nobis quidem videtur vera ... Dixi posse et, saltem ab eo cui aut pro quo facta est revelatio, debere credi fide divina, si evidentia adsint motiva credibilitatis : unde facilius potest contingere ut illi quibus fit revelatio teneantur eam credere fide divina, aliis rarissime hæc locutio divina exhibetur sub iis motivis credibilitatis ut possint vel etiam teneantur credere fide proprie dicta divina. Quod pertinet ad Ecclesiæ judicium quo hujusmodi revelationes privatæ aliquando approbantur, illud non eo spectat ut revelationes proponantur fidelibus fide divina credendæ, sed ut declaretur a) in iis nihil esse quod fidei catholicæ, bonis moribus et disciplinæ christianæ adversetur; b) sufficientia esse indicia veritatis ut hujusmodi revelationes fide humana pie et prudenter ac sine superstitione credi et ad ædificationem a fidelibus legi possint... c) Post Ecclesiæ hujusmodi approbationem, vel si, etiam nullo adhuc lato judicio, graves adsint genuinitatis rationes, certe fas non est tales revelationes contemnere. »

27. Ea autem, quæ revelatione publica communicata fuerunt, sunt objectum fidei *quoad se* independenter ab Ecclesiæ propositione, ut per se manifestum est; independenter etiam ab hujusmodi propositione possunt aliquando esse objectum fidei *quoad nos*. Nihilominus propositio per Ecclesiam, secundum providentiam Dei ordinariam et secundum œconomiam a Christo institutam, necessaria est ut omnibus sufficienter innotescat quænam sint veritates revelatæ; atque ideo illa sola, quæ ab Ecclesia proposita sunt ad credendum, dicuntur pertinere ad *fidem catholicam*. Ita conc. Vat. l. c.: « Fide *divina* et *catholica* ea omnia credenda sunt, quæ in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemni judicio sive ordinario et universali magisterio tanquam divinitus revelata credenda proponuntur. »

imo, si *fides catholica* stricte sumatur, requiritur præterea Ecclesiæ propositio.

28. Illud omne quod est a Deo revelatum, objectum fidei constituit *præcise quatenus est verum*. Quapropter non est admittenda, cum hæreticis, diversitas ipsius *fidei* pro diversa natura rerum quæ revelatæ fuerunt. Hæretici nempe triplicem fidem distinguunt, *historicam*, *miraculorum* et *promissionum*, et postremam subdividunt in *generalem* et *specialem*: quarum priores duas nec utiles, nec ad salutem et justificationem necessarias asserunt. Porro *fidei historicæ* pro objecto tribuunt tum res omnes olim gestas, tum comminationes divinas, tum pœnas peccantibus inflictas, quæ in Scriptura perhibentur; *fidei miraculorum*, omnipotentiam divinam, quæ omnia possit etiam naturam omnem creatam excedentia; *fidei promissionum generali*, promissam omnibus in Christum credentibus salutem; *speciali*, misericordiam Dei seu remissionem peccatorum et justificationem, quam quilibet in individuo sibi per justitiam Christi imputatam confidat, seque justum et prædestinatum pro certissimo habeat. Cfr Calvinus, lib. 3 Inst. c. 2. Jam supra advertimus sic dictam *fidem promissionum et miraculorum* ipsis non tam esse assen-

Rejicitur *fidei ipsius* distinctio in historicam, miraculorum et promissionum;

sum intellectualem propter Dei revelantis auctoritatem, quam inde consequentem fiduciam aliquid a Deo obtinendi. Cæterum primo intuitu liquet quantum ab hujusmodi errore distet doctrina SS. Patrum, qui aliquando et ipsi mentionem faciunt fidei miraculorum. Sic inter alios S. Cyrillus Hierosolymitanus, Catech. V, de fide et symbolo, n. 10: « Siquidem fidei nomen appellatione unum est, bifariam vero dividitur. Est enim unum genus fidei, quod ad dogmata pertinet, quod approbationem et assensionem animæ de re quapiam includit, et ad animæ utilitatem pertinet, sicut ait Dominus : *Qui audit verba mea, et credit ei qui misit me, habet vitam æternam, et in judicium non venit.* Et rursus : *Qui credit in Filium non judicatur, sed transit de morte ad vitam*... Alterum vero genus est fidei, quod gratiæ cujusdam loco a Christo donatur. Alii enim per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum, alteri vero fides in eodem Spiritu, alteri vero curationum dona. Hæc igitur gratiæ loco ab Spiritu collata fides, non solum dogmatica est, verum etiam rerum humanas vires excedentium efficiens. Qui enim habuerit fidem hanc dicet monti huic : transi hinc illuc : et transibit. Quando enim per fidem hoc ipsum dixerit quispiam credens ita futurum, nec hæsitaverit in corde suo, tunc illam accipit gratiam. Et de hac fide dicitur: *Si habueris fidem sicut granum sinapis*..... Habeas itaque eam fidem quæ a te pendet, ut etiam ab illo accipias eam quæ super humanas vires operatur. »

admittitur tamen in *objecto fidei* distinctio

29. Quamvis itaque nulla admitti valeat *fidei* ipsius distinctio, ea tamen quæ revelata sunt vario modo distingui possunt sive ratione indolis, sive ratione dignitatis, sive ratione perspicuitatis.

inter principia theoretica,

30. Et quidem, omissa modo indicata hæreticorum distinctione rerum gestarum, promissionum et miraculorum,

utpote quæ minime adæquata sit, veritates publica revelatione communicatæ sunt vel *theoretica principia*, vel *leges practicæ* vel *instituta societatis supernaturalis constitutiva*. Cfr Franzelin, de Trad. pag. 110.

leges practicas et instituta constitutiva ;

31. Deinde in objecto fidei *puncta fundamentalia* a *non fundamentalibus* distingui possunt, non quidem sensu protestantium, quasi omnes veritates revelatæ non deberent æque admitti et credi, fide saltem generali, sed sensu catholico, « quatenus non omnium æqualis est necessitas ut explicite ac in se ab omnibus fidelibus cognoscantur. Aliqua sunt credibilia, inquit S. Thomas, de quibus est fides secundum se ; aliqua vero sunt credibilia, de quibus non est fides secundum se, sed solum in ordine ad alia... Per se ad fidem pertinent illa quæ directe nos ordinant ad vitam æternam, sicut sunt tres personæ omnipotentis Dei, mysterium Incarnationis Christi et alia hujusmodi. » 2-2, q. 1, a. 6, ad 1. Hæc itaque sunt explicite et in se cognoscenda omnibus, quia eorum cognitio vel ex sese absolute necessaria est ad ordinandum hominem ratione utentem in finem supernaturalem, vel certe ita constituunt fundamentum religionis christianæ, ut cujusvis christiani sit officium ea cognoscere. Unde etiam quovis tempore in publica christianorum professione continebantur. Alia multa continentur in revelatione quæ pertinent « ad prædictorum manifestationem,» ut l. c. ait S.Thomas, ad veritatis revelatæ cognitionem scilicet intensive et extensive perfectiorem et ampliorem et ad ejusdem fidei defensionem : quæ amplior cognitio nec per se et absolute, nec ratione alicujus præcepti omnibus christianis est necessaria, nec moraliter possibilis. » Franzelin, de Trad. et Scrip. th. XXIII.

inter puncta fundamentalia et non fundamentalia ;

32. Ex quibus jam intelligitur alia distinctio, ratione scilicet extrinsecæ propositionis. « Nam quæ omnibus fidelibus sunt explicite cognoscenda et credenda, sine dubio quavis ætate continebantur *explicite* in apostolica doctrina et in traditione,

inter veritates explicite

et clare propositas et veritates propositas implicite et obscure;

clare, quantum temporum adjuncta postulabant, *diserte*, hoc est, diligenti et instanti prædicatione. Contra vero in iis, quæ ad explicatiorem intelligentiam et ulteriorem declarationem fidei objectivæ pertinent, possunt esse aliqua quæ in prædicatione apostolica contineantur *implicite*, quæ proinde etiam, aliquo saltem tempore, *implicita* in aliis doctrinis explicitis transmittantur per traditionem; possunt esse alia in traditione *obscurius* proposita et *minus diserta minusque instanti prædicatione*, donec rerum et controversiarum adjuncta postulent et Spiritus Sancti directio per magisterium authenticum efficiat *explicationem* impliciti, *declarationem et expolitionem* obscuri, *disertam et instantem prædicationem seu definitionem* minus diserti. » Franzelin, de Tradit. th. XXIII.

inter veritates rationi naturali pervias, et mysteria.

33. Tandem ratione intrinsecæ perspicuitatis distinguuntur ea « ad quæ naturalis ratio pertingere potest, » et « mysteria in Deo abscondita, quæ, nisi revelata divinitus innotescere non possunt. Quocirca Apostolus, qui a gentibus Deum per ea quæ facta sunt, cognitum esse testatur, disserens tamen de gratia et veritate quæ per Jesum Christum facta est, pronuntiat : Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram, quam nemo principum hujus sæculi cognovit : — nobis autem revelavit Deus per spiritum suum : spiritus enim omnia scrutatur etiam profunda Dei. Et ipse Unigenitus confitetur Patri quia abscondit hæc a sapientibus et prudentibus, et revelavit ea parvulis. Ac ratio quidem, fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quærit, aliquam, Deo dante, mysteriorum intelligentiam, eamque fructuosissimam assequitur, tam ex eorum, quæ naturaliter cognoscit, analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo ; nunquam tamen idonea redditur ad ea perspicienda instar veritatum, quæ proprium ipsius objectum constituunt. Divina enim mysteria suapte

natura intellectum creatum sic excedunt, ut, etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino : per fidem enim ambulamus et non per speciem. » Conc. Vat. const. *Dei Filius*, c. 4. Hinc inter canones c. 4 primus est : « Si quis dixerit, in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari, anathema sit. » Quibus solemniter confixus est pessimus error jamdiu proscriptus a summis Pontificibus Greg. XVI, in Encycl. 18 Aug. 1832 et Pio IX, in all. 9 Dec. 1854, litt. 15 Jun. 1857, 11 Dec. 1862, et 21 Dec. 1863, necnon in *Syllabo*, Prop. 9. Error iste, nunc universaliori nunc temperatiori forma enuntiatus, constituit ipsum logicum principium semirationalismi, ex quo nostris temporibus consecuta est perversio mysteriorum fidei, maxime SS. Trinitatis et Dominicæ Incarnationis. Cum enim statuant nihil posse esse revelatum quod ratione intelligi nequeat, sensum mysteriorum quo illa continentur, et quo sunt supra captum rationis, transmutant in alium plane, atque hoc ipso in sensum veritati revelatæ repugnantem ; nec verentur aliquando dogma eo sensu, quo a catholicis credendum est, appellare absurdum, quia eo modo, quo ipsi volunt, intelligi non potest. De his omnino consulatur Franzelin, tum in tractatu de Deo trino, th. XVII, tum in tract. de Trad. et Script. thes. XXV. Cfr etiam Jungmann, op. cit. n. 67-85. Verum etsi mysteria sint dicto modo supra rationem, non sunt tamen contra rationem, « cum idem Deus qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit ; Deus autem negare seipsum non possit, nec verum vero unquam contradicere. Inanis autem hujus contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ec-

clesiæ intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur. » Conc. Vat. l. c.

34. Ex præcedentibus facile intelligi potest solutio quæstionis, utrum objectum fidei decursu temporis *augeatur*, necne. Si enim res a priori consideretur, nulla in augmento successivo assignari potest repugnantia, cum revelatio sit actus ex parte Dei undequaque liber. Si vero spectetur œconomia a Deo constituta, hæc statuenda sunt :

Objectum fidei ab Adamo usque ad Christum crevit simpliciter,

35. *Objectum fidei catholicæ ab Adamo usque ad Christum et Apostolos simpliciter crevit per novas successive revelationes.* De qua re ita S. Thomas 2. 2, q. 174, a. 6 : « Fides nostra in duobus principaliter consistit; primo quidem in veri Dei cognitione... Secundo in mysterio Incarnationis.... Si ergo de prophetia loquamur in quantum ordinatur ad fidem deitatis, sic crevit secundum tres temporum distinctiones, scilicet ante legem, sub lege et sub gratia. Nam ante Legem Abraham et alii Patres prophetice sunt instructi de his quæ pertinent ad fidem deitatis... Sub Lege autem facta est revelatio prophetica de his quæ pertinent ad fidem deitatis, excellentius quam ante, quia jam oportebat circa hoc institui non solum speciales personas aut quasdam familias, sed totum populum..... Postmodum vero tempore gratiæ ab ipso Filio Dei revelatum est mysterium Trinitatis... In singulis tamen statibus prima revelatio excellentior fuit. Prima autem revelatio ante legem facta est Abrahæ..... Isaac vero facta est inferior revelatio, quasi fundata super revelatione facta Abrahæ; unde dictum est ei : Ego sum Deus Abraham patris tui; et similiter ad Jacob dictum est : Ego sum Deus Abraham patris tui et Deus Isaac. Et similiter in statu legis prima revelatio facta Moysi excellentior fuit, supra quam fundatur omnis alia prophetarum revelatio. Ita etiam tempore gratiæ super revelatione facta Apostolis de fide Unitatis et Trinitatis fundatur tota fides Ecclesiæ. Quantum vero ad

fidem Incarnationis Christi, manifestum est quod, quanto fuerunt Christo propinquiores, sive ante sive post, ut plurimum plenius de hoc instructi fuerunt. »

36. Attamen aliquo vero sensu dici potest, ab Adamo usque ad Christum et Apostolos, objectum fidei catholicæ auctum non fuisse, scilicet *quoad substantiam*, quatenus semper erant veritates revelatæ quæ saltem implicite continebant substantiam articulorum fidei, nempe mysterium Dei unius et trini atque redemptionis per Verbum incarnatum. Ita S. Thomas, 2. 2, q. 1, a. 6 : « Omnes articuli implicite continentur in aliquibus primis credibilibus, scilicet ut credatur Deus esse et providentiam habere circa hominum salutem, secundum illud Heb. XI, 6 : accedentem ad Deum oportet credere quia est, et quia inquirentibus se remunerator sit. In Esse enim divino includuntur omnia, quæ credimus in Deo æternaliter existere, in quibus nostra beatitudo consistit ; in fide autem providentiæ includuntur omnia, quæ temporaliter a Deo dispensantur ad hominum salutem, quæ sunt via ad beatitudinem. » Cfr Franzelin, de Trad. et Script. th. XXVI.

non quoad substantiam ;

37. Cum revelatio publica per Christum et per Spiritum Sanctum in Apostolis completa fuerit, patet exinde *sub novâ œconomia objectum fidei catholicæ quoad se amplius augeri non posse*. Cfr. Franzelin, de Trad. et Script. thes. XXII.

sub nova œconomia non potest crescere quoad se,

38. At, etiam a tempore Apostolorum, dici potest objectum fidei catholicæ aliquo sensu augeri, nempe *secundum quid* et *quoad nos ;* idque triplici præsertim modo : a) cum revelatio obscura redditur clara et distincta per interpretationem ; b) cum revelatio generalibus verbis concepta evolvitur et applicatur ; c) cum proponitur revelatio sub hoc vel illo conceptu ad occurrendum huic vel illi errori speciali. Cfr. Murray, de Eccl. disp. I, s. 4.

potest tamen crescere quoad nos :

39. Hinc, quoniam usu loquendi satis communi *dogma* fidei

quare etiam

crescere potest munerus *dogmatum.*

dici solet non tam veritas revelata in se, quam veritas revelata quatenus est sufficienter proposita in Ecclesia, sequitur numerum *dogmatum* etiam sub nova œconomica crescere posse, quamvis crescere nequeat numerus veritatum revelatarum. Cfr. Franzelin, de Trad. et Script. th. XXV.

Objectum fidei integre continetur in Scripturis et Traditione,

40. Ea quæ publica revelatione divina humano generi communicata fuerunt, Ecclesiæ commissa sunt custodienda et explicanda, adeoque vocantur *depositum* fidei. Continentur autem integre « in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt. » Conc. Vatic. const. *Dei Filius*, c. 2. Eorum vero *Summa* authentice proposita est in *Symbolis* et in sic dictis *Fidei professionibus.*

compendiose autem in symbolis.

Symbolum, sc. collatio et tessera, est summa credendorum ;

41. *Symbolum* sc. vi nominis *collationem* significat ; ex usu sumitur pro *indicio* ac *tessera ;* prout fidei applicatum, dicitur comprehensio credendorum simplex, brevis et plena ; ut nempe simplicitas ruditati, brevitas memoriæ, plenitudo consulat doctrinæ. Finis symboli hujuscemodi conficiendi generatim fuit triplex : a) ut docentes haberent unam eamdemque fidei regulam, quam omnibus proponerent ; b) ut discentes tenerent fidei formulam, quam memoriæ facile mandarent et frequenter profiterentur ; c) ut fideles secum invicem consentirent, ab infidelibus discernerentur, et a falsis doctoribus tuerentur.

triplex distinguitur : Apostolicum,

42. Symbolorum præcipuorum tria communius referuntur : primum dicitur *Apostolicum*, habetque, juxta communem sententiam catholicorum, pro auctoribus ipsos Apostolos : cfr Nat. Alex. de Symbolo Fidei, Christ. Lupus, in Symbolum Nicænum diss., c. 2, etc. ; — incipit : *Credo in Deum patrem omnipotentem.* Secundum dicitur a S. Thoma Symbolum *Patrum*, ab aliis *Nicæno-Constantinopolitanum*, quia a Patri-

Nicæno-Con-

bus in concilio Nicæno I inchoatum, in Constantinopolitano I auctum fuit; — incipit: *Credo in unum Deum*. Tertium dicitur *Athanasianum*, licet plerique viri docti illud S. Athanasio abjudicent, et exaratum existiment sub finem sæculi V aut initio VI, et quidem ab auctore latino, fortasse Vigilio Tapsensi in Africa, qui sub Hunnerico Vandalorum rege ariano floruit: cfr Nat. Alex. diss. de symbol. fidei, Tillemont, Cabassutius, Maurinus editor operum S. Athanasii, Henschenius, etc.; — incipit: *Quicumque vult salvus esse*. Porro de variis ejusdem symboli et nominatim Apostolici lectionibus, de differentiis inter unum symbolum et alterum, de additionibus quæ aliquando symbolo factæ sunt, moveri possent quæstiones sane nor spernendæ, quæ tamen huc non pertinent. Præter historicos et criticos mox citatos, cfr Franzelin de Trin. th. XLI.

stantinopolitanum,

Athanasianum.

3. Facile demonstrant theologi objectum fidei in memoratis tribus symbolis convenienter tradi. Hæc sane convenientia patet a) ex symbolorum *argumento;* tum quia in iis continetur quidquid explicite credi debet, tum quia in iis ponitur quod per se pertinet ad Dei beatitudinis nostræ, Christi viæ salutis nostræ, aliorumque mediorum cognitionem, propter perfectionem et obedientiam intellectus, spem firmandam et excitandam charitatem: tum quia alii magis particulares fidei articuli in his generalibus virtualiter continentur. Idem patet b) ex symbolorum *auctoritate*, quam non auctores eorum dumtaxat, sed Ecclesiæ propositio conciliavit, cum illa fecerit hæc symbola *sua*, et Apostolicum omnibus fecerit commune, illud patrum singulis dominicis et festis solemnioribus sacerdotibus in Missæ sacrificio, ministris autem Athanasianum in divino officio recitandum præceperit. Cæterum nec symboli ratio permittebat, nec necessitas oppositorum errorum urgebat, nec ratio disciplinæ patiebatur ut in his symbolis omnes articuli fidei continerentur. Cfr S. Thomas, 2. 2, q. 1, a. 9, et ejusdem Expositio

In symbolo objectum fidei convenienter traditur.

in symb. Apost.; Suarez, de Fide, disp. 2, s. 5; Lugo, disp. 3, s. 4, Wirceburgenses, c. 2, a. 1, etc.

Fidei professiones.

44. Symbolis accesserunt *fidei professiones*, quarum celebrior est ea quam contra hæreses Lutheri et Calvini concinnavit Pius IV, et ab omnibus ad quævis munia sacra, officia ecclesiastica, gradus academicos etc. promovendis, solemniter et cum juramento emittendam sancivit. Cfr Denzinger, Enchiridion.

Objectum fidei *de quo*,

45. Ab objecto fidei *quod* creditur, distingui debet illud *de quo* creditur : primum, de quo hucusque egimus, etiam vocatur *prædicatum*, alterum vero *subjectum*, et utrumque simul dicitur objectum *complexum*, seu *tota propositio objectiva*.

principale et adæquatum attributionis est Deus, secundarium et attributum est etiam creatura.

46. Jam vero a) Deus est fidei objectum *de quo* principale; præcipuæ enim ex veritatibus revelatis respiciunt Deum, eius naturam atque attributa; at b) Deus non est fidei objectum de quo *simpliciter* adæquatum, quia præter Deum multa alia sunt de quibus aliquid est revelatum, et quæ ideo sunt objectum fidei de quo *secundarium;* nihilominus c) Deus est fidei objectum de quo adæquatum *attributionis*, quatenus nempe cognitio aliorum quorumque dirigitur ad perfectiorem Dei cognitionem. Hæc quidem satis communiter admittuntur; videtur tamen esse inter Auctores discrepantia in modo explicandi sub *qua ratione* Deus dicendus sit fidei objectum de quo adæquatum attributionis. Cfr. Greg. de Valentia, disp. 1, q. 1, punct. 1 et 3; Suarez, disp. 2, s. I et II. Ita Lugo, disp. 3, s. 1, n. 14-17 : « Existimo objectum adæquatum attributionis fidei esse Deum *secundum se et ut asse-quibilem a nobis.* Hæc enim videntur esse ad quorum cognitionem ordinantur omnia quæ fides nostra de facto docet, ut scilicet sciamus quis sit Deus, et quibus mediis consequi debeamus salutem nostram. Cum hoc tamen stat quod dici possit Deum esse objectum adæquatum nostræ fidei prout dicitur a S. Thoma et aliis communiter. Et imprimis quod

Deus sit objectum attributionis, constat ex multis Scripturæ testimoniis... et ex Augustino lib. 4 de Civit. Dei, c. XXIX : « Fidei primum et maximum officium est ut in verum credatur Deum ; » et ex aliis patribus... Quod vero salus nostra etiam pertineat ad fidei objectum, colligitur ex pluribus locis Scripturæ, Is. XLVIII, 17; Eph. IV, 11; 2 Tim. III, 16... Dices : notitia nostræ salutis etiam ordinatur ad meliorem Dei notitiam, ergo solus Deus et non salus nostra est adæquatum objectum attributionis fidei, cum ad ipsum cætera ordinentur. Ex solutione hujus objectionis constabit ratio nostræ conclusionis ; quia ut aliquod sit objectum adæquatum attributionis alicujus scientiæ, non sufficit omnia, quæ docentur in ea scientia, ordinari ad illud, sed ultra hoc requiritur, quod ea omnia non cognoscantur propter se, sed propter meliorem illius notitiam habendam... Hinc ergo patet solutio ad objectionem ; nam licet cognitio salutis et sanctitatis conducat ad cognoscendum Deum ejus auctorem et finem, hæc tamen a fide non solum intenduntur ad generandam in nobis meliorem Dei notitiam, sed etiam propter se ; ita ut licet ex cognitione mediorum nostræ salutis non gigneretur melior cognitio Dei, adhuc traderetur a fide et adhuc Deus revelaret nobis, quæ media convenientiora essent ad nostram sanctitatem et perfectionem. Utrumque ergo fides de facto intendit ; scilicet, ut cognoscamus Dei majestatem, et de ipso sentiamus prout oportet ; et ut sciamus etiam viam salutis et perfectionis nostræ ; atque ad hæc videntur ordinari omnia quæ per fidem nobis manifesta sunt. Denique cum hoc stat quod dicere possimus Deum objectum adæquatum attributionis nostræ fidei, prout loqui videtur S. Th. præsenti art. 1 ; loquitur enim de Deo non solum secundum se, sed ut assequibili etiam a nobis ; multa enim docet fides, non solum ut sciamus qualis sit Deus in se, sed ut sciamus etiam qualiter a nobis assequendus. Deus autem sumptus cum hac latitudine, bene appellatur objectum adæquatum attributionis fidei. »

ARTICULUS III.

DE MOTIVO ACTUS FIDEI.

Fides objecto formali differt

47. Assensus intellectualis, seu adhæsio et conquiescentia mentis in vero, non est motus animi cæcus, sed necessario datur propter aliquod *motivum*, quod vocatur etiam *objectum formale* (1). Motivum autem illud potest esse vel intrinseca ratio veri immediate se manifestans intellectui ; et in eo casu assensus est immediatus, et dicitur *visio*, aut *intelligentia*, quia mens quasi intus legit; vel est principium aliquod a priori vel saltem a posteriori manifestans veritatem cognoscendam intrinsece et in se ipsa, licet mediate et per aliud : et in eo casu assensus est mediatus, et dicitur *scientia;* vel demum est prægognita scientia et veracitas (auctoritas) alterius : et in eo casu assensus est mediatus, et dicitur *fides*, quia *fidens* quis scientiæ et veracitati loquentis sermonibus ejus acquiescit, quæ ipsa assensio significatur per verbum *credere*. Quatenus respicitur objectum formale, *credimus alicui;* quatenus est assensus in objectum materiale, *credimus aliquid ;* comprehendendo utrumque, dicimur *credere in aliquem ;* sed id

ab intelligentia

et scientia.

(1) Quid sit proprie *objectum formale*, explicatur a J. De Lugo, disp. 1, s. 1, n. 1, hisce verbis : « Suppono objectum formale et materiale in præsenti disputatione esse illa, quorum uni assentimur propter aliud; sicut etiam in actibus voluntatis, objectum materiale est illud quod amatur propter aliud. Objectum vero formale est illud propter quod aliud amamus ; v. g. si amas medicinam propter sanitatem, medicina est objectum materiale, sanitas est objectum formale, quia quasi informat et vestit medicinam, quæ secundum se non moveret voluntatem; vestita tamen a bonitate sanitatis, allicit ad sui amorem; sic etiam quando intellectus assentitur uni propter aliud, v. g. huic propositioni : homo est risibilis, quia est rationalis, risibilitas est objectum materiale, rationabilitas vero est objectum formale; quia risibilitas, cui secundum se non assentiret, quia in se et ex propriis terminis non apparet, informatur tamen et quasi induitur altera veritate clariori, et sic informata et vestita movet intellectum ad sui assensum. »

proprie non dicitur, nisi relate ad primam veritatem, quæ Deus est, quatenus fide in Deum tendimus ut in supremam veritatem et ultimum finem ; unde et in symbolo *credimus in Deum* et *credimus sanctam Ecclesiam.* Cfr Franzelin, app. de Fide, c. 2, omnino legendus.

Objectum formale fidei esse auctoritatem Dei loquentis,

48. Asserimus ergo fidem theologicam in hac stricta et propria significatione esse intelligendam, atque ideo definiendam esse. « *Assensum revelatis præstitum, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest.* » Conc. Vat. Const. *Dei Filius* c. 3.

eruitur ex sacris Litteris

49. Traditur manifestissime hæc veritas in sacris Litteris, nominatim Matth. XI, 25-27; XVI, 17 ; Joan. XIV, 10, Act. VIII, 37; Rom. I, 5, X, 17, XVI, 26, 2 Cor. X, 5, Gal. III, 2; 1 Thess. II, 13; Heb. XI; 1 Joan. V, 1, etc. Jam supra ostendimus in his aliisque similibus locis agi de fide *salutari.* Atqui a) actus hujus fidei exprimitur verbo credere : *Si... in corde tuo credideris quod Deus illum suscitavit.* b) Dicitur esse ex auditu : *Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. — Ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei?* c) Ulterius affirmatur versari circa res quatenus extrinsece proponuntur: *Est autem fides... argumentum non apparentium;* cfr. Estius in h. l. d) Quinimo expresse vocatur obedientia et captivitas intellectus in obsequium Christi : *Quod (mysterium) nunc patefactum est per Scripturas prophetarum secundum præceptum æterni Dei, ad obeditionem fidei; — In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* e) Hinc dicitur non esse sapientium in se confidentium, sed parvulorum et humilium : *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* f) Munus autem fidem annuntiandi vocatur apostolatus ad obediendum fidei : *Per quem accepimus gratiam et apostola-*

tum ad obediendum fidei in omnibus gentibus. Quæ omnia sane ostendunt assensum præstitum propter auctoritatem; auctoritas autem illa g) exhibetur ut auctoritas Dei : *Cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed, sicut est vere, verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis.*

traditur a SS. Patribus,

50. Eamdem doctrinam omnibus modis inculcant SS. Patres. Sic v. g. S. Hilarius Pict. de Trin. lib. 3, n. 26 : « Nihil igitur in divinis affectibus humanæ mentis opinione tractandum est, neque de Creatore suo opificii ipsius materia decernat. Assumenda autem nobis est stultitia, ut sapientiam sumamus,non imprudentiæ sensu, sed naturæ nostræ conscientia: ut quod cogitationis terrenæ ratio non concipit, id nobis rursum ratio divinæ virtutis insinuet. Cum enim recognita stultitiæ nostræ intelligentia, imperitiam naturalis in nobis imprudentiæ senserimus, tum per divinæ sapientiæ prudentiam ad Dei sapientiam imbuemur : cum sine modo virtutes Dei ac potestatem metiamur, cum naturæ Dominum non intra naturales leges cohibeamus, cum hoc ipsum de Deo bene credi intelligamus, ad quod de se credendum ipse sibi nobiscum et testis et auctor existat. » Cfr lib. I, n. 12, lib. VII, n. 35, lib. VIII, n. 52 etc. Item S. Ambrosius, de Abraham, lib. I, c. 3, n. 21 : « Ideo reputatum est illi ad justitiam, quia rationem non quæsivit, sed promptissima fide credidit. Bonum est ut rationem præveniat fides; ne tanquam ab homine, ita a Domino Deo nostro rationem videamur exigere. Etenim quam indignum ut humanis testimoniis de alio credamus, Dei oraculis de se non credamus! » S. Augustinus vero in Joh. tr. XL, n. 9 : « Quid promittit credentibus, Fratres? *Et cognoscetis veritatem.* Quid enim? Non illam cognoverant quando Dominus loquebatur? Si non cognoverant, quomodo crediderunt? Non quia cognoverunt, crediderunt, sed ut cognoscerent crediderunt. Credimus enim ut cognoscamus, non cognoscimus

ut credamus. Quod enim cognituri sumus, nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit. Quid est enim fides, nisi credere quod non vides? Fides ergo est quod non vides credere; veritas, quod credidisti videre. » Et serm. LII (alias LXIII de verbis Domini) n. 2: « Dicat mihi aliquis: Ostende inseparabilem Trinitatem. Memento catholicum te loqui, catholicis loqui. Fides enim nostra, id est, fides vera, fides recta, fides catholica, non opinione præsumptionis, sed testimonio lectionis collecta, nec hæretica temeritate incerta, sed apostolica veritate fundata, hoc insinuat; hoc novimus, hoc credimus. » Cfr epist. CXX ad Consentium, c. 2, n. 8. De Civit. Dei, lib. XIX, c. 18. S. Chrysostomus hom. XXVII in epist. ad Rom. n. 1: « Fides enim obedientia opus habet non curiosa perquisitione. Ac cum Deus præcipit obedire, non curiose inquirere oportet. » Et de incomprehensibili Dei natura, n. 2: « Nihil enim non agunt et moliuntur, ut fidem ab auditorum mente excludant, quo crimine quid gravius contra religionem esse possit? Cum enim Deus quidpiam sancit, quod dicitur fideliter accipiendum est, nec audacter disquirendum. » Et paulo post: « Quid porro est stultitia secundum Christum? Cum proprias cogitationes intempestive furentes comprimimus, cum mentem nostram externa disciplina vacuam efficimus, ut cum oportuerit Christi doctrinam excipere, vacantem illam et mundatam pro divinis admittendis verbis exhibeamus. » Cfr expos. in ps. 115, n. 3. Auctor hom. in ps. 115 inter opera S. Basilii: « Fides sermonibus qui de Deo fiunt, præeat, non demonstratio; fides quæ animum ad assensionem trahit magis, quam methodi ratione innixæ; fides quæ non necessariis geometriæ illationibus, sed Spiritus Sancti opera gignitur. » S. Cyrillus Hierosol. catech. IV, n. 17: « Oportet enim circa divina et sancta fidei mysteria, ne minimum quidem absque divinis scripturis tradi, nec temere probabilitatibus argumentisque in verborum artificio consistentibus

abduci. Ne mihi quidem ista proferenti ultro credas, nisi de divinis scripturis eorum quæ tibi annuntio demonstrationem acceperis. Hæc enim fides cui nostram salutem debemus, non ex commentitia disputatione, sed ex Scripturarum divinarum demonstratione vim habet. »

docetur a scholasticis,

51. SS. Patribus accedit universa Schola, præeunte Doctore Angelico, 2, 2, q. 1, a. 1 : « In fide, si consideremus formalem rationem objecti, nihil est aliud quam veritas prima. Non enim fides, de qua loquimur, assentit alicui, nisi quod est a Deo revelatum. Unde ipsi veritati divinæ fides innititur tanquam medio. »

definitur in concilio Vaticano.

52. Itaque *fides* theologica, motivo seu objecto formali quo manifestatur et propter quod credendum est objectum materiale, ac consequenter modo cognitionis differt a *scientia*. Quæ veritas jam satis tradita fuerat in Concilio Trid. sess. 6, cap. 6, hisce verbis : « Disponuntur ad justificationem dum excitati divina gratia et adjuti, *fidem ex auditu concipientes*, etc. » Postea iterum inculcata fuit ab Innocentio XI per damnationem propositionis 23 : « Fides late dicta, ex testimonio creaturarum similive motivo, ad justificationem sufficit. » Tandem solemniter definita est in concilio Vat. can. 2, cap. 3 : « Si quis dixerit fidem divinam a naturali de Deo et rebus moralibus scientia non distingui ac propterea ad fidem divinam non requiri ut revelata veritas propter auctoritatem Dei revelantis credatur; anathema sit. »

Fidei notionem pervertunt Rationalistæ,

53. Hac sententia proscriptus est non solum error rationalistarum, qui fidem appellantes scientiam rerum divinarum ad religionem pertinentium, pro diversa ratione qua religionem et divinorum scientiam declarant, alias atque alias tradunt fidei definitiones; — sed etiam error semirationalistarum hujus temporis, qui, fidei christianæ notionem pervertentes, cum Hermesio dixerunt eam esse « in nobis statum certitudinis seu persuasionis de veritate rei cognita, in quem statum in-

Hermesiani

ducimur per necessarium assensum rationis theoreticæ vel per necessarium consensum rationis practicæ ; » verbo, *omnem firmam persuasionem rationibus cogentibus theoreticis vel practicis inductam ;* — aut, cum Guntherianis, nomine fidei significari cognitionem causæ ex effectu, fundamenti ontologici ex phænomenis, ontologice prioris ex posteriori ; nempe, *scientiam a posteriori ;* — aut, cum aliis, cognitionem immediatam veritatum quæ non deductæ sint ac demonstratæ ex principiis saltem logice prioribus. Cfr. Franzelin, l. c. Error iste promanat ex confusione naturalis manifestationis Dei et supernaturalis revelationis, atque ipsemet iterum fons est aliorum errorum, quibus supernaturalis dignitas fidei et libertas voluntatis in assentiendo negatur.

et Guntheriani.

54. *Cum igitur actus fidei sit assensus propter auctoritatem Dei loquentis, sequitur, principium fidei duplici veritate constitui, nempe quod Deus sit infallibilis in loquendo, et quod de facto Deus hoc vel illud dixerit.* De quo ita Lugo l. c. s. VII, n. 114 : « Suppono revelationem esse aliquo modo rationem formalem, sive proximam sive etiam ultimam : neque enim intelligo quod aliqui dicunt, sc. primam veritatem esse totam rationem formalem, revelationem vero non esse rationem formalem, sed solum applicationem, quatenus per illam applicatur divina auctoritas huic articulo. Hoc, inquam, non intelligo, quia ego non minus assentio mysterio Trinitatis, quia Deus revelat, quam quia Deus est prima veritas, nec minus me movet unum quam aliud, sed utrumque se habet per modum duplicis præmissæ formalis vel virtualis ad credendam Trinitatem ; quare non video, quomodo assignetur sufficiens discrimen inter unam præmissam et aliam, ut una sit ratio formalis, alia vero solum sit conditio, nisi velis frustra reddere difficilem, sicut sæpe fieri solet, et inintelligibilem doctrinam theologicam. » Hinc subjective omnis actus fidei divinæ necessario includit assensum in tres

Motivum fidei duplici veritate constituitur, sc. divinæ infallibilitatis et divinæ locutionis :

veritates distinctas, nempe : a) in veritatem ipsam revelatam, qui est formalis actus fidei ; b) in auctoritatem Dei, et c) in existentiam talis revelationis divinæ. Cfr. Franzelin, de Fide, c. 4, pag. 560. Ita Lugo, disp. 1, s. VI, n. 77 : « Assensus fidei fit per hunc discursum, sive formalem sive virtualem : Revelatio divina fallere non potest ; Deus autem revelavit Verbum esse hominem ; ergo Verbum est homo ; quæ omnia unico actu possunt attingi, si dicas : Verbum est homo, quia Deus revelavit et revelatio Dei infallibilis est : ecce utrumque principium formale proximum, cui formaliter vel virtualiter innititur fidei assensus. »

utraque nota prærequiritur ad actum fidei ;

55. *Quapropter, ut actus fidei sit possibilis, necessario præsupponi notæ debent duæ prædictæ veritates, nempe divinæ infallibilitatis et existentiæ talis revelationis.* Videndum ergo est quomodo earum notitia in ordine ad fidem sit acquirenda. Advertatur tamen, medium quo cognoscimus fidei principium, non posse dici fidei motivum seu objectum formale, nequidem mediatum, sed tantum ejus conditionem. In quo asentimur Salm. disp. 1 de Fide, dub. V, n. 158 : « Qui asserit se credere aliquem articulum, quia illum prima veritas revelavit, tradit ultimam adæquatamque rationem formalem suæ fidei. Si autem percunctetur, unde sciat prædictum articulum esse a Deo revelatum, jam non quæritur de motivo formali credendi, sed de notitia prævia illius. » Exemplo res melius percipietur : si sententiam aliquam amplectaris quia eam ex ore S. Thomæ audivisti (in supposito quod sis contemporaneus) vel in operibus ejus legisti, vel a viro docto accepisti eam a S. Thoma tradi, tota ratio et sola causa formalis cur talem sententiam admittas, est auctoritas S. Thomæ docentis ; immediata vero auditio, vel lectio in libris, vel viri docti testimonium, sunt media quibus Angelici auctoritas tibi applicatur, et quæ, licet diversæ sint speciei, eodem modo ut *conditiones* sese habent ad assensum tuum, et sese invicem supplere possunt.

56. *Porro dicendum videtur, contra Suarez aliosque, utramque illam veritatem, divinæ infallibilitatis et existentiæ talis revelationis, quatenus objectum formale actus fidei constituit, debere aliunde cognosci quam ex divina revelatione.* Ratio est, quia alioquin incidimus in circulum inexplicabilem : nam si Incarnationem credis, quia Deus est summe verax et id revelavit, et rursum Deum esse summe veracem credis, quia Deus id de se revelavit, quæro, cur credas Deo dicenti se esse summe veracem ? Dicis, quia Deus est summe verax : ecce Deo dicenti credis summam ejus veracitatem, quia ipse est summe verax, et rursus hoc totum credis, quia Deus dicit se esse summe veracem. Quod, quantumcumque explicetur, totum est ludere verbis, cum nunquam reducatur assensus ad aliquem assensum immediatum alicujus objecti, cui non propter aliud, sed propter seipsum assentiamur... Confirmarique potest ; nam licet non esset revelatum in particulari Deum esse primam veritatem, adhuc possent revelari alia mysteria, et credi per fidem; imo ad assentiendum, quod Deus sit prima veritas, parum juvant miracula in confirmationem fidei patrata : hæc enim solum testantur Deum revelare mysteria fidei, non vero esse veracem : finge namque Deum esse mendacem ; adhuc posset patrare miracula ad captandam sibi fidem apud homines. Quod ergo Deus sit prima veritas, habetur independenter a revelatione, sicut cognoscitur etiam Deum esse justum, bonum, sanctum, etc. » Lugo, disp. I, sect. VI, n. 82, 83.

et quidem alia via quam per divinam revelationem.

57. *Jam vero divina infallibilitas in loquendo ratione cognoscitur, et quidem immediate ; includitur enim in notione Dei entis perfectissimi.* Sic Franzelin l. c., pag. 574 : « Infallibilitas Dei in cognoscendo et loquendo, ex intrinseca sua ratione menti affulget, sive sub forma hypothetica : si Deus loquitur, ejus verbum est infallibile ; sive sub forma absoluta, præsupponendo acquisitam cognitionem Dei exi-

Divina infallibilitas includitur in notione entis perfectissimi.

stentis velut conditionem : Deus est infallibilis in loquendo. » Cfr Lugo, disp. I, sect. VI.

Divina locutio cognoscibilis est per suos characteres, miracula sc. et prophetias.

58. *Ipsa autem locutio divina, sive immediata sit sive mediata, specialibus quibusdam signis, iisque certis, cognoscibilis esse debet.* Hoc enim exigitur a divina sapientia et bonitate. *Signa autem divinæ locutionis, præsertim mediatæ, sunt miracula et prophetiæ,* prout docetur in concilio Vat. const. *Dei Filius*, c. 3 : « Ut nihilominus fidei nostræ obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus, cum internis Spiritus Sancti auxiliis, externa jungi revelationis suæ argumenta, facta scilicet divina, atque imprimis miracula et prophetias, quæ, cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinæ revelationis signa sunt certissima, et omnium intelligentiæ accommodata. Quare, tum Moyses et Prophetæ, tum ipse maxime Christus Dominus multa et manifestissima miracula et prophetias ediderunt; et de Apostolis legimus : *Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante, sequentibus signis.* Et rursum scriptum est : *Habemus firmiorem propheticum sermonem cui bene facitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco.* » Huc etiam pertinent ejusdem cap. canones 3us et 4us : « Si quis dixerit, revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, ideoque sola interna cujusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere; anathema sit. » — « Si quis dixerit, miracula nulla fieri posse, proindeque omnes de iis narrationes, etiam in sacra Scriptura contentas, inter fabulas vel mythos ablegandas esse; aut miracula certo cognosci nunquam posse, nec iis divinam religionis Christianæ originem rite probari; anathema sit. » Hæc opponuntur hodierno multorum protestantium errori, qui speciem pietatis quandoque assumens, eo plus habet periculi. Sane, si rejectis vel suo valore exutis criteriis extrinsecis, quibus Deus suam

revelationem velut sigillis divinis cognoscibilem reddidit, totum revocetur ad internam experientiam et ad sensum internum, nullus amplius remanet modus certus discernendi revelationem veram a fictitia. Ille enim sensus, secundum providentiam ordinariam, non subest experientiæ sub formali ratione quatenus sit supernaturalis, et si sejungatur a criteriis extrinsecis, patet illusionibus gravissimis. Unde etiam videmus homines pro religione falsa et erroribus manifestis appellare ad experientiam et ad sensum internum, quem ipsi tribuunt Spiritui Sancto. Cfr Jungmann, op. cit. n. 111 et sqq.

Miracula et prophetiæ sunt argumenta divinæ missionis legatorum,

59. *Sunt igitur miracula et prophetiæ imprimis argumenta divinæ missionis eorum qui nomine Dei loquuntur, et veritates tanquam a Deo revelatas promulgant.* Ii vero qui ipsos audiunt, has veritates fide divina credere possunt propter auctoritatem Dei. Deum vero easdem veritates de facto dixisse, certo tenent, quia ita testantur illi qui se ad hoc a Deo missos demonstrant. Ubi vides locutionem Dei esse motivum cur veritatibus assensus præstetur, legatorum vero testimonium non esse causam propter quam auctoritati divinæ deferatur, sed solummodo medium quo hæc auctoritas cognoscatur.

et consequenter signa ipsius divinæ locutionis ;

60. Quamvis autem hæc jam sufficiant ad fidem explicandam, possunt nihilominus *miracula et prophetiæ dici signa ipsius divinæ locutionis*, quatenus in persona legati Deus ipse loquens exhibeatur ; sicut, dum audimus legatum regis, qua talem, verba ejus admittimus ut regia, non quia reflexe legatus testatur esse verba regis, sed quia in ipso regem loquentem habemus.

imo ipsam locutionem divinam ingrediuntur ;

61. *Imo eadem signa vere dici possunt pars locutionis divinæ, quæ quasi verbis et factis componatur*, prout pulchre explicavit Lugo l. c. s. VII, n. 122 : « Loquitur autem Deus sicut expedit ipsum loqui cum hominibus percipientibus objecta per sensus materiales, nimirum taliter proponendo my-

steria, talia miracula operando, ut, non solum auribus, sed visu etiam percipiamus vocem Dei loquentis nobiscum. Ideo enim Paulus ad Heb. II, 4, miracula dixit esse quamdam Dei locutionem : *contestante*, inquit, *Deo signis et portentis ;* ubi Theodor. ait, « Deum per miracula ferre prædicationis testimonium.» Sunt ergo miracula ipsa aliquomodo vox Dei; unde Augustinus, epist. XLIX, q. VI, absolute dixit : « Deus mirabilibus operibus loquitur. » Sive hanc velis appellare vocem, sive melius litteras, vel nutus, quibus nobis suos conceptus exprimit... » Cfr etiam Franzelin l. c. pag. 568 et 572, ubi præclare scribit facta illa divina esse totidem radios, quibus verbum propositum ut divinum resplendet, et suam originem divinam manifestat.

et hoc sensu assensus in locutionem divinam dici potest immediatus.

62. *Hoc sensu assensus in existentiam revelationis hujus vel illius veritatis optime dicitur immediatus.* Ne tamen hoc præpostere intelligatur, sedulo advertendum est, propositionem cui immediate assentimur, non esse: Mysterium Trinitatis est a Deo revelatum, sed hanc : *Locutio illa* (in concreto spectata) qua dictum est esse tres personas in unitate essentiæ, est *divina*. Hoc expressit Ripalda dicendo,« revelationem immediate movere assensum fidei, non præcise apprehensam secundum prædicata intrinseca, sed etiam secundum prædicata extrinseca; » de Fide, disp. 3, s. IV, n. 54. Rem optime explicavit Lugo, l.c. n. 122, 123 : « Sicut, quando lego epistolam amici, immediate ex visione scripturæ, quam cognosco, judico amicum meum loqui..... : sic etiam, considerans miracula et signa, quibus Deus mihi loquitur, licet non videam clare esse litteras vel vocem Dei, apparet tamen id obscure, sed immediate, et cum tanta proportione ut prudenter imperet voluntas eum assensum elici absque ulla formidine. Dices illum assensum esse mediatum, quia præsupponit hunc discursum : omnis testificatio taliter facta est locutio Dei; hæc est testificatio ta-

lis; ergo hæc est locutio Dei. Respondeo negando antec. Sicut enim quando audio Petrum, non discurro : omnis vox talis est vox Petri, hæc est talis, ergo; sed comparo immediate vocem, quam audio, cum idea vocis Petri, quam habeo, et dico : hæc est sicut illa; sic in præsenti; quando video mihi proponi mysterium Incarnationis ut revelatum a Deo, et proponi cum tanta copia miraculorum, martyrum, doctorum, cum tanta concordia sæculorum, conformitate cum ratione, etc., comparo istam propositionem cum idea quam habeo de locutione mediata Dei ; et, licet non evidenter, judico tamen ex terminis : talis modus proponendi est omnino modus dignus Deo... » Et rursus, n. 131 : « Sicut apparatus et comitatus quo legatus regius venit ad Pontificem, ostendit illum esse legatum regium ; et quidem quando loquitur, ego judico eum loqui ex parte sui regis, non quidem propter auctoritatem famulorum, qui ipsum comitantur, sistendo in ipsis, sed quia ex terminis mihi constat, orationem, cum tanto apparatu et talibus circumstantiis factam, esse orationem legati regii et non privati hominis; sic etiam ex terminis non quidem evidenter sed obscure apparet, doctrinam, quæ mihi cum tantis miraculis et cum tanto apparatu proponitur, proponi quidem non auctoritate privata sed divina : itaque non credo hoc propter testimonium hominum proponentium, sed quia est legatio divina, quam componunt etiam partialiter in ratione legationis ipsa miracula, et reliquus apparatus famulorum et circumstantiarum, quæ integrant hanc propositionem, qua mihi proponitur mysterium credendum. Quam sententiam omnium clarissime videtur tradidisse S. Thomas in III, dist. XXIII, q. 2, art. 2, quæstiunc. 2, ad 3; cum enim opposuisset quod actus fidei non sit credere Deo, sed potius credere homini, hoc est, nuntio Dei ; respondet nos credere non homini ut homini, sed quatenus in eo Deus loquitur, seu Deo in homine loquenti. »

Hinc miracula et prophetiæ, sub diverso respectu,

63. Ex dictis jam deduci potest, miracula et prophetias, in ordine ad fidem, considerari posse sub quadruplici respectu. Videlicet a) considerari possunt quatenus sunt pars locutionis divinæ, et sub hoc respectu intrinsece pertinent ad motivum seu *objectum formale fidei*; b) considerari possunt prout distinguuntur a verbis, et sub hoc respectu sunt *signa quæ divinitatem locutionis reddunt certo intelligibilem*; c) considerari possunt prout referuntur ad personas quibus Deus utitur ad loquendum nobiscum, et sub hoc respectu sunt *argumenta divinæ earum missionis*; tandem d) considerari possunt prout referuntur ad veritates quæ proponuntur ut revelatæ, et sub hoc respectu sunt proprie dicta *motiva credibilitatis*. Cfr Franzelin, l. c. pag. 574.

sunt objectum fidei formale; vel signa divinitatis locutionis,

vel argumenta divinæ legationis,

vel motiva credibilitatis.

Locutio divina ad omnes homines transmittenda est:

64. Porro locutio divina per legatos, quæ prædictis signis et modis cognoscibilis est, per se tamen est factum transitorium et locale; adeoque illi, qui tempore vel loco distant, credere nequeunt nisi illud factum ad ipsos transmittatur per fidelem relationem. Hæc autem relatio non est motivum fidei, sed solum medium applicationis hujus motivi, quemadmodum visio est medium applicationis quoad præsentes. Non minus autem in hoc secundo casu *visionis* quam in primo *acceptionis per relationem*, assensus in existentiam divinæ locutionis et fides supponit certam cognitionem multarum veritatum ordinis naturalis, logici et psychologici.

transmissio autem per medium mere humanum non sufficit ad fidei unitatem et universalitatem;

65. Quamvis ergo fides absolute possibilis esset, etiamsi locutio divina mansisset mere transitoria, et non haberetur nisi auctoritas mere humana hanc locutionem nobis transmittens, fidei tamen *unitas* et *universalitas*, quæ sunt duo postulata necessaria religionis revelatæ, in hac hypothesi consistere non possent. Cfr Franzelin, de Trad. th. VI.

hinc a Christo Domino institutum est medium su-

66. *Quapropter ut eamdem fidem omnibus possibilem et obligatoriam redderet, Christus Dominus organon vivum instituit, Ecclesiam scilicet, in qua et per quam sua locu-*

tio, in plenitudine temporum completa, omnibus hominum generationibus facile cognoscibilis sisteretur. Ita concilium Vaticanum, l. c. c. 3 : « Ut officio veram fidem amplectendi, in eaque constanter perseverandi satisfacere possemus, Deus per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituit, suæque institutionis manifestis signis instruxit, ut ea tanquam custos et magistra verbi revelati ab omnibus posset agnosci. Ad solam enim catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia, quæ ad evidentem fidei christianæ credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita. Quin etiam Ecclesia per seipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis fœcunditatem, ob catholicam unitatem, invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis, et divinæ suæ legationis testimonium irrefragabile. Quo fit, ut ipsa veluti signum levatum in nationes, et ad se invitet qui nondum crediderunt et filios suos certiores faciat, firmissimo niti fundamento fidem quam profitentur. »

supernaturale ad hoc aptissimum, sc. Ecclesia.

67. Est itaque Ecclesia legationis, quæ in Apostolis erat ad revelationem promulgandam, perpetua continuatio ad eamdem revelationem conservandam et explicandam.

Ecclesia, veritates revelatas proponens, spectari debet duplici modo :

68. Ecclesiæ autem doctrina spectari imprimis debet, nondum supposita fide in infallibilitatem magisterii Pontificis et Episcoporum : sub quo respectu hæc doctrina habenda est ut vox et locutio societatis quæ, supernaturalibus quibus instructa est characteribus, manifesto ostendit se legationem a Deo accepisse ad homines dirigendos. Quapropter veritates, quæ a tali societate dicuntur a Deo revelatæ, necessario sunt verbum Dei, et propter Dei auctoritatem credi debent.

sc. nondum supposita fide in infallibilitatem magisterii authentici,

69. Verum inter veritates, quas Ecclesia tali modo considerata docet, reperitur etiam infallibilitas authentici magisterii sub assistentia Spiritus Sancti. Supposita ergo hac

vel hac fide jam supposita :

infallibilitate distincte cognita et fide credita, propositio Ecclesiæ est quidem medium a Christo institutum ut credentes veritates fidei omnes in complexu sine admixtione erroris cognoscant, non est tamen medium ad omnem actum fidei necessarium, cum secus esset incidendum in circulum vitiosum. Interroganti enim : quare credis hoc mysterium ? deberes primo respondere : quia Deus revelavit; urgenti : quomodo scis Deum revelasse ? secundo responderes : quia Ecclesia, cui infallibiliter assistit Spiritus Sanctus, hoc credendum proponit ; ulterius instanti : quare credis Ecclesiæ assistere Spiritum Sanctum ? dicere oporteret, quia Deus revelavit : ecce igitur manifestum circulum, dum probas divinam revelationem ex auctoritate Ecclesiæ, et auctoritatem Ecclesiæ ex divina revelatione. Cfr Lugo, disp. I, s. V., n. 52 ; Franzelin, l. c. pag. 590.

utroque modo propositio Ecclesiæ est saltem motivi formalis applicatio,

70. Sive autem uno sive altero modo spectetur, *propositio Ecclesiæ* est saltem objecti formalis fidei seu divinæ revelationis olim completæ applicatio; et sic Ecclesia vocatur *fidei regula proxima*. Non desunt quidem Theologi qui existimant Ecclesiæ propositionem solummodo esse objecti formalis applicationem, minime vero dici posse ipsum fidei objectum formale. Ita v. g. Wirceburgenses, c. 3, a. 3, n. 165 : « Auctoritas Ecclesiæ seu definitio ac propositio ejusdem, etiam ut habentis assistentiam Spiritus Sancti, non est motivum fidei intrinsecum : cum non sit moraliter verbum Dei et revelatio reflexa de directa revelatione, sed solum propositio et applicatio externa infallibilis revelationis divinæ... Quippe Deus Ecclesiæ aliquid definienti aut credendum proponenti, nec revelat novam veritatem aut prius jam revelatam recens aperit, nec illi præcipit ut ejusmodi revelationem nomine Dei proponat; sed solum illi assistit, ne in revelationis olim factæ sensu vero designando, aut controversiam decidendo, aut particulari universalem applicando erret. » Alii tamen arbitrantur verita-

imo dici po-

tis *revelatæ* propositionem pertinere ad objectum formale fidei, quatenus nimirum consideratur ut Dei, per suum instrumentum loquentis, vox quasi permanens ac semper resonans, imo et immediate cognoscibilis in quantum verbis et factis constans. Cfr Franzelin, op. cit., pag. 592, et Lugo, disp. I, s. VII, n. 131, ubi postquam retulit verba S. Thomæ, in III, dist. XXIII, q. 2, a. 2, quæstiunc. 2, ad 3, hisce pergit : « In hoc etiam sensu videntur intelligendi auctores illi, qui assensum fidei resolvunt partialiter in auctoritatem Ecclesiæ, prout Ecclesia gubernatur a Spiritu Sancto... Quæ doctrina vera esse potest in sensu explicato, quatenus scilicet auctoritas Ecclesiæ non consideratur præcise ut humana, sed ut componens et integrans organum mediatum proportionatum, per quod in his circumstantiis intelligitur Spiritus Sanctus proponere mediate mysteria credenda. »

test ad motivum formale pertinere.

71. Cæterum, juxta omnes, si assensus detur propter ipsius Ecclesiæ, etiam infallibilitatis prærogativa instructæ, auctoritatem, non propter auctoritatem Dei, saltem ut in sua Ecclesia loquitur, non habetur fides divina, sed *fides ecclesiastica mediate divina*. Talis enim assensus præstatur verbo Ecclesiæ, et quia Ecclesia, cui Deus assistit, illud dixit, non quia Deus dixit. Hujusmodi fide v. g. credimus veritates ordinis naturalis, quæ, utpote necessariæ ad divinam revelationem custodiendam et defendendam, ab Ecclesia fuerunt infallibiliter definitæ. Cfr Franzelin, de Trad., pag. 111-113.

Assensus datus formaliter propter auctoritatem Ecclesiæ infallibiliter definientis, est fides ecclesiastica :

72. Infra fidem ecclesiasticam mediate divinam, habetur assensus qui dicitur *religiosus*, præstitus nempe Ecclesiæ *prospicienti securitati* doctrinæ, et propter auctoritatem *universalis providentiæ*, non tamen *definienti* et propter auctoritatem *infallibilitatis*. Cfr Franzelin, de Trad. pag. 116-118. De hoc assensu loquitur etiam Summus Pontifex Pius IX, in celebri sua epist. ad Archiepiscopum Monachiensem, die 21 Dec. 1863 scripta : « Persuadere nobis volumus, noluisse

datus autem propter auctoritatem Ecclesiæ non definientis infallibiliter, est assensus religiosus ;

(eos qui conventui litterario Monachiensi interfuerant) obligationem, qua catholici magistri ac scriptores omnino adstringuntur, coarctare in iis tantum, quæ ab infallibili Ecclesiæ judicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur... Namque etiam si ageretur de illa subjectione, quæ fidei divinæ actu est præstanda, limitanda tamen non esset ad ea, quæ expressis œcumenicorum conciliorum aut Romanorum Pontificum, hujusque Apostolicæ Sedis decretis definita sunt, sed ad ea quoque extendenda, quæ ordinario totius Ecclesiæ per orbem dispersæ magisterio tanquam divinitus revelata traduntur, ideoque universali et constanti consensu a catholicis Theologis ad fidem pertinere retinentur. Sed cum agatur *de illa subjectione, qua ex conscientia ii omnes catholici obstringuntur*, qui in contemplatrices scientias incumbunt, ut novas suis scriptis Ecclesiæ afferant utilitates, idcirco ejusdem conventus viri agnoscere debent, sapientibus catholicis haud satis esse, ut præfata dogmata recipiant ac venerentur, verum etiam opus esse ut se subjiciant tum decisionibus, quæ ad doctrinam pertinentes a Pontificiis Congregationibus proferuntur, tum iis doctrinæ capitibus, quæ communi et constanti catholicorum consensu retinentur ut theologicæ veritates et conclusiones ita certæ, ut opiniones eisdem doctrinæ capitibus adversæ, quanquam hæreticæ dici nequeant, tamen aliam theologicam merentur censuram. » Item in epist. Card. Patrizi, die 30 Aug. 1866 scripta ad Arch. Mechliniensem, legitur: « Viri catholici, multo vero magis ecclesiastici, id muneris habent ut decretis S. Sedis plene, perfecte, absoluteque se subjiciant, e medio sublatis contentionibus quæ sinceritati assensus officerent. »

demum, præstitus propter motivum partim revela-

73. Tandem assensus est mere theologicus: a) si datur conclusioni non totaliter contentæ in principio revelato, sed partialiter deductæ ex una præmissa revelata, altera vero non

revelata ; — b) item, si conclusioni totaliter contentæ in principio revelato datur formaliter propter legitimitatem consequentiæ ;— c) similiter, si propositioni certo demonstratæ ex SS. Litteris et traditione præstatur præcise propter vim et efficaciam argumentorum. Vocatur autem hujusmodi assensus *theologicus,* quia nec solis principiis revelatis, nec solo motivo a ratione subministrato innititur. Ita Lugo, disp. I, s. XIII, n. 287 : « Quando conclusio illata ex duabus revelatis creditur solum propter illas, non creditur de fide, sed solum est conclusio theologica... Ratio quæ me movet, hæc est, quia ea quæ per fidem credimus, Deo credimus, et ideo credimus super omnia, quia divinæ auctoritati supremus cultus intellectualis debetur... : ea autem quæ credimus, quia sequuntur ex revelatis, non credimus soli Deo, movemur enim non solum a divina auctoritate revelante præmissas, sed etiam a connexione objecti præmissarum cum objecto conclusionis, quam connexionem non cognoscimus nec credimus quia Deus eam revelavit, sed lumine intellectuali ex terminis nobis apparet, atque ideo ad credendum objectum conclusionis partim movemur a testimonio divino, partim a connexione unius objecti cum alio ; non ergo possumus credere per fidem objectum conclusionis, cum illud non credamus soli Deo, nec divinum testimonium solum nos moveat ad illud credendum, sed ille assensus est inferioris ordinis et minus perfectus, cum debeamus illum modum superiorem assentiendi reservare ad omnia objecta quæ Deo credimus. » Cfr etiam n. 299, et rursus n. 335. Porro licet assensus fidei non possit esse nisi firmissimus, prout inferius demonstrabitur, assensus tamen theologicus potest esse cum formidine de opposito, quo casu appellatur opinio theologica; idque tripliciter potest accidere : vel quod non certo constat propositionem instar principii in præmissis assumptam ex fontibus revelationis, in eo sensu quo assumitur, contineri in revelatione — vel quod propo-

tum partim non revelatum, vocatur assensus theologicus.

sitio assumpta rationalis non est certa, sed solum probabilis; — vel quod non est certa legitima consequentia atque deductio. Cæterum assensus theologicus vel etiam theologica opinio consistere potest circa idem objectum cum assensu fidei. Cfr Franzelin, de Deo uno, pag. 14-22.

ARTICULUS IV.

DE PROPRIETATIBUS ACTUS FIDEI.

Quatuor actus fidei proprietates.

74. Quatuor præcipuæ sunt actus fidei theologicæ proprietates, quæ hic veniunt explicandæ, sc. libertas, supernaturalitas, firmitas et infallibilitas.

§ I.

De actus fidei libertate.

Fides multiplici sensu libera.

75. Non agimus in præsenti de actus fidei libertate *moali*, quæ est immunitas ab obligatione, sed de libertate *physica*, quæ est immunitas ab intrinseca necessitate assentiendi objecto revelato. Hæc autem libertas physica vel est tantum *exercitii*, consistens scilicet in possibilitate divertendi cogitationem ab objecto, vel etiam *specificationis*, consistens nimirum in possibilitate dubitandi de veritate propositionis singularis, et eam negandi.

Actum fidei liberum esse libertate specificationis,

76. Jam vero asserimus *actum fidei theologicæ liberum esse non solum libertate exercitii sed etiam libertate specificationis.*

probatur ex Scripturis,

77. Colligitur hæc veritas ex sacris litteris, nominatim Deut. I, 26, XXVIII, 15; Ps. LXXX, 12; Is. LXV, 1-3; Matth. VIII, 10, IX, 22, XV, 28; Marc. XVI, 15, 16; Joan. III, 18, VI, 68, XII, 37, XV, 22; Act. VII, 51, XIII, 46, XVII, 32-34; Rom. III, 30, IV, 3, X, 16-21; Gal. III, 8; 1 Tim. V, 8; Heb. XI, seqq.; Apoc. II, 19, etc. Ete-

nim a) his in locis non credentes reprehenduntur, obnitentes improbantur, laudantur credentes, fidei præmium adscribitur, quæ omnia minime intelligi possent, si actus assentiendi verbo Dei a libera hominis voluntate non penderet : *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas.—Dura cervice, et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis : sicut patres vestri ita et vos.— Exprobavit incredulitatem eorum et duritiam cordis. — Qui non crediderit, condemnabitur.—Novi opera tua, et fidem et caritatem tuam, et ministerium et patientiam tuam.—Confide, filia : fides tua te salvam fecit. – Quoniam quidem est unus Deus, qui justificat circumcisionem ex fide, et præputium per fidem.* Præterea b) in citatis locis habetur, posita eadem Evangelii prædicatione, quosdam credere, quosdam non credere : quo quidem indifferentia quoad specificationem ostenditur : *Numquid et vos vultis abire? — Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum. — Si non venissem, et locutus fuissem eis, peccatum non haberent : nunc autem excusationem non habent de peccato suo. — Cum audissent autem resurrectionem mortuorum quidam quidem irridebant, quidam vero dixerunt : Audiemus te de hoc iterum... Quidam vero viri, adhærentes ei, crediderunt. — Sed non omnes obediunt Evangelio ; Isaias enim dicit : Domine quis credidit auditui nostro ? Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Sed dico : Numquid non audierunt ? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.*

78. Unanimes sunt SS. Patres in eadem doctrina adstruenda. Sic imprimis S. Irenæus, contra hæreses, lib. IV, c. 37 (al. 72), n. 5 : « Et non tantum in operibus sed etiam in fide liberum et suæ potestatis arbitrium hominis servavit Dominus. » Item Clemens Alex. Strom., lib. V, c. 1, fidem dicit

traditur a SS. Patribus,

« animæ libero arbitrio utentis rationalem assensionem ; » et lib. VII, c. 3 : « Credere quidem et parere est in nostra potestate. » Theodoretus autem, serm.1 de Fid.,fidem ex usu christiano « voluntariam animi assensionem » esse definit. S. Hilarius Pict., lib. VIII de Trin. n. 10 : « Extra evangelica promissa est, quisquis extra fidem eorum est : et impiæ intelligentiæ crimen spem simplicem perdidit. Habet enim non tam veniam quam prœmium, ignorare quod credas : quia maximum stipendium fidei est, sperare quæ nescias. At vero ultimæ impietatis furor est, aut intellecta non credere, aut intelligentiam corrupisse credendi. » S. Ambrosius, in ps. 118, serm. 5, n. 44 : « Qui autem non credunt, non Christi judicio damnati sunt, qui venit non ut judicet mundum, sed ut salvet et redimat; sed impietatis suæ subiere judicium, qui in remissionem peccatorum credere noluerunt. Non enim possunt ad ejus pertinere beneficium, quem cognoscere refutarunt. » Et mox, n. 45 : « Ecce amat libertatem fidei, qui libertatem dedit.» Cfr. etiam epist. 7, n.2. S.Aug. in Joh., tr.XXVI, n.2 : « Intrare quis Ecclesiam potest nolens, accedere ad altare potest nolens, accipere sacramentum potest nolens. Credere non potest nisi volens. » Et de Prædest. Sanct., c. V, n. 10 : « Ac per hoc ubi dicitur, *Quis enim te discernit ? Quid autem habes quod non accepisti ?* Quisquis audet dicere : habeo ex meipso fidem, non ergo accepi ; profecto contradicit huic apertissimæ veritati : non quia credere vel non credere non est in arbitrio voluntatis humanæ, sed in electis præparatur voluntas a Domino.Ideo ad ipsam quoque fidem, quæ in voluntate est, pertinet, *Quis enim te discernit ?* » Tandem S. Bernardus, de Consid., lib. 5, cap. 3 : « Fides est voluntaria quædam et certa prælibatio necdum propalatæ veritatis. » Cfr. supra, n. 28 et 50.

docetur a scolasticis,

79. SS. Patres sequitur universa Schola cum Angelico Doctore, 2.2, q. 2, a. 1, ad 3 : « Intellectus credentis determi-

natur ad unum, non per rationem, sed per voluntatem ; et ideo assensus hic accipitur pro actu voluntatis, secundum quod a voluntate determinatur ad unum. » Et ibid. a. 2, ait « credere ad intellectum pertinere prout est a voluntate motus ad assentiendum ; » ac rursus q. 4, a. 5 : credere est « actus intellectus assentientis vero ex imperio voluntatis ; » eodem modo 2. 2. q. 2, a 9, ad 2. Cfr. Alex. Alensis, III p. q. LXVIII, memb. 8, a. 1 ; S. Bonaventura, III p., dist. XXIII, a. 9, q. 2 ; Suarez, disp. VI, s. 6, n. 4 ; Lugo, disp. X s. 1, etc.

definitur in conciliis.

80. Hinc eadem doctrina sancita est in pluribus conciliis : scilicet, in Arausicana synodo II, c. 5 : « Si quis autem sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affectum, quo in eum credimus qui justificat impium, et ad generationem sacri baptismatis pervenimus, non per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritus Sancti, corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturaliter nobis inesse dicit ; apostolicis dogmatibus adversarius approbatur, beato Paulo dicente : *Confidimus, quia qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet usque in diem Domini nostri Jesu Christi* (Phil. I, 6). Et illud : *Vobis datum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini* (Phil. I, 29) ; et : « *Gratia salvi facti estis per fidem, et hoc non ex vobis ; Dei enim donum est* (Eph. II, 8). Qui enim fidem, qua in Deum credimus, dicunt esse naturalem, omnes eos, qui ab Ecclesia Christi alieni sunt, quodammodo fideles esse definiunt. » Et in Tol. IV, c. 57 : « Sicut homo propria arbitrii voluntate serpenti obediens periit, sic, vocante gratia Dei, propriæ mentis conversione homo quisque credendo salvatur. » In concilio autem Trid., sess. VI, c. 6 : « Disponuntur ad ipsam justitiam dum, excitati divina gratia et adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse quæ divinitus revelata et promissa sunt. » Tandem in conc. Vat., c. III, di-

citur actus fidei esse opus « quo homo liberam præstat ipsi Deo obedientiam, gratiæ ejus, cui resistere posset, consentiendo et cooperando.» Ac can. 5 : « Si quis dixerit, assensum fidei christianæ non esse liberum, sed argumentis humanæ rationis necessario produci...; anathema sit. »

Error Hermesii.

81. Qua sententia solemniter proscriptus est error Hermesii aliorumque semirationalistarum hujus ætatis; aiunt scilicet « fidem cognitionis, » hoc est, fidem qua assensus præstatur veritati, consistere « in consensu necessario, qui inducitur per argumenta pro veritatibus religionis christianæ, et in necessaria (coacta) persuasione de veritate demonstrata. » Juxta ipsos igitur assensus fidei non est liberæ voluntatis, sed est persuasio necessaria inducta rationibus cogentibus; quæ necessitas assensus si desit, putant non aliud remanere quam vanam credulitatem, « etiamsi forte per accidens verum sit quod creditur. » Cfr. Dogm. III p. § 282 seqq.; Introd. philos. ad theol. pag. 259.

Libertas actus fidei supponit objecti inevidentiam;

82. Porro cum libertas assensus non reperiatur ubi adest evidentia, sequitur, objectum fidei theologicæ non posse esse evidens, sed debere *aliquo modo* esse obscurum; in quo tamen determinando nonnullæ existunt difficultates, quas jam resolvemus. Interim advertatur, proprie sermonem fieri non posse de evidentia vel obscuritate *actus* fidei, sed de evidentia vel obscuritate ipsius *objecti*.

ad eam tamen non sufficit inevidentia objecti materialis;

83. Jam vero ad libertatem actus fidei non sufficit inevidentia intrinseca objecti materialis, puta mysterii SS. Trinitatis. Cum enim assensus formalis fidei sit quasi conclusio ex duabus præmissis, qui illas præmissas necessario judicio admitteret, non posset ipsam conclusionem rejicere. Et sane « negatio vel dubitatio in conclusione (tres sunt divinæ personæ) jam continet negationem vel dubitationem de alterutra præmissarum; hoc scilicet ipso quod quis dubitat vel negat tres esse divinas personas, jam dubitat vel negat, quidquid

Deus dicit esse verum, aut Deum hoc dixisse, aut utrumque simul. Nemo enim potest dubitare de evidenti consequentia : si quidquid Deus dicit, est verum, et si Deus dicit tres esse divinas personas, evidenter consequi verum esse hoc a Deo dictum, tres esse personas divinas. » Franzelin, l. c. pag. 577. Et paulo post : « Dubitatio de veritate propositionis singularis una cum judicio actuali et firmissimo, eam contineri in propositione generali, et propositionem generalem esse certissimam,.... profecto consistere non potest. Nam dum assentiris objecto utrique formali, jam virtualiter assentiris veritati ipsi revelatæ ; si ergo assensus ille prior esset necessarius, posterior non posset esse liber, nisi forte illa libertate divertendi cogitationem, de qua non agitur. » Ibid. Ac rursus : « Si objectum formale, in utraque sua parte esset evidens, etiam cum evidentia manifestaret existentiam, quamvis non declararet intrinsecam rationem objecti, quod creditur; unde jam non esset libertas in credendo existentiam talis veritatis, utpote evidenter manifestatam. » Plura legi possunt apud Lugo, disp. II, s. 1.

84. Quinimo, juxta multorum sententiam valde fundatam, intrinseca inevidentia objecti materialis non requiritur quidem ad libertatem actus fidei. Theologi namque satis perspicue docent, minime pugnans esse ut eadem veritas et ratione demonstretur et libero fidei actu credatur. Sane cum duo occurrunt rationum momenta inter se distincta, ac in suo ordine digna propter quæ veritati propositæ assensus adhibeatur, nihil est quod impediat, quominus mens duplici distinctoque actu propter duplex, diversum, atque in suo ordine sufficiens motivum, eidem veritati adhæreat. Imo ita fieri posse necesse est, ne quæ momenta rationum ad promovendum assensum sufficientia ponuntur, reipsa sufficientia esse negentur. Atqui, objectum divina revelatione comprehensum quoties est hujusmodi, ut illius veritas rationis lu-

imo hæc inevidentia probabilius non requiritur :

mine dispiciatur, toties duo concurrunt rationum momenta diversi ordinis atque in se sufficientia ad assensum promerendum. Concurrunt nimirum hinc mentis intuitio et hinc testantis auctoritas. Ergo hisce in adjunctis nihil impedit, quominus duplici actu, scientiæ altero et altero fidei, eadem veritas teneatur. Neque actus proinde fidei desinit esse liber ; rationis enim momentum propter quod elicitur, quodque dicentis auctoritate continetur, minime efficit ut animo evidenter affulgeat veritas articuli, qui proponitur. Quæ veritas, licet evidens sit propter medium, cui actus scientiæ innititur, non est tamen evidens quatenus revelata est. Atqui assensus fidei circa eam veritatem non utcumque, sed quatenus revelata est, versatur. Hinc necessaria quadam consecutione descendit, veritatem quæ, quatenus ratione intelligitur, non admitti nequit, posse tamen tanquam revelatam negari. » Schrader, de Fide, n. 52. Cfr Suarez, disp. III, s.9, n.7, seqq. ; Valentia, disp. I, q. 1, pu. 4, § 2 ; Lugo disp. II, s. 2; Franzelin, de Deo uno, th. IX, n. 2.

sed requiritur et sufficit inevidentia objecti formalis.

85. Itaque ad libertatem actus fidei requiritur et sufficit inevidentia objecti formalis, saltem partialiter sumpti. Difficultas vero objecti materialis solum efficere potest, ut, supposita libertate, assensus eidem denegetur.

Infallibilitas divina generatim evidens.

86. Porro ex duplici principio, quo constituitur objectum formale, primum, scilicet infallibilitas Dei in loquendo, tale est, ut vix non omnibus evidenter appareat, adeoque assensus in illud fere semper erit necessarius.

Divina vero locutio non evidens licet certa.

87. Hinc alterum principium, sc. factum divinæ locutionis hujus vel illius veritatis, nec est, nec juxta præsentem œconomiam, esse potest evidens. Rationes nempe, quæ pro divina locutione afferuntur, sunt *evidenter graves*, illamque *certam* reddunt, atque excludunt *prudentem* formidinem de opposito ; non tamen divinam locutionem faciunt *evidentem*, ita ut locum habere nequeat formido de opposito saltem imprudens.

Uno verbo: veritates revelatæ sunt evidenter credibiles, revelatio tamen ipsa non est evidens. Unde, « si quis existimet, aliquando, saltem primis fidei promulgatoribus, prophetis et Apostolis, fuisse stricto sensu evidentem divinitatem revelationis; in hac hypothesi, assensus in rem dictam posset quidem appellari actus fidei, quia fuisset assensus propter cognitam auctoritatem Dei revelantis; attamen assensus liber non fuisset, et ideo alterius rationis censeri deberet ac est virtus fidei nostræ; unde aliqui talem assensum malunt dicere *cognitionem propheticam* quam fidem. Ex hoc autem ipso apparet, etiam illos sanctos Dei homines saltem non in omnibus veritatibus revelatis habuisse talem stricte dictam evidentiam revelationis, quia sane virtutem fidei meritoriam et ejusdem rationis ac fidem nostram in eis nemo negare potest. » Franzelin, de Fide, l. c. pag. 579,580; cfr Suarez, disp. III, s. 8, n. 5; Lugo, disp. II, s. 1.

Partes volun. tatis et intellectus in actu fidei.

88. Jam ex præcedentibus intelligi potest quænam sint partes intellectus et voluntatis in actu fidei. a) Intellectus a voluntate applicatus, videt gravitatem rationum pro divinitate locutionis, non tamen hujus divinitatis evidentiam habet; adeoque manet indeterminatus inter assensum præstandum et assensus negationem. b) Dum illæ rationes voluntati proponuntur, hæc libere concipit credulitatis affectum, et inde libere inclinat intellectum ad assensum in divinitatem locutionis; ex quo voluntatis imperio, intellectus assentitur veritati: hæc locutio est divina. c) Supposito autem illo assensu in objectum formale, sequitur adhæsio veritati revelatæ ex motivo auctoritatis Dei loquentis.

§ II.

De actus fidei supernaturalitate.

Actum fidei theologicæ non posse eli-

89. Actus fidei supernaturalitas in præsenti consideratur ex parte principii, non vero ex parte *objecti* vel *motivi*, de

ci nisi ex viribus gratiæ

quibus jam satis dictum est in præcedentibus. Asserimus autem *actum fidei theologicæ esse supernaturalem, scilicet non posse elici nisi ex viribus gratiæ.*

demonstratur ex Scripturis,

90. Traditur hæc veritas apertissime in sacris Litteris, v. g. Joan. VI, 29, 43-45, 64-66; Act. XVI, 14; Rom. I, 8; 1 Cor. II, 14-16; III, 7, XII, 3; 2 Cor. III, 5; Eph. I, 15, 16, II, 8; Phil. I, 29; 1 Thess. II, 13; 1 Joan. II, 20-27, etc. Etenim his in locis a) negatur sufficientia virium naturalium ad fidem : *Non, quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis. — Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei; stultitia enim est illi, et non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur. — Caro non prodest quidquam.* — b) Imo ad fidem generandam satis non est externa prædicatio veritatis, etiamsi ex ore Christi ipsius procedat : *Neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus. — Vidistis et non credidistis.* — c) Sed necessarium est ut Pater trahat, ut cor aperiat Dominus, ut Spiritus unctionem det : *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum... Est scriptum in Prophetis : Et erunt omnes docibiles Dei. — Cujus Dominus aperuit cor intendere his, quæ dicebantur a Paulo. — Sed vos unctionem habetis a Sancto, et nostis omnia. Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam... Et vos, unctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis. Et non necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, et verum est, et non est mendacium.* Cfr Franzelin, de Trad. th. XII. — d) Hinc fides vocatur opus et donum Dei : *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille. — Gratia enim salvati estis per fidem, et hoc non ex vobis : Dei enim donum est.— Vobis donatum est pro Christo, non solum, ut in eum credatis, sed etiam pro illo patiamini.* — e) Adeoque pro fidei susceptione gratiæ sunt agendæ Deo : *Propterea et ego au-*

diens fidem vestram, quæ est in Domino Jesu, et dilectionem in omnes sanctos, non cesso, gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis...

traditur a SS. Patribus,

91. Hanc doctrinam, universa plaudente Ecclesia, defendit S. Augustinus, de Præd. Sanct. c. II, n. 3-6, c. XX, n. 40-41; de Dono Pers. c. XIX, n. 49, c. XX, n. 53, c. XXI, n. 54, 55 ; et in epist. CCXVII (al. CVII) ad Vitalem, n. 2, etc. E quibus hæc tantum, exempli causa, proferimus : « Non sic pius atque humilis doctor ille sapiebat, Cyprianum beatissimum loquor, qui dixit in nullo gloriandum quando nostrum nihil est; quod ut ostenderet, adhibuit Apostolum testem, dicentem : *Quid autem habes, quod non accepisti ? Si autem et accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis.* Quo præcipue testimonio etiam ipse convictus sum, cum similiter errarem, putans fidem qua in Deum credimus, non esse donum Dei, sed a nobis esse in nobis, et per illam nos impetrare Dei dona, quibus temperanter et juste et pie vivamus in hoc sæculo. Neque enim fidem putabam Dei gratia præveniri, ut per illam nobis daretur quod posceremus utiliter, nisi quia credere non possemus, si non præcederet præconium veritatis : ut autem prædicato nobis Evangelio consentiremus, nostrum esse proprium et nobis ex nobis esse arbitrabar. Quem meum errorem nonnulla opuscula mea satis indicant, ante episcopatum meum scripta... » Cfr S. Prosper, ad Capit. Gallorum, VIII, ad Excerpta Genuensium, V, etc. ; S. Cœlestinus, epist. XXI, ad Episc. Gall. c. IX, etc. Alia legi possunt apud Is. Habert, Theol. Græc. Pat. lib. I, c. 8.

definitur in conciliis.

92. Pluries definita est ista veritas in conciliis. Jam Synodus Africana generalis anni 419, can. 4, docuerat esse « utrumque a Deo, et scire quid facere debeamus, et diligere ut faciamus. » Disertius idem inculcavit Synodus Arausicana II, can. 5 supra relato, et can. 6 : « Si quis sine gratia Dei credentibus... nobis misericordiam dicit conferri divinitus; non autem

ut credamus... per infusionem et inspirationem Sancti Spiritus in nobis fieri confitetur ; et aut humilitati aut obedientiæ humanæ subjungit gratiæ adjutorium ; nec ut obedientes et humiles simus, ipsius gratiæ donum esse consentit; resistit Apostolo dicenti : *Quid habes, quod non accepisti?* Et : *Gratia Dei sum id quod sum.* » Item can. 7 : « Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare ut expedit aut eligere, sive salutari, id est, evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati ; hæretico fallitur spiritu, non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis : *Sine me nihil potestis facere;* et illud Apostoli : *Non quod idonei sumus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis : sed sufficientia nostra ex Deo est.* » Similiter Conc. Trid. sess. VI, c. 6 : « Disponuntur ad ipsam justitiam, dum, excitati divina gratia et adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse quæ divinitus revelata et promissa sunt. » Tandem, juxta conc. Vat. l. c., fides est virtus supernaturalis, « qua, adjuvante et aspirante gratia... credimus..... Ut fidei nostræ obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus, cum internis Spiritus Sancti auxiliis, externa jungi revelationis suæ argumenta... Nemo evangelicæ prædicationi consentire potest, sicut oportet ad salutem consequendam, absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati. Quare fides ipsa in se, etiamsi per charitatem non operetur, donum Dei est, et actus ejus est opus ad salutem pertinens, quo homo liberam præstat ipsi Deo obedientiam, gratiæ ejus, cui resistere posset, consentiendo et cooperando.» Hinc « si quis dixerit, ad solam fidem, quæ per charitatem operatur, gratiam Dei necessariam esse; anathema sit. »

Error Hermesianorum.

93. Hoc vero anathemate feritur Hermesianorum sententia

de qua jam plus semel mentionem fecimus. Scilicet, in eorum doctrina, fides passiva (cognitionis) oritur necessario secundum mere naturalem constitutionem humani intellectus et humanæ rationis, et ideo ad hanc fidem eliciendam, neque potest esse sermo de necessitate gratiæ actualis. Unde etiam pervertendo sensum definitionum, quibus a conciliis declaratur gratia necessaria ad credendum, sicut oportet, dicunt, has definitiones solummodo de necessitate gratiæ ad fidem vivam, quæ per charitatem operatur, esse intelligendas; et hoc ipso significari ad fidem cognitionis, quæ nondum viva sit, gratiam non requiri. Non advertunt nimirum, illas particulas *sicut oportet*, *sicut expedit*, a conciliis additas esse ut indicetur necessitas gratiæ ad credendum *actu supernaturali*.

Ad actum fidei necessaria est gratia illustrationis pro intellectu et inspirationis pro voluntate,

94. Gratia autem, quam ad actum fidei necessariam modo demonstravimus, refertur tum ad *intellectum*, tum ad *voluntatem*; unde in sacris litteris vocatur *tractio*, quæ simul est *interior doctrina*, *unctio* spiritus, qua fideles omnia *noscunt*, *aperitio* cordis ut *intendatur*; dari dicitur ut sufficientes simus ad *cogitandum*, ad *percipiendum* ea quæ sunt Spiritus, ad *intelligendum*; in conciliis autem et apud SS. Patres appellatur *illuminatio* et *inspiratio*.

non solum medicinalis,

95. Gratia ad fidem necessaria sane *medicinalis* est, quæ scilicet dissipet *intellectus* tenebras, errores, præjudicia, ut facile revelationem divinam agnoscat, certitudinemque illam assequatur, citra quam prudenter credere nequit. Hoc significat S. Chrysostomus, cum in Ps. XV, n. 2, scribit : « Quare autem non dixit : habentes eamdem fidem, sed *habentes autem eumdem spiritum fidei* (2 Cor. IV, 13)?... Ostendens opus esse suppeditatione Spiritus ad conscendendam altitudinem fidei, et vilipendendam rationum imbecillitatem. » Item medicinalis est hæc gratia quatenus *voluntatis* duritiem infringit, inflectit perversas ejus inclinationes, sanat incredulitatem, adeo ut credibilitatis motiva voluntatem moveant et sua-

deant ita ut persuadeant. Multa enim sunt quæ actum fidei reddunt difficilem. Imprimis namque fides est assensus propter *auctoritatem*, adeoque includit *submissionem*, quæ repugnat propensioni intellectus saltem exculti, siquidem naturaliter quasi ferimur ad judicandum de rebus secundum seipsas et juxta lumina propriæ rationis. Deinde est assensus in plures veritates *captum hominis superantes*, et idcirco supponit *humilitatem*, cui rationis superbia opponitur. Est etiam assensus in *leges* inclinationibus nostris nostræque sensualitati plane adversas. Præterea est assensus *firmus* super omnia ad exclusionem omnis dubii deliberati. Demum est assensus *practicus*, vi cujus homo totus intus innovetur, adeo ut fides sit norma et vitæ intellectualis, et totius vitæ practicæ. Cfr. Hurter, Theol. Gener. n. 436. Plura legi possunt apud Caussette, Le bon sens de la foi, tom. 2.

sed etiam elevans ; adeoque actus fidei est entitative supernaturalis,

96. At non solum medicinalis, sed etiam *elevans* esse debet gratia necessaria ad fidem, adeoque actus fidei supernaturalis est *ontologice*, seu *entitative* et *quoad substantiam*, non vero tantum quoad modum. Hoc probatur ex testimoniis supra relatis, in quibus fides simpliciter exhibetur tanquam opus divinum, vires humanas prorsus excedens. Ratio est, quia fides est fundamentum omnium mediorum quibus ordinamur ad finem nostrum supernaturalem, sc. visionem beatificam ; cum autem in quocumque ordine, media debeant esse proportionata fini, et status viæ debeat correspondere statui termini, sequitur manifesto, tum alia media exigi supernaturalia, tum ipsam fidem requiri omnino supernaturalem. Porro hæc elevatio fit connaturaliter per supernaturalem, infusum ac permanentem habitum fidei, vel etiam per auxilium transiens. Quod bene explicat Lugo, disp. IX, s. 3, n. 49 : « Actus fidei, et idem est de aliis actibus supernaturalibus, ex natura sua est operatio hominis constituti in statu filii Dei per gratiam justificantem, quæ, sicut est participatio divinæ naturæ, ita

constituit hominem per modum naturæ in ratione principii radicalis supernaturalis; cum autem omne esse sit propter operari, hinc fit, ut sicut ad animam rationalem quæ constituit hominem in ratione naturæ rationalis, consequuntur potentiæ intrinsecæ distinctæ, vel non distinctæ, quibus homo ut rationalis operetur; sic ad gratiam justificantem, per quam constituitur homo in alia quasi superiori natura supernaturali, debeantur etiam potentiæ ad operationes congruentes illi naturæ, hoc est, habitus supernaturales, quibus operetur non ut homo sed ut homo filius Dei. Est ergo connaturale homini grato operari per potentias seu habitus supernaturales intrinsecos. » Et rursus, n. 54 : « Quando causa aliqua secundum se non habet proportionem cum effectu, oportet ut accipiat saltem in se aliquid, per quod in actu primo proportionetur cum effectu producendo, et eum in se contineat; ideo intellectus, ut producat actum supernaturalem, ad quem de se non habet proportionem intrinsecam, proportionatur intrinsece per habitum infusum intrinsecum, per quem jam est causa intrinsece proportionata ad talem effectum, et illum in se continet. Quando vero deest habitus infusus, connaturalius erit, ut elevetur per aliquam virtutem intrinsecam saltem transeuntem, per quam causa sit in actu primo proportionata. »

97. Quapropter dicendum est, gratiam esse ad actum fidei theologicæ necessariam non *moraliter* tantum et ad ejus *facilitatem*, sed *absolute* et ad ejus *possibilitatem*. Eruitur clare ex textibus supra allegatis, et aliunde continetur in iis quæ modo explicavimus. Huc pertinent canones 2 et 3, sess. VI concilii Tridentini. Diximus, gratiam esse absolute necessariam ad actum fidei *theologicæ;* si enim agatur de fide *naturali*, nulla ratio est dubitandi hominem vel creaturam aliquam rationalem Deo revelanti absolute, licet ægre, propter rationes supra indicatas, viribus naturæ credere posse. Cfr Hurter, op. cit. n. 438.

et necessitas gratiæ est absoluta.

Supernaturalis est etiam assensus in principium fidei.

98. Quoniam vero formalis actus fidei includit, vel, tanquam principium cui innititur, supponit assensum in objectum formale (in auctoritatem Dei loquentis), etiam hic assensus, quatenus ingreditur actum fidei, supernaturalis sit oportet: a) quia assensus supernaturalis non potest pro fundamento habere assensum inferioris ordinis; b) quia assensus fidei ex integro debet esse supernaturalis, non esset autem ita supernaturalis, si in suo fundamento esset naturalis; c) quia intellectus supernaturaliter elevatus non potest versari circa objectum materiale, v. g. mysterium Trinitatis credendum, quin simul versetur circa objectum formale, propter quod creditur; sicut voluntas non potest amare proximum charitate supernaturali propter Deum, et in Deum non charitate supernaturali, sed amore solum ferri naturali. » Franzelin, de Fide, c. 4, pag. 562 et 564. Cfr Lugo, disp.X, s. 3, et disp. XI, s. 1. Ita S. Augustinus, de Præd. Sanct., c. 2, n. 5, relatis verbis Apostoli: *Non quia idonei sumus cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est*, sic pergit: » Attendant hic et verba ista perpendant, qui putant ex nobis esse fidei cœptum, et ex Deo esse fidei supplementum. Quis enim non videat, prius esse cogitare quam credere? Nullus quippe credit aliquid, nisi prius cogitaverit esse credendum. Quamvis enim raptim, quamvis celerrime credendi voluntatem quædam cogitationes antevolent, moxque illa ita sequatur, ut quasi conjunctissima comitetur, necesse est tamen ut omnia quæ creduntur, præveniente cogitatione credantur... Quod ergo pertinet ad religionem atque pietatem, si non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est, profecto non sumus idonei credere aliquid quasi ex nobismetipsis, quod sine cogitatione non possumus, sed sufficientia nostra qua credere incipiamus ex Deo est. » Huc etiam referuntur canones Arausicani superius citati.

99. Igitur in fidei susceptione, hæc fere contingunt : a) præcedunt piæ supernaturales cogitationes et volitiones, orationes, supernaturalia desideria ; b) proposita revelatione, intellectus sub supernaturali illustratione cognoscit infallibilitatem locutionis divinæ et videt dignitatem rationum pro hujus locutionis existentia ; c) voluntas vero per inspirationem gratiæ libere concipit pium ac supernaturalem credulitatis affectum ; d) sic autem elevata inclinat intellectum ad assensum in divinitatem locutionis ; e) ex quo imperio ipse intellectus per superadditas vires gratiæ assentit divinæ locutioni ; f) supposito demum assensu supernaturali in objectum formale, sequitur, illustrante et inspirante gratia, assensus supernaturalis in determinatam veritatem revelatam. Cfr Franzelin, l. c., pag. 574-576. Ex quibus intelligitur falsitas propositionis 5æ ex damnatis ab Alexandro VII, nec non 26æ, 27æ et 29æ ex damnatis a Clemente XI in const. *Unigenitus* ; in bulla vero *Auctorem fidei*, sub n. 22, ita habetur : « Propositio quæ innuit, fidem *a qua incipit series gratiarum, et per quam velut primam vocem vocamur ad salutem et Ecclesiam*, esse ipsammet excellentem virtutem fidei, qua homines fideles nominantur et sunt ; — perinde ac prior non esset gratia illa, quæ, *ut prævenit voluntatem, sic prævenit et fidem ;* — Ex S. August. de Dono persev., c. 16, n. 41, suspecta de hæresi, eamque sapiens, alias in Quesnellio damnata, erronea. » Cfr Jungmann, de Gratia, n. 243-248.

Partes intellectus et voluntatis, sub gratia, in susceptione fidei.

100. Est itaque fides theologica *donum Dei speciale*, non solum ratione revelationis et externæ prædicationis, sed maxime ratione unctionis internæ. Quatenus autem Deus in donis suis cum effectu conferendis postulat nostram cooperationem, hæc, tum ad amplectendam tum ad conservandam fidem, consistet quidem in diligenti, sub lumine gratiæ, motivorum consideratione, sed potissimum in magna animi humilitate, in profundissima reverentia erga divinam majestatem, in

Fides a Deo solo obtinenda.

instanti et constanti oratione : falleretur enim perniciosissime qui putaret philosophica inquisitione, vel sola vel potissimum, se posse sibi aut aliis fidem divinam persuadere. Franzelin, l. c. pag. 593, 594.

§ III.

De actus fidei firmitate.

Assensum formalem fidei debere esse firmum

101. Assensus formalis fidei essentialiter involvit adhæsionem veritati revelatæ super omnia firmam. Hæc firmitas adhæsionis non est *necessaria*, excludens scilicet physicam possibilitatem formidinis de opposito, sed *libera*, nempe ex imperio voluntatis excludens omnem formidinem actualem. Excessus vero firmitatis non consistit in actus intensione, sed in veritatis æstimatione, prout explicat Lugo, disp. VI, s. 1, n. 15 : « Adverte, illam majorem certitudinem quam unus

æstimative,

assensus habet præ alio, propter firmiorem adhæsionem ad objectum, non consistere in majori intensione, quam ipse assensus habeat in sua entitate : potest enim assensus remissus firmius adhærere objecto quam alius intensus; qui excessus potest appellari major adhæsio substantialis seu appretiativa : nam sicut amor Dei super omnia non consistit in majori intensione ipsius actus, potest enim esse actus remissus, sed in quodam modo tendendi ad Deum præferendo eum in actu exercito aliis objectis, ita ut si cætera omnia Dei voluntati repugnent, ea omnia relinquenda sint ex vi hujus dilectionis Dei; sic etiam intellectus sine actu intenso, potest alicui veritati ita firmiter adhærere, ut in actu exercito eam præferat aliis veritatibus, et se ostendat paratum ad omnes alias relinquendas, quæ huic repugnare videantur. » Est

super omnia

igitur in actu fidei firmitas æstimative super omnia, quatenus intellectus ita adhæret veritati revelatæ cum exclusione formidinis de opposito, ut, quantum a libertate pendet, omnia

quæ cognoscuntur scientia naturali vellet habere falsa, si prædictæ veritati opponerentur. Sic rursus Lugo disp. VI, s. 3, n. 51 : « Regula generalis hæc esse potest, ut per fidem assentiatur intellectus firmissime, ea scilicet firmitate, ut promptus sit ad neganda potius omnia objecta contraria, quæ saltem ex imperio voluntatis negare potuerit; neque enim potest esse paratus negare, quæ nullo modo negare potuerit; sic nec voluntas ipsa per propositum firmissimum servandi præcepta, ostendit promptitudinem ad implenda præcepta quæ servare non potuerit, nisi ad summum sub conditione. » Et n. 53 : « Dicere possumus in genere, si detur aliqua notitia evidens evidentia metaphysica adeo clara et convincens, ut non sinat intellectum, etiam ex imperio voluntatis, dubitare de ejus veritate vel non assentire; fideles de facto, quando credunt super omnia fidei objectum, non habere animum firmius adhærendi rebus creditis etiam contra id quod tali notitia cognoscerent, sicut nec præferunt hæc objecta fidei iis, quæ per visionem claram beatificam intuerentur, nec habent animum negandi ea, quæ taliter viderent, potius quam objecta credita. Hoc enim esset chimericum, nec a fidelibus exigitur talis prælatio, aut promptitudo, ut si tali genere evidentiæ constaret contrarium illius quod per Ecclesiam proponitur, adhuc contra talem evidentiam retinerent Ecclesiæ doctrinam : esset enim stulta et chimerica promptitudo, neque ex hoc sequitur vel arguitur quod fideles non credant res fidei super omnia : sicut etiam justus diligit Deum per charitatem super omnia simpliciter et absolute, et tamen non est promptus ad habendum odium Dei vel mentiendum, si per impossibile id Deo placeret : ille enim casus est chimericus et non comprehenditur sub universalitate dilectionis Dei super omnia; sic etiam chimericum est proponi per fidem id, quod omnimoda claritate et undequaque constet esse falsum, et quod intellectus non possit credere esse

verum, cum evidentia perfectissima cogat illum ad assentiendum ejus contradictorio : non debet ergo casus ille chimericus comprehendi sub ea universilitate,qua credimus super omnia id quod fides nobis proponit. »

probatur ex Scripturis,

102. Jam vero prædictam firmitatem esse actui fidei essentialem, demonstratur ex sacris Litteris, nempe Tob. III, 21 ; Matth. XVI, 16 ; Luc. XXIV, 25 ; Joan. II, 22, VI, 69, 70, XI, 27, XX, 25, 29 ; Act. II, 36, VIII, 36 ; Rom. IV, 3, 18-25 ; 2 Cor. X, 5 ; 2 Tim. I, 12; 1 Joan. V,9,etc. Etenim his in locis a) assensus fidei constanter exprimitur verbis quæ in suo sensu proprio et obvio denotant assensum firmum, minime vero assensum hæsitantem et dubitantem : *Cum ergo resurrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli ejus quia hoc dicebat ; et crediderunt scripturæ et sermoni, quem dixit Jesus.* — *Ait illi : Utique, Domine, ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.* — *Quia vidisti me, Thoma, credidisti : beati, qui non viderunt et crediderunt.* b). Quinimo omnis hæsitatio et dubitatio reprobatur : *O stulti, et tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt prophetæ !* — *Et exprobravit incredulitatem eorum et duritiam cordis, quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.* — c). Præterea actus credendi exprimitur cum ea exaggeratione et ea instantia quæ omnimodam certitudinem significant : *Hoc autem pro certo habet omnis qui te colit, quod vita ejus, si in probatione fuerit, coronabitur.* — *Certissime sciat ergo omnis domus Israël, quia et Dominum eum et Christum fecit Deus, hunc Jesum, quem vos crucifixistis.* — *Si credis ex toto corde, licet.* — *Scio enim, cui credidi, et certus sum, quia potens est,depositum meum servare in illum diem.* — d) Talis definitur fides ut per eam futura jam quasi existant ac possideantur et obscura plene demonstrentur : *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* — e) Unde

humiliter admittenda dicuntur etiam ea quibus humana ratio vel maxime repugnare videtur : *Litigabant ergo Judæi ad invicem, dicentes : Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum ?... Multi ergo audientes ex discipulis ejus, dixerunt : Durus est hic sermo, et quis potest eum audire ?... Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retro, et jam non cum illo ambulabant. Dixit ergo Jesus ad duodecim : Numquid et vos vultis abire ? — Contra spem in spem credidit... Et non infirmatus est fide, nec consideravit corpus suum emortuum.* — f) Fides exhibetur ut absoluta ac perfectissima subjectio (captivitas) intellectus erga Deum : *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* — g) Tandem declaratur causa tantæ firmitatis requisitæ in assensu fidei : *Respondit ergo ei Simon Petrus : Domine ad quem ibimus ? Verba vitæ æternæ habes. Et nos credidimus, et cognovimus, quia tu es Christus, Filius Dei. — Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est.*

traditur a SS. Patribus,

103. Idem unanimiter docent SS. Patres. Ita S. Amb. in Luc. lib. IV, n. 71 : « Nam etsi non licet mihi scire quemadmodum natus sit, non licet tamen nescire quod natus sit. Seriem generationis ignoro, sed auctoritatem generationis agnosco. Non interfuimus cum a Patre Dei Filius nasceretur; sed interfuimus cum a Patre Dei Filius diceretur. Si Deo non credimus, cui credimus ? Omnia enim quæ credimus vel visu credimus, vel auditu : visus sæpe fallitur, auditus in fide est. An adserentis persona discutitur ? Si viri boni dicerent, nefas putaremus non credere : Deus adserit, probat Filius, refugiens sol fatetur, tremens terra testatur. » S. Aug. de Genesi ad litt. lib. I, c. 21, n. 14 : « Quidquid autem de quibuslibet suis voluminibus his nostris litteris, idest, catholicæ fidei, contrariam protulerint, aut aliqua etiam facultate ostendamus, aut nulla dubitatione credamus esse falsissimum. » Cfr. etiam lib. VII, Conf. c. X. S. Bas. adv. Eunomium, lib. II, n. 24 :

« Nec mihi dicas, quæ vero est generatio, et qualis, et quomodo fieri potuit? Non enim quoniam omnino ineffabilis modus est, atque incomprehensibilis, continuo etiam firmam ac stabilem in Patrem et Filium fidem abjiciemus. » Et serm. de Fide, n. 1 : « Fides est assensus non hæsitans de his quæ audita sunt certitudine summæ veritatis. » Cfr. epist. XLIII (al. XXXVIII), n. 5. S. Chrysost. in epist. ad Coloss. c. II, hom. V, n. 2 : « Certamen, inquit, habeo seu contendo et laboro. Quare? Ut sint compacti. Hoc est, quod dicit, ut stent firmi et stabiles in fide... Certam autem et plenam persuasionem dixit eam quæ est per fidem : est enim etiam persuasio per ratiocinia; sed illa nihili est æstimanda. » Et in epist. ad Heb. c. XI, hom. XXI, n. 2 : « Papæ! quali dictione est usus, dicens, *argumentum non apparentium*, sive convictio eorum quæ non videbantur. Argumentum enim est in iis quæ sunt valde manifesta. Fides ergo, inquit, est aspectus eorum quæ non sunt manifesta, et, de iis quæ non videntur æque nobis persuadet, atque de iis quæ videntur. Neque ergo in iis quæ videntur licet fidem non habere; atque rursus, si de iis quæ non cadunt sub aspectum, non apertius fuerit cuipiam persuasum, quam de iis quæ videntur, non potest esse fides. » Et in Ps. IV, n. 10 : « Nos quidem fideles ea, quæ in spe sita sunt, iis quæ sunt manifesta, manifestiora ducere : talis enim est fidei certitudo. » etc. Ne autem textus particulares ulterius congeramus, rem possumus ostendere ex modo quo SS. Patres de quibusdam mysteriis loquuntur, v. g. de præsentia reali : « Ne igitur, inquit S. Cyrillus Hieros., velut nudo pani et vino adtentas; corpus enim et sanguis Christi est, secundum Domini asseverationem. Nam etiamsi tibi aliud sensus exhibeat, attamen *fides te certum reddat*. Ne judices rem ex gustu, sed *ex fide indubitanter certus* esto te corpore et sanguine Domini dignatum fuisse. » Catech. Myst. IV, n. 6. Plura legi

possunt apud Franzelin, de Euch. thes. VIII. Idem patet ex modo quo fidei regulæ proponuntur; sic v. g. in lib. de Fide ad Petrum, c. XVIII et seqq. : « Firmissime crede, et nullatenus dubites... » In symbolo autem Athanasiano : « Hæc est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit. »

104. Hujusmodi adhæsionem veritati revelatæ æstimative super omnia firmam, evidenter postulat infinita Dei auctoritas, cui fides tanquam motivo innititur. Ita S. Thomas in III, dist. XXIII, q. 2, a. 2, sol. 3 : « Certitudo quæ est in scientia et intellectu, est ex ipsa evidentia eorum, quæ certa esse dicuntur; certitudo autem fidei est ex firma adhæsione ad id, quod creditur. In his ergo quæ per fidem credimus, ratio voluntatem inclinans, ut dictum est, est ipsa veritas prima sive Deus, cui creditur, quæ habet majorem firmitatem quam lumen intellectus humani, in quo conspiciuntur principia, vel ratio humana, secundum quam principia in conclusiones resolvuntur : et ideo fides habet majorem certitudinem quantum ad firmitatem adhæsionis, quam sit certitudo scientiæ vel intellectus; quamvis in scientia et intellectu, sit major evidentia eorum quibus assentitur. » ratione ostenditur.

105. *Firmitas assensus fidei in determinatam veritatem supponit assensum eodem modo firmum in objectum ejus formale*, siquidem nihil potest esse in conclusione quod non sit in fundamento. Huc pertinet propositio 21ª ex damnatis ab Innocentio XI : « Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis; imo cum formidine qua quis formidet ne non sit locutus Deus. » Et Pius IX, in litteris encycl. 9 nov. 1846, solemniter docet : « Humana quidem ratio, ne in tanti momenti negotio decipiatur et erret, divinæ revelationis factum diligenter inquirat oportet, ut *certo* sibi constet, Deum esse locutum, et eidem, quemadmodum sa- Firmitas actus fidei supponit assensum in objectum ejus formale omnino firmum

pientissime docet Apostolus, rationabile obsequium exhibeat.» Quibus concilium Coloniense anni 1860, tit. 1, c. 5, hæc subjicit : « Fidei firmitas requirit ut, qui credit, ratione *certo* cognoscat Deum esse locutum, nulloque dubio prudenti hac de re pulsetur. » Cfr etiam conc. Vat. c. III.

non tantum subjective,

106. *Hæc autem firmitas adhæsionis facto divinæ locutionis non potest esse mere subjectiva, sed respondere debet manifestatæ dignitati rationum ;* secus enim haberetur tantum obstinatio et pertinacia, quæ absit ut dicantur sufficere ad fundandam fidem divinam.

sed etiam objective, sc. respondentem valori motivorum

107. *Ista vero rationum manifestatio talis sit oportet ut, saltem præ intellectu credentis, excludat omnem prudentem formidinem ne non sit locutus Deus.* Nam aliter assensus fidei super omnia firmus non esset rationabilis. Diximus autem : *saltem præ intellectu credentis;* si enim statueretur, requiri talem manifestationem rationum quæ præ *quocumque intellectu* sufficiat ad formidinem excludendam, hoc ipso fides multis v. g. pueris et rudioribus, redderetur impossibilis. Ita Lugo, disp. V, s. 2, n. 52 : « Non habet rusticus evidentiam de infallibilitate motivorum credibilitatis.... imo nec judicat rusticus motiva illa habere repugnantiam cum falsitate ; nam hoc etiam judicium in ipso esset falsum, cum revera nullam talem evidentiam antecedentem habeant motiva quæ sæpe rustico proponuntur. Solum ergo habet rusticus evidentiam de obligatione credendi firmissime, quam motiva illa hic et nunc ei imponunt ; et hanc appellamus evidentiam credibilitatis. » Et rursus disp. VI, s. 1, n. 20 et n. 21 : « Solum exigimus ad certitudinem formalem, quod objectum taliter proponatur, ut cognosci ac judicari evidenter possit repugnantia aliqua assensus cum prudenti dubitatione. Unde adverte... nec etiam requiri ad assensum certum, quod objectum taliter proponatur ut judicari prudenter possit non posse sub tali motivorum gradu proponi

aliquid falsum : nam hoc judicium plerumque in rusticis ante assensum fidei esset falsum; siquidem aliquando cum æqualibusmotivis proponitur eis aliquid falsum tanquam pertinens ad fidem; quare etiam quando proponitur articulus verus, judicium illud præcedens esset falsum, si judicarent non posse sub tali gradu motivorum proponi unquam aliquid falsum : non ergo requiritur tale judicium ad eliciendum postea assensum certum circa articulum verum sibi propositum... Unde id requiri diximus, et sufficere, quod proponatur objectum taliter, ut judicari evidenter possit repugnantia hic et nunc cum prudenti dubitatione, quod judicium etiam in rustico datur ante actum fidei, nam licet non sit ei evidens necessaria veritas objecti, nec necessaria connexio assensus cum veritate, neque etiam quod sub illis motivis non possit contineri et proponi aliquid falsum, nec denique quod sub illis motivis nemo possit prudenter dubitare, nam in hoc ipso aliquando etiam deciperetur; evidens tamen ei est, taliter proponi objectum credendum, ut hic et nunc ipsemet non possit prudenter dissentire, vel dubitare de veritate objecti. »

a singulis credentibus cognito.

108. *Quinimo natura actus fidei ejusque firmitas super omnia exigere videntur ut prædicta rationum cognitio directe habeatur a singulis credentibus.* Ita Suarez, disp. IV. s. 4, n. 8 : « Existimo nullum hominem, præbere verum et perfectum assensum fidei christianæ, nisi prius aliquo modo assequatur vel participet hanc evidentiam credibilitatis. » Expressius adhuc Lugo, disp. V, s. 1, n. 5 : « Vera et communis theologorum sententia affirmat, in singulis prærequiri evidentiam credibilitatis. » Eodem modo Æg. De Coninck, disp. XIII, dub. 1, n. 3; Tanner, disp. I, q. 2, dub. 3, n. 52, etc.; in quem sensum afferunt verba S. Thomæ 2. 2, q. 1, a. 4 ad 2 : « Non enim quis crederet nisi videret ea esse credenda vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid hujusmodi. » Attamen paulo aliter loquitur Greg. de Valentia, disp. I, q. 1,

p. 4, in fine : « Superest hic breve dubium, quomodo oporteat hominem agnoscere credibilitatem nostræ fidei, ut prudenter credat ? Ratio dubitandi est : quia D. Thomas... ait neminem crediturum (puta prudenter) nisi videret esse credibilem doctrinam fidei. Contra autem est, quod videtur posse quis credere, licet non videat doctrinam fidei esse credibilem. Patet in pueris, cum primum fidem propositam a parentibus amplectuntur. Item in ethnicis illico assentientibus concionanti : ii enim non videntur evidenter judicare de credibilitate. Respondeo cum Caietano, quod ait S. Thomas, neminem crediturum esse nisi videat doctrinam fidei esse credibilem, verissimum esse, intellectum de actu credendi virtuose ac prudenter. Item addo intelligendum esse de evidentia credibilitatis, saltem in potentia propinqua, cum videlicet quis ad credendum movetur, ratione aliqua gravi, ex qua facile possit evidenter colligere rem esse credibilem. Hoc modo intellecta propositio D. Thomæ vera est; nam aliter credere esset levitatis. Atque ex hoc patet responsio ad objectionem. Habent enim illi evidentiam credibilitatis, saltem in potentia propinqua, dum in re gravi credunt parenti, aut concionatori recte rem proponenti, qui non facile solent decipere. »

Motiva illa sunt pro omnibus sufficientia,

109. *Porro signa quibus de facto Deus suam locutionem manifestavit, talia sunt ut, licet illam nec efficiant nec efficere possint evidentem, sufficiant tamen ad eam pro quocumque intellectu certam reddendam citra omnem prudentem formidinem erroris.* Ad rem Richardus de Sancto Victore, de Trin. lib. I, c. 2 : « Quotquot veraciter fideles sumus, nihil certius, nihil constantius tenemus, quam quod fide apprehendimus. Sunt namque patribus cœlitus revelata ; et tam multis, tam magnis, tam miris prodigiis divinitus confirmata, ut genus videatur esse dementiæ in his vel aliquantulum dubitare. Innumera itaque miracula, et alia quæ non nisi divinitus fieri possunt, in hujusmodi fidem faciunt, et dubitare non sinunt.

Utimur itaque in eorum attestatione seu confirmatione signis pro argumentis, prodigiis pro experimentis. Utinam attenderent Judæi, utinam animadverterent pagani, cum quanta conscientiæ securitate, pro hac parte ad divinum judicium poterimus accedere! Nonne cum omni confidentia Deo dicere poterimus : Domine, si error est, a teipso decepti sumus? Nam ista in nobis tantis signis et prodigiis confirmata sunt et talibus, quæ nonnisi per te fieri possunt. Certe a summæ sanctitatis viris sunt nobis tradita, et cum summa et authentica attestatione probata, te ipso cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis. Hinc est utique, quod perfecte fideles paratiores sunt mori pro fide quam fidem abnegare. Nihil enim procul dubio firmius tenetur, quam quod constanti fide apprehenditur. »

et omnibus accommodata ad cognoscendum factum revelationis.

110. *Quamvis signa illa aliis distinctius et perfectius, aliis magis obscure et magis imperfecte manifestentur, pro diverso gradu ingenii quo pollent credentes diversisque circumstantiis in quibus versantur; attamen, saltem prout eorum complexum exhibet Ecclesia, omnibus sunt obvia, et omnibus accommodata ac sufficientia, ut plenam mentis adhæsionem producant, et omnem excludant prudentem formidinem de opposito.* Etenim, licet fideles rudiores motiva omnia credibilitatis distincte non noverint, nec ipsi ea valeant explicare, noverunt tamen, modo ipsis accommodato, unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam, et in hac semper eis ob oculos versatur incommutabile, plene sufficiens, et certum credibilitatis motivum, seu potius motivorum complexus, ut jam non quasi *cito credant, leves sint corde*, sed *fundamentis innitantur firmissimis, ad plenam credibilitatis certitudinem, parati semper, quantum ad singulos pro eorum conditione spectat, ad satisfactionem* (per Ecclesiam nempe et in Ecclesia) *omni poscenti rationem de ea quæ in ipsis est spe.* Sicut namque in veritatibus quibusdam naturalibus, dis-

ponente providentia Dei naturali, totum genus humanum, citra demonstrationem scientificam, habet plenam certitudinem, quæ inquisitione philosophica potest quidem in suis fundamentis amplius et distinctius explicari, sed nullis apparentibus rationibus labefactari : ita divina bonitas et sapientia in ordine providentiæ supernaturalis, disposuit Ecclesiam catholicam, iis insignem characteribus, ut in ea, citra scientificas inquisitiones, quibus longe maxima pars hominum idonea non est, etiam habeant facile cognoscibile compendium motivorum credibilitatis ad plenam certitudinem, quæ poterunt per disciplinas apologeticas distinctiori et ampliori explicatione confirmari, sed non potest rationibus contrariis induci prudens dubium ad illam certitudinem labefactandam. Profecto Deus et Christus ejus non doctis tantum hominibus fidem destinavit, et suam revelationem certo cognoscibilem reddidit, sed *pauperes evangelizantur* (Matth. XI, 5); et, ut Apostolus ait, 1 cor. I, 26, 27, *non multi sapientes secundum carnem, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus ut confundat sapientes* (1).

(1) Ad rem Murray, de Ecclesia, disp. XI, s. 3, n. 264 : « Mihi autem videtur, motiva (si non omnia, saltem fere omnia, censeo tamen omnia) quæ primo aspectu pure respectiva viderentur, attentius inspecta non esse nisi ipsa motiva absoluta, diverso et accommodato modo proposita, et imperfecte et ex parte tantum spectata, vel initia quædam ad ista motiva absoluta ducentia. Ex variis narrationibus conversionum ad fidem catholicam in hisce regionibus nostra memoria factarum, hoc mihi valde probabile visum est. Sic, quædam ex istis conversionibus initium habuerunt ex visa et observata vita vere sancta quorumdam catholicorum; quidam conversi sunt ex observatis effectibus confessionis in moribus famulorum et proximorum; alii ex observata devotione fidelium piorum in ecclesiis attenta et fervida; alii ex lectione librorum piorum catholicorum; alii ex dissidiis quoad fidem quæ suas sectas agitabant desperatis, etc., etc. Hæc omnia ad notas Ecclesiæ, unitatem, sanctitatem, etc., plane revocanda sunt, utpote tot istarum notarum significationes plus minusve claræ, et modi varii quibus Ecclesia in istis notis se manifestat. Horum motivorum respectivitas non in motivis ipsis, sed in modo et gradu, quo ista motiva apprehenduntur, reponenda est. No-

et veritates revelatas.

111. *Præterea sicut in Ecclesia et per Ecclesiam unicuique facile est cognoscere, modo sibi accommodato, revelationem esse factam, ita in eadem Ecclesia et per eam facile est cognoscere absque prudenti formidine errandi, an hæc vel illa determinata veritas ad revelationem pertineat, et constituat objectum fidei, saltem quantum unicuique necesse est.* Ecclesiæ enim vox multiplex est, et ab omnibus clare perceptibilis, v. g. per institutiones catecheticas, formulas precatorias, sacras cæremonias, etc. Cfr Murray, l. c. n. 266. Si autem de aliqua propositione non constaret absque prudenti formidine errandi, eam esse revelatam, hæc non posset esse objectum actus fidei, sed constitueret tantum objectum opinionis. Cfr. Franzelin, de Deo uno, pag. 14-22, ubi agit de demonstrationibus et conclusionibus theologicis; nec non Lugo, disp. I, sect. 13, n. 311 et sqq. ubi quærit, « utrum revelatio universalis sufficiat ad credenda singularia, nota certitudine morali vel notitia probabili. » Hæc autem habet : « Evidentia ergo, seu certitudo moralis, tunc invenitur, quando de re aliqua non possumus prudenter non solum dubitare, sed nec etiam formidare... Hoc ergo supposito, dicimus, quando est certum seu evidens moraliter, hoc individuum comprehensum fuisse sub propositione universali a Deo revelata, id sufficere ut illud de fide credere possimus, et debeamus... Si autem petatur ratio, cur major et magis propria certitudo moralis prærequiratur ad operandum in materia fidei quam in aliis, reddi potest breviter... quia nimirum assensus fidei ex imperio voluntatis et piæ affectionis, elicitur talis et tam firmus, ut excludat omnem prorsus formidinem circa suum objectum ; non potest autem voluntas

tandum est insuper, motiva hujusmodi respectiva, et istorum motivorum initia, et, ut ita dicam, prima lux, per se istorum conversorum mentibus non ingerunt ultimam et firmam persuasionem, sed ducendo ulterius, nempe ad exquirenda et contemplanda motiva absoluta. »

prudenter imperare talem assensum excludentem talem formidinem, quando circa objectum illud posset intellectus prudenter formidare : imprudenter enim prohiberetur formidare, ubi prudenter formidare posset : ergo ut voluntas possit prudenter imperare assensum talem excludentem omnem formidinem, debet objectum proponi tale, ut de eo non possit prudenter formidari. »

Firmitas actus fidei ex imperio voluntatis,

112. *Firmitas adhæsionis tum veritati revelatæ tum facto revelationis non est tantum ex manifestata dignitate rationum, sed etiam ex imperio voluntatis.* Manifestatio enim non est evidens, sed talis solum quæ excludat formidinem prudentem, relicta formidinis imprudentis possibilitate. Hanc igitur formidinem excludere debet voluntas, ut bene explicat Lugo, disp. X, s. 1, n. 6 : « Actus fidei est assensus obscurus et certus excludens omnem formidinem... Intellectus autem de se ex vi motivorum non determinatur sufficienter ad excludendam omnem formidinem; ergo indiget ad hoc determinatione voluntatis. Minor probatur, quia omnia motiva non ostendunt evidenter veritatem articuli : ergo non determinant intellectum ad excludendam omnem formidinem. » Huc pertinet propositio 19ª ex damnatis ab Innocentio XI : « Voluntas non potest efficere ut assensus fidei per se sit magis firmus quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium. » Hic autem obiter advertendum est,« firmam adhæsionem ad objectum, quæ requiritur in actu certo, non esse solum denominationem extrinsecam provenientem a voluntate alligante firmiter intellectum ad eum assensum, et volente potius mortem, quam quod intellectus ab eo recedat... ; nos autem dicimus, licet extrinsece et quasi in genere causæ efficientis proveniat a voluntate imperante assensum, intrinsece tamen et formaliter reperiri talem modum adhæsionis firmæ in ipsomet assensu... Si enim voluntas priori solum modo imperaret assensum, quantumvis ipsa firmiter imperaret as-

sensum, tamen ipse non esset firmus, nec aptus ad debito modo credendum Deo. » Lugo disp. VI, s. 1, n. 16-17.

113. *Præsertim vero firmitas fidei est supernaturalis*, quia nimirum voluntas elevata per gratiam imperat veritati revelatæ adhæsionem æstimative super omnia firmam; et formalis adhæsio intellectus supernaturalem firmitatem habet per superadditas vires gratiæ elevantis et illustrantis. Quinimo interna inspiratio supplere aliquando potest illud quod deest ex parte propositionis externæ, ita ut firmitas simpliciter dicta habeatur, etiamsi præstetur assensus propter rationes quæ absolute et præ quovis intellectu non sufficerent ad excludendam prudentem formidinem erroris. Ita Franzelin, l. c. pag. 597, 598 : « Ex supernaturali gratia explicatur, quomodo fides divina firmissima locum habere possit, etiamsi propositio externa non sit hujusmodi ut per se et absolute evidens reddatur credibilitas veritatis propositæ. Si quando per accidens revelata veritas rudibus ita proponitur, ut non præ quovis intellectu parere posset evidentiam credibilitatis, necesse tamen est, ut saltem pro ipsorum captu eis evidens fiat exclusio formidinis prudentis et officium credendi. Hoc autem posito, voluntas adjuta per gratiam potest et tenetur inclinare intellectum ad assensum super omnia propter auctoritatem Dei loquentis, et assensus ipse intellectus per gratiam confortati erit supernaturalis. In hac itaque hypothesi, Deus illustratione interna supplet quod deest propositioni externæ; sicut enim generatim, etiam ubi plenissima est propositio externa locutionis divinæ, requiritur tamen illustratio supernaturalis interna; ita facile est Deo illustrare intellectum, ad assequendam cum plena certitudine existentiam revelationis, etiam ubi per accidens modus externæ propositionis veritatem non redderet præ quovis intellectu evidenter credibilem. Ita docent Suarez, disp. IV, s. 5, et alii, appellantes etiam ad doctrinam S. Thomæ 2. 2, q. 2, a. 9 ad 3. « Qui credit, inquit

et ex viribus gratiæ.

Angelicus, inducitur auctoritate divinæ doctrinæ miraculis confirmatæ, et quod plus est, interiori instinctu Dei moventis ; ideo non leviter credit. »

Assensus fidei super omnia firmus possibilis est pueris et rudibus.

114. In præcedentibus plus semel innuimus, et ex dictis intelligitur, qua ratione assensus fidei super omnia firmus elici possit etiam a pueris et rudioribus. Etenim, ex una parte, si bene instituantur, facile cognoscent, doctrinam sibi propositam non privatorum esse, v. g. Parochi, parentum, sed ipsius Ecclesiæ. Nec minus obvia est eis confusa saltem notitia aliquot proprietatum Ecclesiæ, et miraculorum quibus revelatio confirmata est : hæc autem cognitio rerum et factorum per se sufficiens plane est, ut pariat evidentiam credibilitatis et officii ad firmissime credendum propter auctoritatem Dei revelantis. » Franzelin, l. c. pag. 595. Præsertim cum, ex altera parte, multo pauciora ad hoc requirantur in puero quam in adulto, propter minus excultum ingenium, dubii non adeo capax ; — propter innatam animi humilitatem et credendi propensionem ; — quia parvuli anima tabula est rasa nondum spinis præjudiciorum errorumque nebulis obsita ; — quia pauciora eaque minus explicite credere tenetur : hinc quoties vera proponitur revelatio in Ecclesia, sponte veluti sua, propter quamdam sympathiam habitus fidei in baptismo infusi, et revelationem exterius propositam, modo qui respondeat parvulorum capacitati, suavi ratione inducetur pueri anima ad credendum. Hurter, op. cit. n. 424. Cæterum hic maxime verificatur illud quod superius adnotatum est, nempe, si quandoque aliquid desit in propositione externa, suppleri posse per internam gratiæ illustrationem. Cfr Murray, de Ecclesia, disp. XI, s. 3, n. 251 et sqq. (1).

(1) Hæc ad rem leguntur in opusculo : Controverse pacifique sur la foi des enfants et des adultes ignorants ; réponse à la 2e lettre, n. 6, 7 : « La foi est pour tous les âges une obéissance raisonnable, et accompagnée de motifs de credibilité, sans lesquels elle serait imprudente et té-

115. Hinc etiam falsissime contenderunt quidam sæculo elapso, catholicis pueris, cum rationis beneficio frui cœperint, dubitationem esse permittendam de religionis Ecclesiæque

Nulla unquam circa fidem semel susceptam dubitatio licita est

méraire. Cependant il y a des différences considérables entre les adultes qu'on veut convertir à la foi chrétienne, et les enfants baptisés qui sont sur le point d'en former des actes. Les uns ont une persuasion contraire qu'il faut déraciner de leur cœur ; et comme un tel changement n'est pas, dans le cours ordinaire, l'ouvrage d'un instant, l'état d'hésitation, d'incertitude et de doute est inévitable pour ces adultes, avant qu'ils croient fermement à la vérité du christianisme. Cet état même est louable en eux, parce qu'il suppose qu'ils commencent à revenir des erreurs dans lesquelles ils étaient engagés, qu'ils cherchent sincèrement la vérité, et qu'ils entrent dans le chemin qui les y conduit. La situation des enfants baptisés n'est pas la même. Ils n'ont point de préventions contraires à déposer, lorsqu'on les instruit de la foi chrétienne. Nul obstacle ne suspend l'acquiescement aux motifs capables de l'opérer. De là naît une autre différence ; c'est que les premiers ont besoin, pour croire, de raisons plus approfondies et plus longtemps méditées que les seconds, à qui des motifs proportionnés à leur intelligence et à leurs dispositions, suffisent pour rendre leur foi prudente.

Jésus-Christ nous apprend dans son Evangile, que les enfants sont susceptibles du royaume des cieux. *Talium est regnum cœlorum.* Ce qui ne veut pas dire seulement qu'ils peuvent être sauvés, s'ils meurent dans la grâce du baptême, avant l'âge de raison, mais encore, qu'étant parvenus à cet âge, ils peuvent connaître et obtenir le salut que Dieu a préparé aux hommes par son Fils. Les moyens de ce salut sont renfermés dans la foi et dans la pratique des bonnes œuvres. Les enfants sont donc capables de ces deux choses : capables de croire avec certitude, condition essentielle à la foi ; capables de bâtir sur ce fondement l'édifice d'une vie chrétienne. La difficulté consiste à démêler en eux des motifs assez solides pour qu'ils puissent croire prudemment. L'ignorance et la légèreté de leur âge semblent incompatibles avec de tels motifs. Ils paraissent ne croire que sur l'autorité des parents qui leur ont donné le jour, ou tout au plus de leurs premiers catéchistes ; autorité qui fait des païens, des mahométans, des juifs, des hérétiques, comme elle fait de véritables fidèles..... Ces difficultés sont spécieuses, je l'avoue. Mais n'est-il pas visible qu'elles mènent trop loin ? Car que faudrait-il en conclure ? Que ces néophytes, arrivés à l'âge de raison, mais encore sujets aux faiblesses de l'enfance, ne peuvent être de vrais chrétiens par le consentement de leur volonté, qu'ils ne peuvent faire aucune action chrétienne, ne pouvant agir par le principe de la foi..... Ce sont là des excès

suæ veritate, quousque, re bene perspecta, cui parti adhærendum sit, prudenter deliberent. Cfr. Perrone, de baptismo, c. IV, prop. 2.

116. Non minus perniciose, hac nostra ætate, aliqui catholicis æque ac heterodoxis commendarunt suspensionem fidei et reale dubium, donec demonstrationem, secundum normas scientiæ humanæ, ipsi absolverint. Hortatur scilicet Hermes suos auditores et lectores, ut, dum in inquisitione versantur, erga quamvis doctrinam religionis, e. g. catholicæ aut christianæ, omnino indifferenter se habeant, sibique persuadeant « sancte se agere, sequendo rationem, quocumque demum ea

inconnus à tous les siècles du christianisme..... Convenons donc, que des principes, qui ont des conséquences si étranges, sont outrés, et pour les ramener aux termes de la vérité, disons : Que l'ignorance et la légèreté de l'enfance n'empêchent pas les opérations les plus importantes de l'entendement et de la volonté; qu'il est des vérités qui sont de tous les âges ainsi que de toutes les conditions, celles surtout qui concernent les devoirs de l'homme envers Dieu, et qui intéressent son bonheur éternel ; que ces vérités peuvent s'offrir à l'esprit des enfants parvenus à l'âge de raison, avec des traits de lumière qui y portent la conviction ; que cette conviction est fondée sur les motifs qu'ils sont en état de comprendre, et non sur l'autorité de leurs premiers maîtres, qui sont uniquement pour eux les organes de ces motifs ; que cette autorité des parents et des catéchistes sur les enfants qu'ils instruisent, est sans doute une tentation terrible pour ceux qui sont nés dans le sein de l'erreur, une circonstance qui diminue leur faute lorsqu'ils y adhèrent volontairement, un secours utile et précieux pour ceux qui sont nés dans la véritable Eglise ; mais qu'elle ne confond pas l'aveugle crédulité des prosélytes du mensonge avec la pieuse croyance des fidèles, aidés par de bonnes intentions, et déterminés par de sages motifs ; que Dieu, qui connaît son ouvrage et qui appelle les enfants à la foi et au salut, sait faire un si juste tempérament de la grâce qui éclaire leur esprit et qui excite leur volonté, avec les motifs extérieurs qu'on leur propose, que ces motifs suffisent par leur propre force pour les convaincre, quoiqu'ils ne soient pas toujours proposés par les maîtres qui les instruisent avec la même clarté et la même solidité ; qu'il ne faut point juger de l'impression que ces motifs doivent faire et font réellement sur eux, par la manière dont ils s'en expliquent, lorsqu'on les interroge, et par les réponses qu'ils donnent aux difficultés qui attaquent leur créance..... »

deduxerit. » Introduct. positiv. ad theol. pag. 30. Porro ipse et de se testatur et aliis inculcat hanc methodum inquisitionis fidei : « Omnibus hisce meis studiis, propositum meum sancte servavi, ubique dubitandi quamdiu possem ; et tum demum definitive pro alterutra parte decernendi, quando absolutam necessitatem rationis pro una sententia exhibere possem. Erat mihi propterea per varios anfractus dubiorum eluctandum, in quos ingredi inutilis labor videbitur ei, qui nunquam ad serium dubium progressus est... Neque unquam timui aliquam hac via jacturam ; intellexeram enim, quovis alio modo minus severo omnia, quæ inquirebam, æquo jure rejici et admitti posse. Insuper perspexeram, pro hominibus nullum aliud tutum criterium veritatis dari, præter necessitatem rationis... Non auctoritate quantumvis multorum et gravium doctorum, sed unice intelligentia propria, potest dubium superare, qui revera dubitat... Fuerit optabilius, si placet, hujusmodi dubiis carere, quam iis satisfacere posse ; pro futuris doctoribus religionis hoc non valet. Ii debent scire, se nescire, ut scientiam magno studio quærant ; debent labyrinthum dubiorum per omnes circuitus peragrare, ut deinde ipsi dubitantibus per omnes anfractus comites se dare possint.» Introd. phil. ad theol. Præf. pag. 10 et sqq. Porro hujusmodi deliramentum in conc. Vat. solemniter reprobatum est, const. *Dei Filius*, cap. III, can. 6 : « Si quis dixerit, parem esse conditionem fidelium, et eorum qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita ut catholici justam causam habere possint, fidem, quam sub Ecclesiæ magisterio jam susceperunt, assensu suspenso in dubium vocandi, donec demonstrationem scientificam credibilitatis et veritatis fidei suæ absolverint ; anathema sit. »

117. A fortiori rejiciendus est error, in nonnullis regionibus late diffusus et fere popularis, quo universim dicitur, transitum ab Ecclesia catholica ad alias communiones fieri

a fortiori nulla licita mutatio.

posse ex dictamine conscientiæ; atque ideo generatim hujusmodi homines non esse censendos criminis reos, cum ipsi fere semper affirment, se sequi dictamen suæ conscientiæ; quod nisi concedatur, inquiunt, damnandas etiam fore conversiones ab aliis communionibus ad Ecclesiam catholicam; sicque, qui hoc jus negaret orthodoxis ad eos confirmandos in veritate, eodem principio heterodoxos confirmaret in errore. In cujus sane doctrinæ complexu, jura et officia hominis ad amplectendam veritatem et ad vitandum errorem in fide, transmutantur in jura ad sequendum errorem; argumentis ac notis quibus Deus suam revelationem in sua Ecclesia omnibus hominibus cognoscibilem reddidit, æquiparantur umbræ, quibus error speciem induit veritatis; denique nulla omnino habetur ratio gratiæ ac luminis supernaturalis, quo Deus illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, deducit ab errore et inducit ad veritatem fidei unice veræ, in eaque confirmat, nisi diligant homines ipsi magis tenebras quam lucem. Præclare Franzelin, l. c. pag. 597 : « Quoniam « Deus non deserit, si non deseratur, ut pie semper justeque vivatur » a vera fide, sub lumine gratiæ jam suscepta et credita, ad deliberatam dubitationem vel omnino ad negationem, homines infelices negligendo gratiam eique resistendo delabuntur. Naufragium circa fidem antecedit et semper comitatur repulsio bonæ conscientiæ : *Milites in illis bonam militiam, habens fidem et bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt.* 1 Tim. I, 19, cf. Heb. VI, 4, seq. 2. Pet. II, 21. » Huc pertinet propositio XV *Syll.* : « Liberum cuique homini est, eam amplecti et profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit. » Et conc. Vat. l. c. c. III : « Benignissimus Dominus et errantes gratia sua excitat atque adjuvat, ut ad agnitionem veritatis venire possint; et eos, quos de tenebris transtulit in admirabile lumen suum, in hoc eodem lumine ut

perseverent, gratia sua confirmat, non deserens, nisi deseratur. Quocirca minime par est conditio eorum, qui per cœleste fidei donum catholicæ veritati adhæserunt, atque eorum, qui ducti opinionibus humanis, falsam religionem sectantur; illi enim qui fidem sub Ecclesiæ magisterio susceperunt, nullam unquam habere possunt justam causam mutandi, aut in dubium fidem eamdem revocandi. » Jam ab Innocentio XI proscripta fuerat hæc propositio, quæ est 20ª : « Potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem. »

118. Coronidis instar liceat hic monere cum Franzelin, l. c. pag. 595, in nota, « quam gravis urgeat necessitas amplioris et distinctioris institutionis quoad simplices fideles, quibusdam luctuosis temporibus, ubi acerbior imminet hostium fidei impugnatio, et majus perversionis periculum. »

§ IV.

De actus fidei infallibilitate.

Necessaria connexio actus fidei cum veritate,

119. Infallibilitatis nomine intelligimus *necessariam connexionem assensus fidei cum veritate*, ita ut nequeat ullo modo ei subesse falsum. Cum autem falsitas haberi possit vel in objecto materiali non ita se habente, ut creditur, vel in objecto formali non existente, propter quod creditur, consequens fit, ad actus fidei infallibilitatem duo supponi : unum ex parte Dei, quod non possit revelare et hominibus proponere nisi quod verum est; alterum ex parte credentis, quod non possit fide divina adhærere nisi ei quod de facto revelatum est.

includitur in ejus omnimoda certitudine;

120. Demonstratur hæc infallibilitas ex testimoniis Scripturæ et Patrum superius n. 102 et 103 collectis, in quibus assensus fidei exhibetur ut *simpliciter certus*. Repugnat autem assensui simpliciter certo subesse errorem. Et sane per

et oritur, si

non semper ex modo quo dignitas rationum menti se manifestat,

saltem ex modo supernaturali quo mens in objectum tendit.

se assensus fidei datur propter manifestatam dignitatem motivorum, quæ præ quocumque intellectu postulant firmissimam adhæsionem ; adeoque si verus non esset, error redunderetur in Deum ipsum, et, ut loquitur Richardus Sancti Victoris, cum omni confidentia Deo dicere possemus : « Domine, si error est, a te ipso decepti sumus. » Præterea (quod notandum est pro casu quo, per accidens, manifestatio rationum talis non esset quæ præ quocumque intellectu postulet adhæsionem firmissimam), idem assensus elicitur auxilio gratiæ; gratia autem nequit ad falsum concurrere. De qua re ita Lugo, disp. IV, s. 6, n. 85 : « Si certum est, fidem esse virtutem infusam, consequens est ut ex natura sua elicere non possit nisi actus veros : quia virtus est ex Augustino, lib. II de Libero Arbitr. c. XVIII et XIX, bona qualitas qua nemo male utitur ; virtus enim disponit potentiam ad *optimum* : quare virtus voluntatis disponit eam ad bonum, quod est optimum voluntatis ; virtus vero intellectualis debet disponere intellectum ad verum, quod est optimum potentiæ intellectivæ. Si ergo fides infusa per suam essentiam est virtus intellectualis, debet ex se habere alligationem intrinsecam ad actus veros, et incapacitatem et repugnantiam ad falsos et erroneos. » Optime Wirceburgenses, l. c., n. 193 : « Sicut repugnat actus supernaturalis *peccaminosus*, sic etiam supernaturalis *falsus* implicat : quia non minus in ordine divino per participationem, quam in eodem ordine per essentiam, imperfectio et intellectualis et moralis habere locum nequit. » Itaque certitudo fidei simpliciter dicta ejusque infallibilitas nascuntur, si non semper ex modo quo dignitas rationum menti se manifestat, saltem ex modo supernaturali quo mens in objectum tendit ; atque idcirco tenendum est, assensum fidei esse simpliciter certum iis in adjunctis in quibus assensus mere naturalis simpliciter certus non esset. Doctrina hucusque exposita supponitur in concilio Trid. Sess. VI, c. 9,

ubi dicitur quod « nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum. » Et ibid. can. 16 : « Si quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certo habiturum absoluta et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit ; anathema sit. » Porro aliquo vero sensu dici potest assensus fidei infallibilior quocumque assensu naturali, prout innuitur Luc. XXI, 33 : *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt ;* quæ non videntur dicta duntaxat ad manifestandam verborum Dei indefectibilitatem a vero, sed et ad indicandum excessum in hoc genere supra certitudinem aliam omnem. Sic Lugo disp. VI, s. 3, n, 40 : « Si comparatio fiat inter actum fidei et actum evidentem evidentia physica, reduci potest (excessus certitudinis fidei præ scientia) ad majorem infallibilitatem ; nam illi evidentiæ physicæ potest saltem de potentia absoluta subesse falsum, non tamen actui fidei ; in quo sensu verissime dicitur facilius esse quod cœlum et terra deficiant, quam quod revelatio Dei non sit vera. »

Non videtur repugnare ut aliquando objectum non revelatum personis privatis proponatur cum iis motivis propter quæ eædem personæ credere possint et teneantur ;

121. Disputant Theologi, utrum objectum non revelatum possit aliquando personis privatis proponi cum iis motivis propter quæ prudenter credere valeant et teneantur. Negat Suarez, disp. III, s. 13, n. 9, hisce verbis : « Probabiliter mihi videtur, in re ipsa, nunquam dari sufficientem propositionem rei falsæ, quæ ad credendum per fidem infusam sufficiat ; nam si sit sermo de generali propositione, v. g. facta a Deo immediate, clarum est non posse illi falsum subesse ; quod si mediate facta sit a Deo respectu Ecclesiæ, in illa etiam semper interveniunt aliqua divina opera, per quæ Deus non potest falsum testificari, et infra ostendam hoc etiam ad specialem Dei providentiam pertinere ; si vero loquamur de particulari et privata propositione, seu applicatione divinæ fidei ad singulos homines... sic dico, illam non esse sufficientem ad creden-

dum assensu fidei infusæ, nisi certo et indubitanter constare possit esse conformem doctrinæ Ecclesiæ, in qua falsitas esse non potest. Unde...ille, qui decipitur, si vellet advertere, dubitare posset an illa doctrina sit conformis Ecclesiæ, nec ne, et ideo non statim per fidem infusam assentiretur, sicque merito Deus illum non movet ad talem assensum ; unde etiam fieri potest, ut talis applicatio objecti fidei, obliget quidem talem hominem ad non discredendum, donec majorem diligentiam adhibeat, vel etiam ad credendum aliqua fide generatim sumpta, non tamen ad credendum tali fide, quæ nullam hæsitationem admittat, donec de doctrina Ecclesiæ certus sit. Hinc ulterius verisimile mihi est, etiam judicium practicum in eo casu, non esse tam perfectum quantum est in eo, qui vere credit ea quæ in reipsa sunt revelata... » Hæc tamen pluribus merito difficilia videntur, qui idcirco contrariam sententiam tenent. Ita, v. g. Lugo, disp. IV, s. 6, n. 84 : « Si rusticus ideo non potest credere fide infusa articulum falsum, quia non est sufficienter ei propositus ad indubitabiliter et firmissime illum credendum : ergo nec articulum verum potest fide infusa credere ; quia eodem prorsus modo ei uterque articulus proponitur, et experientia manifesta compertum est, non adhiberi a rustico majorem diligentiam ad examinandum unum quam alterum articulum, an sit juxta communem Ecclesiæ sensum necne ; sed utrumque æque ei a parocho proponi credendum firmissima fide, et utrumque sine alio examine ab ipso credi. Quare si articulus falsus non obligat eum ad assensum firmum, neque etiam verus obligabit. Si denique ex defectu solo hujus obligationis, non elicit actum fidei infusæ circa articulum falsum ; neque etiam eliciet circa verum, cum non magis obligetur eo modo, quo ei proponitur. Unde fatendum erit, ejusmodi personas rarissime, vel forte nunquam credere fide supernaturali : quem enim unquam articulum fide infusa credunt, qui non fuerit eis propositus tali-

ter, ut eodem modo proponi eis potuisset articulus falsus? Certe vix unquam in mille rusticis invenies, cui unus articulus taliter propositus sit. Quis autem dicat, eos nunquam elicere actus fidei infusæ ob defectum propositionis sufficientis ad fidem indubitabilem præstandam. Alioquin nec justificari poterunt etiam in sacramento, cum sine fidei infusæ actu, adultus non justificetur : neque etiam barbari vel inculti ethnici, quibus fides prædicatur, in baptismo justificabuntur; quia regulariter, licet sufficienter eis proponatur fides et obligatio credendi juxta eorum captum, non tamen sufficientia absoluta, vel ita ut cum eodem gradu sufficientiæ, non potuerit eis proponi falsus articulus, quod manifestissima experientia passim testatur. Non potest ergo negari, quod obligentur ii, saltem per accidens, ad credendum firmissime, et possint credere fide infusa articulos veros, licet non ita proponantur, ut æque non possent articuli falsi proponi. »

in hoc tamen casu assensus præstitus tali objecto non est supernaturalis, licet pia voluntas credendi sit supernaturalis;

122. Quidquid sit de hac controversia, certum est assensum præstitum objecto putative revelato, utpote erroneum, non posse esse supernaturalem, nec actum fidei divinæ; fatendum tamen est, ex secunda saltem sententia, voluntatem credendi, in prædicto casu, posse esse supernaturalem et meritoriam. Sic Lugo, l. c. n. 92 : « Fateor in prædicto casu rusticum habere piam voluntatis affectionem, et supernaturalem fidem, qua vult credere fide divina mysterium falso propositum; fateor etiam mereri per illam voluntatem credendi, et peccare etiam aliquando si eam non habeat; nego tamen posse elicere assensum fidei divinæ circa illud objectum. » Cfr. etiam disp. IX, s. 1. n. 22.

unde, licet ille assensus naturalis a vero fidei assensu experientia discerni ne-

123. Quamvis autem, ubi sub iisdem motivis credendum proponitur unum objectum revelatum, alterum vero non revelatum, nulla experientia discerni ordinarie possit credulitas naturalis data objecto non revelato a fide divina objecto revelato præstita, multiplex tamen existit a parte rei discrimen

queat, multiplex tamen inter eos discrimen habetur.

inter duos illos assensus. Etenim *a*) motiva non eodem modo sese habent ad assensum utrumque, quia supernaturalis suasio interna supplet defectum in externa propositione quoad revelationem veram, non tamen potest referri ad revelationem falsam. *b*) Deinde assensus ipse in utramque propositionem non est ejusdem firmitatis : in veritatem namque revelatam firmitas est assensionis supernaturalis, in errorem vero mere naturalis. *c*) Tandem consequenter, in supernaturali fidei adhæsione ad veritatem revelatam, juvatur homo a gratia, nec unquam justam causam habere potest eam in dubium vocandi ; contra vero quoad adhæsionem in propositionem falsam, juvatur a gratia ita ut, data opportunitate, per doctrinam Ecclesiæ externam, et per adjutorium internum ab ea persuasione retrahatur. Cfr. Franzelin, l. c., pag. 598 ; et Hurter, op. cit., n. 424, ubi eadem principia applicat ad pueros in hæresi educatos. Ita S. Thomas 2. 2, q. 8, a. 4, ad 1 et 2 : « Aliqui habentes gratiam gratum facientem, possunt hebetudinem pati circa aliqua, quæ sunt præter necessitatem salutis; sed circa ea quæ sunt de necessitate salutis, sufficienter instruuntur a Spiritu Sancto, secundum illud 1 Jo. II, 27, unctio ejus docet vos de omnibus... Etsi non omnes habentes fidem plene intelligant ea, quæ proponuntur credenda, intelligunt tamen ea esse credenda, et quod ab eis nullo modo est deviandum. »

COROLLARIUM.

Actum fidei divinæ elicere potuerunt

124. Semel præ oculis habita vera notione actus fidei divinæ, non admodum difficile erit in particulari determinare quænam sint personæ *capaces* eliciendi hunc actum.

angeli in via

125. Sane communis theologorum sententia affirmat *angelos* habuisse in statu suæ viæ propriam fidem. Cfr. S. Thomas, 2-2, q. 5, a. 1, et Lugo, disp. XVII, s. 1, n. 2, ubi hoc probat

ab exemplo hominis ; « nam in iis, ait, in quibus non habemus auctoritatem, aut rationem contrariam, debemus eodem modo sentire de angeli et hominis sanctificatione. Fuit autem eadem, imo et major ratio, ut angeli per fidem se disponerent et mererentur suam beatitudinem : nimirum ut angelus, qui pati non poterat in corpore, sed sola obsequia mentalia et spiritualia Deo poterat exhibere, captivaret intellectum in obsequium sui creatoris, et propter Dei auctoritatem crederet quæ nec videbat, nec sciebat. » A fortiori idem tenendum est de *primo homine* in statu innocentiæ ; Cfr. S. Thomas, l. c. et Lugo, ibid. n. 6.

et primi parentes ;

126. Communis etiam et verissima theologorum sententia docet, actum fidei divinæ a *damnatis* elici non posse : ratio est, « quia actus fidei infusæ indiget auxilio supernaturali gratuito ad hoc ut fiat ; quod sane auxilium merito negatur damnatis, quibus jam gratiæ et misericordiæ locus non est. » Lugo, l. c. s. 2, n. 8 et sqq. ubi multa inquirit de cognitione damnatorum ; cfr. S. Thomas 2. 2, q. 5, a. 2.

eum tamen damnati elicere non possunt,

127. De Beatis hæc statuit Lugo : « Primo, certum omnino videtur et extra controversiam, quod in Beatis possit esse fides late sumpta, hoc est, assensus fundatus in revelatione clara Dei..... Secundo, non videtur esse difficultas, quod de potentia Dei absoluta potuerit esse actus fidei obscuræ in Beatis circa objecta saltem aliunde non visa in Verbo, nec evidenter cognita.... Difficultas est, an de facto detur fides actualis in Beatis, circa objecta saltem quæ nec in Verbo nec aliunde perfecte vident... Communis et vera sententia id negat... » l. c. s. 3. Aliter tamen loquendum est de animabus Purgatorii ; « quia cum nondum Deum clare videant, adhuc vere peregrinantur a Deo, et consequenter ambulant per fidem ; » ibid. n. 48, 49.

nec Beati.

128. Actum fidei divinæ elicere possunt non solum justi sed etiam peccatores ; quod contra pseudo-reformatores defi-

Actum fidei verum eliciunt peccatores,

nivit conc. Trid. sess. VI, can. 28 : « Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul et fidem semper amitti ; aut fidem quæ remaneret non esse veram fidem, licet non sit viva ; aut eum, qui fidem sine charitate habet, non esse christianum ; anathema sit. » Traditur autem hæc veritas in sacris litteris, v. g. Joan. XII, 4 : *Multi ex principibus crediderunt in eum, sed non confitebantur : dilexerunt enim magis gloriam hominum quam gloriam Dei.* 1 Cor. XIII, 2 : *Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero...* Jac. II : *Quid proderit, fratres mei, si quis dicat fidem se habere, opera autem non habeat... Fides sine operibus mortua est in semetipsa... Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita fides sine operibus.* Ubi nota, non dixisse : *Sicut homo sine spiritu* mortuus est, sed : *sicut corpus sine spiritu.* Nam homo sine anima non est verus homo : corpus autem sine anima, licet sit mortuum, est tamen verum corpus : ita fides sine charitate et operibus est mortua, sed vera fides. Huc pertinet modus loquendi theologorum de fide *formata* et de fide *informi.* « Quod non ita intelligi debet, ac si fides in ratione sua formali fidei constitueretur per charitatem, sed ita ut fides sine charitate esse quidem possit, sed non sit ipsa jam perfecta justitia christiana, nec ad eam ultima dispositio ; charitas sit perfectio, sed sine fide non sit ; charitas absolvat quod fide est inchoatum, charitas impleat quod fides ostendit, ac proinde charitas sit forma non *intrinseca* sed *extrinseca* fidei. » Franzelin, de sacramentis, th. VIII, pag. 81. Ita etiam Lugo, disp. XVI, s. 3, n. 50 : « Restat ergo, charitatem solum esse posse moraliter formam fidei, et hoc ex duplici titulo : primo, quatenus ex consortio charitatis, actus fidei redduntur meritorii vitæ æternæ, qui sine charitate nullum haberent valorem. Hoc autem non est proprium fidei, sed commune aliis omnibus virtutibus, quæ sine charitate, nullius etiam pretii sunt... Secundus titulus est specialis in fide, ratione cujus in

peccatore dicitur fides *mortua*, in justo vero dicitur *viva* : quia scilicet fides informis habet se ad modum radicis, seu arboris non ferentis fructum, in quo statu reputatur quasi mortua. Ideo B. Jacobus, cap. II, dicit fidem sine operibus esse mortuam, seu, ut legit Aug.., esse fidem otiosam ; quem modum loquendi usurpavit etiam concilium Tridentinum sess. VI, cap. VII, et in eo etiam sensu B. Judas Apostolus, appellavit hæreticos arbores autumnales bis mortuas, quia nec fructum habent boni operis, nec radicem fidei, et ideo in utroque mortui sunt. »

nisi sint hæretici formales.

129. Hæretici *formales*, qui recusant assensum alicui veritati fidei eis sufficienter propositæ, non possunt circa alias fidei veritates, quibus assentiuntur, elicere actus fidei super omnia, quales actus supernaturales fidei divinæ esse oportet. « Sicut enim repugnat, ut Deus summum bonum ametur charitate super omnia in observatione cæterorum mandatorum, dum unum violatur, et eo ipso Deus appretiative alicui bono non præfertur ; ita Deus prima veritas non potest coli mentis obsequio et subjectione appretiative super omnia in credendis cæteris veritatibus, dum hoc obsequium in una aliqua veritate satis proposita negatur. » Franzelin, l. c. pag. 582 ; Cfr. Lugo, disp. XVII, s. 6, n. 122. At « non est ratio cur negentur actus fidei divinæ iis qui absque sua culpa, in aliqua secta nutriti, infallibilitatem quidem Ecclesiæ invincibiliter ignorant, alias tamen veritates revelatas habent sufficienter propositas per res et facta quæ ab Ecclesia eis incognita et ipsis insciis ad eos derivantur. Hujusmodi enim homines, quamdiu graviter contra fidem non peccant, et promptum gerunt animum, revelationem quamvis ac proinde etiam Ecclesiam veram, ubi sufficienter erit proposita, firmissime credendi et practice sequendi, solum *materialiter* hæretici, dispositione autem ac habitu vere fideles sunt. » Franzelin, ibid. pag. 590.

CAPUT II.

DE NATURA VIRTUTIS FIDEI THEOLOGICÆ.

Datur virtus fidei infusa

130. *Certum est dari fidei donum per se infusum et permanens, distinctum ab actu credendi;* definiri autem potest cum Suarezio: « Virtus inclinans et dans supernaturalem facultatem eliciendi assensum, propter auctoritatem primæ veritatis revelantis; » vel cum aliis: Virtus supernaturalis, infusa, inclinans intellectum ad firmiter assentiendum veritatibus a Deo revelatis et ab Ecclesia propositis, ob Dei revelantis auctoritatem. » Cfr. Conc. Vat. c. III.

in justificatis non sólum adultis,

131. *Fide tenendum est, hujusmodi donum esse saltem in adultis justificatis:* probatur ex concilio Trid. sess. VI, c. 7, ubi, post enumeratas dispositiones, quæ justificationem præcedunt, et in ipsis actum fidei et spei, subdit: « Hanc dispositionem et præparationem justificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed sanctificatio etiam et renovatio interioris hominis, per susceptionem gratiæ et donorum; » ubi susceptio gratiæ et donorum in justificatione inclusa, condistinguitur a præparatione, quam consequitur, et in qua supponebatur jam fides actualis; ergo nomine donorum, quæ postea infunduntur, intelligi debet aliquid permanens et ab actibus condistinctum. —Confirmatur ex illatione facta a concilio, eodem c. 7, ubi, postquam dixit causam formalem justificationis esse justitiam inhærentem, datam a Deo secundum cujusque dispositionem, infert statim: « Unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia accipit homo simul infusa per Jesum Christum, cui inseritur: fidem, spem et charitatem; » ubi explicat quæ sint illa dona, quorum susceptionem superius dixerat includi in justificatione. — Confirmatur secundo ex verbis sequentibus ubi concilium docet, hanc fidem esse « quam ante baptismi sacra-

mentum ex Apostolorum traditione, catechumeni ab Ecclesia petunt, cum petunt fidem, vitam æternam præstantem. » Hæc enim fides non datur ab Ecclesia nisi per baptismum, ad quem ipsi accedunt; per baptismum autem non datur fides actualis, sed donum permanens fidei ab actu distinctum, neque ipsi postulare censentur actum fidei cum quo jam habito accedunt ad baptismum. — Confirmatur tertio, ex eodem concilio, eadem sess. VI, cap. 15 et can. 28, dicente, quocumque peccato mortali amitti gratiam justificationis, non tamen fidem nisi per infidelitatem, et hanc fidem, quæ remanet amissa gratia, esse veram fidem. Ubi nomine fidei intelligitur aliquid permanens. Cfr. Lugo disp.IX.c.3.n.42.43.

sed etiam parvulis.

132. *Idem fere dicendum videtur de parvulis, licet quoad ipsos res minus eliquata sit;* ita Suarez, disp. VII, s. 1, n. 2 : « Dictæ definitiones recte probant de adultis, et ad parvulos extenduntur; quia, licet quoad dispositiones ad justitiam differant ab adultis, non tamen quoad ipsam formalem justitiam, ut manifeste tradit idem concilium in sess. V, et ideo inter justos fideles et catholicos, æqualiter et univoce parvuli numerantur. » Ex Lugone tamen, circa parvulos « in Tridentino non videtur aperte definita infusio harum virtutum, licet ex similitudine justificationis per gratiam inhærentem, quam illis tribuit sess. V, can. 5, videatur etiam virtutum infusio legitime consecuta. » l. c. n. 45. Cæterum de hac quæstione non parum olim disputatum est, ut constat ex c. *Majores*, de Baptismo, ubi Innocentius III, in medium productis utriusque partis opinionibus, nihil definit; et ex concilio Viennensi, relato in Clementina unica, de Summa Trinitate, ubi opinio ponens habitus infusos solum eligitur ut magis probabilis; ita nimirum habetur: « Verum, quia quantum ad effectum baptismi in parvulis, reperiuntur Doctores quidam theologi opiniones contrarias habuisse : — Quibusdam ex ipsis dicentibus per virtutem baptismi, parvulis quidem culpam remitti, sed

gratiam non conferri ; aliis e contra asserentibus quod, et culpa eisdem in baptismo remittitur, et virtutes ac informans gratia infunduntur, quoad habitum, etsi non pro illo tempore, quoad usum :—Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Christi (quæ per baptisma applicatur pariter omnibus baptizatis) opinionem secundam (quæ dicit tam parvulis quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam et virtutes) tanquam probabiliorem et dictis Sanctorum ac Doctorum modernorum Theologiæ magis consonam et concordem, sacro approbante concilio, duximus eligendam. »

Licet hæc virtus non videatur infundi ante gratiam sanctificantem,

133. *Non levis inter theologos controversia est circa dispositionem requisitam ad infusionem habitus fidei ; an sit sola fides actualis, an vero contritio vel attritio, quæ disponit proxime, extra vel intra sacramentum, ad infusionem gratiæ habitualis ;* quod est idem ac quærere : an quando infidelis convertitur ad fidem, infundatur ei habitus fidei statim ac credit ; an vero non tunc, sed quando recipit gratiam habitualem, præcedente contritione perfecta vel attritione cum sacramento. De parvulis enim non est difficultas : hi enim simul accipiunt in baptismo omnes habitus. De adultis est ratio dubitandi, quia adultus prius tempore credit quam justificetur per contritionem vel sacramentum ; dubitatur ergo an, quando primum credit, accipiat habitum fidei, an vero quando justificatur. Eadem difficultas est de illo qui amisit fidem per hæresim ; an recuperet habitum fidei cum primum credit antequam justificetur. — Tres sunt in hac controversia potissimæ sententiæ. Prima affirmat habitum fidei infundi sæpe sine habitu gratiæ : ita Suarez, disp. VII, s. 5, n. 6, etc... Secunda sententia concedit, licet non infundatur extra sacramentum, infundi tamen fidem in baptismo, in homine disposito per fidem actualem, habente tamen obicem ad habitum gratiæ : ita Sotus, de natura et gratia, c. VIII... Tertia sententia negat unquam infundi habitum fidei absque habitu

gratiæ : hæc plane videtur communis apud antiquos theologos.... Habet autem hæc doctrina communis magni ponderis fundamenta, nec leviter introducta est, ut aliqui minus caute dixerunt. Fundatur enim in ipsa essentia gratiæ habitualis, quæ quidem ideo est forma justificans, et faciens filium adoptivum, ac consortem divinæ naturæ, ad quam consequuntur potentiæ et operationes supernaturales, sicut ad animam rationalem consequuntur potentiæ et operationes humanæ : ex hoc autem conceptu gratiæ habitualis, manifeste sequitur quod, sicut habitus infusi aliarum virtutum, sic etiam habitus fidei debeat ex ipsa gratia dimanare.... » Lugo, disp. XVI, s. 2. Cfr. Platel, p. III, n. 226.

potest tamen remanere sine gratia ;

134. *Attamen donum fidei remanere potest sine gratia et charitate,* prout ex modo loquendi Scripturæ colligitur : « Nam de habitibus permanentibus loqui videtur Paulus, 1 Cor. XIII, 13, cum dicit : *Nunc autem manent fides, spes, charitas; tria hæc.* Quod significare videtur verbum illud *manent;* nam actus non manent sed transeunt ; et tamen de eadem fide præmiserat Paulus, ib. : *Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero etc.* ; ubi separabilitatem fidei a charitate significavit. Ad idem ponderari possunt verba illa quibus apud Jacobum, cap II, fides sine operibus dicitur mortua et otiosa ; nam verba illa de habitu fidei videtur intellexisse Tridentinum, sess. VI, cap. 7 ; cum enim præmisisset : « in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, et charitatem : » quod de habitibus intelligendum probavimus supra ; nam fidei actus non infunditur in justificatione, sed debet præcedere ut dispositio ; et statim de eadem fide subjungit : « hanc fidem ante baptismi sacramentum ex Apostolorum traditione catechumeni ab Ecclesia petunt ; » quod etiam de habitu debet intelligi, nam fidem actualem non petunt, sed afferunt jam quando petunt baptismum. De eadem

autem fide interseruit, de ea verissime dici « fidem sine operibus mortuam et otiosam esse ; » quare hæc Jacobi verba de eadem fide habituali intellexit, quam postea dixit ante baptismum a catechumenis postulari, et quam prius dixerat infundi simul cum gratia et charitate in ipsa justificatione : quæ omnia de habitu fidei debent verificari. Unde aliqui in æquali certitudinis gradu ponunt, quod habitus fidei manere possit in peccatore, et quod possit fidei actus permanere : ita docet Suarez, disp. VII, s. 3, n. 3. Alii tamen merito negant æqualem gradum certitudinis quoad habitum. » Lugo disp. XVI, §. 3, n. 38.

et solum amittitur per peccatum hæreseos.

135. *Quamvis ergo donum fidei non amittatur per quodcumque peccatum mortale, amittitur nihilominus per mortale peccatum hæreseos et infidelitatis ;* quod traditur in concilio Trid. sess. VI, cap. 5 : « Asserendum est, non modo infidelitate, per quam et ipsa fides amittitur, sed etiam quocumque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam justificationis gratiam amitti. » Cfr. Lugo, disp. XVII, s. 4 et 5 ; Platel, l. c. n. 266 et sqq.

136. *Cessat donum fidei non solum in damnatis sed etiam in Beatis cum Christo regnantibus in cœlo.* Ratio quoad damnatos est, « tum quia... merito privantur omni dono supernaturali ; tum quia habitus esset ibi otiosus, cum in eo statu nullam unquam posset habere operationem. Neque obstat, manere in damnatis characterem baptismi vel sacerdotii ; quia character, juxta veriorem sententiam, non est qualitas operativa, sed est solum signum indelebile potestatis vel gratiæ acceptæ... quod signum merito manet ad majorem eorum confusionem ; at vero habitus fidei est qualitas operativa. » Lugo, l. c. s. 2, n. 9. Ratio vero quoad Beatos « potissimum desumitur ex inutilitate et otio illius habitus, cum in eo (statu) nunquam elicere possit actum suum, qui involvit imperfectionem obscuritatis... » Ibid. s. 3, n. 36.

137. *Porro formale fidei donum virtus est intellectualis, imo et theologica :* est quidem virtus intellectualis, « quia virtus potentiæ est habitus inclinans indefectibiliter ad bonum suum, id est, semper ad bonum et nunquam ad malum; hoc autem habet fidei habitus respectu intellectus ; nam bonum intellectus est veritas, malum autem falsitas ; fides vero ita inclinat ad verum, ut nunquam inclinet ad falsum. » Suarez, disp. XII, s. 1, n. 9. Est etiam virtus theologica, quia « attingit Deum immediate et tanquam objectum materiale et tanquam rationem objecti, et modo etiam divino et supernaturali; » ibid. n. 10. Plura legi possunt apud Lugo, disp. XV, sect. 1 et 2.

Præter virtutem fidei theologicam,

138. *Præter habitum intellectualem, a quo immediate elicitur actus fidei, datur in voluntate habitus per se infusus ad eliciendum actum piæ affectionis credendi, et imperii actus fidei.* Ratio est, quod ad perfectionem actus, qui ex duobus principiis effectivis procedit, requiratur ut utrumque principium sit intrinsece et permanenter perfectum ; sed actus fidei, sumptæ complete et ut formaliter liberæ, procedit ab intellectu et voluntate tanquam principiis effectivis, quorum utrumque natum est per habitum perfici ; ergo ut actus fidei procedat modo perfecto et connaturali, necessarius est habitus infusus, etiam in voluntate, cum nulla sit ratio cur intellectus potius instruatur habitu infuso ad credendum, quam voluntas ad volendum credere. Iste habitus non est studiositas, nec obedientia supernaturalis, aut religio, sed est virtus specialis, fidei subserviens, a reliquis distincta. Cfr. Platel, l. c. n. 253 et sqq. ; Lugo, disp. IX, s. 3, n. 45 et disp. XV, s. 2, n. 25.

existit in voluntate habitus infusus ad eliciendum actum piæ affectionis credendi

139. *Insuper datur in intellectu habitus per se infusus ad eliciendum judicium supernaturale immediate directivum piæ affectionis ad credendum ;* ut sic nempe procedat modo magis connaturali a principio completo ac perfecto per formam intrinsecam ac permanentem. Videtur autem iste habitus esse

et in intellectu habitus infusus ad eliciendum judicium credibilitatis ;

prudentiæ specialis, cujus proprium et adæquatum objectum sit convenientia aut debitum actus credendi, seu subjiciendi se primæ veritati, qui proinde de se non supponit fidem, sicut supponit prudentia generalis directiva virtutum moralium, quæ fide posteriores sunt, nec illi essentialiter subserviunt. Cfr. Platel, l. c. n. 255; Lugo, disp. XI, s. 2, et disp. XV, s. 2, n. 24.

a quibus etiam distinguitur habitus theologicus.

140. *Ab his distingui debet habitus inferior, quem theologicum vocant, quique pro objecto habet theologicum assensum.* De hujusmodi habitu ita Lugo, disp. I, s. 13, n. 331 et sqq.: « Aliqui absolute dicunt habitum theologiæ non distingui ab habitu fidei... Alii tamen communiter ponunt habitum theologiæ distinctum ab habitu fidei... Alii denique distinguunt, et dicunt, quando conclusio deducitur ex duabus revelatis, concurrere solum habitum fidei; quando vero ex altera revelata, et altera vel philosophica vel peregrina, dari habitum theologiæ distinctum... Ego aliter distinguendum puto, et dicendum, theologiam distingui inadæquate ab habitu fidei, ut includens ab incluso; quæ enim concurrunt ad assensum conclusionis theologicæ includunt habitum fidei et addunt aliquid aliud; quare utraque sententia et distinguens et non distinguens theologicum habitum ab habitu fidei, in aliquo sensu vera est. » Ad questionem vero utrum iste habitus theologiæ naturalis sit vel supernaturalis, sic respondet, ibid. n. 344 et sqq.: « Suppono... habitus infusos in statu viæ dari a Deo ut per actus proportionatos operemur et promereamur beatitudinem supernaturalem, ad quam sumus ordinati, et mereamur etiam de congruo justificationem per gratiam justificantem, et de condigno ejusdem gratiæ augmentum, quæ est semen gloriæ supernaturalis: quare non sunt alii habitus infusi concedendi, præter eos qui ad hunc finem deservire possunt... Hoc supposito dico, licet omnes assensus conclusionis proprie theologicæ sint supernaturales, non tamen ad omnes

requiri habitum infusum distinctum ab habitu fidei, sed ad aliquos. Prima pars hujus assertionis constat ex supradictis... ubi diximus, ejusmodi assensum conclusionis theologicæ esse proprie actum fidei, quatenus versatur circa objectum præmissæ revelatæ, et illud credit propter auctoritatem divinam, atque ideo debere hoc saltem titulo concurrere habitum fidei ad illum assensum, et per consequens assensus ille supernaturalis erit, saltem quatenus versatur circa objectum fidei, quod debito modo credit... Nunc jam explico et probo secundam et tertiam partem ejusdem assertionis. Pro quo adverto, conclusiones,quæ deduci possunt ex principio revelato,aliquas posse deservire ad bene operandum, et excitare affectum bonum et meritorium in voluntate; alias vero inutiles esse ad hunc finem... Qua differentia supposita, dicimus, primum genus conclusionis non indigere alio habitu infuso concurrente præter fidem, secundum vero genus indigere. »

Donum intellectus fidei respondens,

141. Ad fidem refertur *donum intellectus*, per quod supernaturali lumine mens hominis illustratur ad veritates fidei *penetrandas*. « Indiget homo, inquit s. Thomas, supernaturali lumine ut ulterius penetret ad cognoscendum quædam quæ per lumen naturale cognoscere non valet. Et illud lumen supernaturale homini datum, vocatur lumen intellectus. » 2. 2, q. 8, a. 1 et sqq. ; ubi plura de hoc dono inquirit; imo ibid. q. 9, fidei etiam annectit donum scientiæ, quod tamen multis minus placet. Cfr. Tanner, disp. I, q. 6, dub. 5, in fine.

ejusque effectus, sc. munditia cordis.

142. *Virtus fidei* et *donum intellectus* disponunt ad munditiam cordis, prout explicat Angelicus, 2. 2, q. 8, a. 7 : « Dicendum quod in sexta beatitudine, sicut et in aliis, duo continentur. Unum per modum meriti, scilicet munditia cordis, aliud per modum præmii, scilicet visio Dei... Et utrumque pertinet aliquomodo ad donum intellectus. Est enim duplex munditia : una quidem præambula et dispositiva ad Dei vi-

sionem, quæ est depuratio affectus ab inordinatis affectionibus. Et hæc quidem munditia cordis fit per virtutes et dona quæ pertinent ad vim appetitivam. Alia vero munditia cordis est, quæ est quasi completiva respectu visionis divinæ. Et hæc quidem est munditia mentis depuratæ a phantasmatibus et erroribus, ut scilicet ea quæ de Deo proponuntur, non accipiantur per modum corporalium phantasmatum, nec secundum hæreticas perversitates. Et hanc munditiam facit donum intellectus. Similiter etiam duplex est Dei visio : una quidem perfecta, per quam videtur Dei essentia ; alia vero imperfecta, per quam, etsi non videamus de Deo quid est, videmus tamen quid non est: et tanto in hac vita Deum perfectius cognoscimus, quanto magis intelligimus Deum excedere quidquid intellectu comprehenditur. Et utraque Dei visio pertinet ad donum intellectus. Prima quidem, ad donum intellectus consummatum, secundum quod erit in patria ; secunda vero ad donum intellectus inchoatum, secundum quod habetur in via. » Cfr. Franzelin, de Deo uno, pag. 199, et Jungmann, de Novissimis, n. 143 et sqq., ubi de *lumine gloriæ*.

—

APPENDIX.

DE RELATIONE INTER FIDEM ET SCIENTIAM.

Fides et scientia sunt duo modi cognoscendi

143. « Perpetuus Ecclesiæ catholicæ consensus tenuit et tenet, *duplicem esse ordinem cognitionis*, non solum principio, sed objecto etiam distinctum : principio quidem, quia in altero naturali ratione, in altero fide divina cognoscimus ; objecto autem, quia, præter ea ad quæ naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quæ nisi revelata divinitus innotescere non possunt. » Conc. Vat. const. *Dei Filius*, c. IV. Cfr. supra c. I, art. 2 et 3.

144. Hæc duorum cognitionis ordinum distinctio a concilio inculcata est contra eos qui, vel nimium extenuando vires rationis, omnem cognitionem supersensibilium revocaverunt ad fidem; vel e contra ejusdem rationis vires nimium augendo, fidem ipsam converterunt in meram scientiam rationalem. Cfr. Franzelin, op. cit. pag. 603-604. Jansen. Theol. Dogm. Fund. p. IV, c. 3, art. 3, § 135. distincti,

145. *Duo isti ordines, licet distincti, non sunt tamen separati, sed conjuncti.* Etenim, ex una parte, nemo potest credere fide explicita, quæ sit virtus et fides divina, quin hæc tria cognoscat : a) infallibilem veracitatem Dei et factum revelationis divinæ ; b) quæ sint veritates revelatæ ; eoque ipso c) quis sit sensus veritatis credendæ. Huc pertinet propositio jussu S. Sedis subscripta, 8 sept. 1840, et 11 jun. 1855 : « Rationis usus fidem præcedit et ad eam hominem, ope revelationis et gratiæ, conducit. » Cfr. Franzelin, op. cit. pag. 522, et rursus p. 617. Ex altera parte, fides cognitionem naturalem juvat, eam reddendo faciliorem, certiorem ac veriorem, et ampliorem. Præclare Franzelin, l. c. p. 611 : « Quæ in revelatione continentur per se quidem etiam lumine rationis cognoscibilia, attamen magnis quandoque impedita difficultatibus, ea per fidem præmonstrantur infallibiliter vera; unde fit, ut ratio ex suis principiis eadem facilius et securius intelligere ac demonstrare valeat ; quæ autem revelatæ veritati opponuntur, ea, etiamsi quandoque magnam speciem veritatis præ se ferre videantur, per fidem præcognoscuntur (ut revera sunt) falsa, hocque ipso ratio tum præmunitur ab errore, licet forte nondum intelligat cur et quomodo sit error, tum juvatur ut lumine proprio expeditius et profundius intelligat veritatem in directa oppositione contra errorem... » Præterea « per revelationem et fidem veritatum superrationalium non minus præmunitur ratio contra errores in scientiis etiam mere naturalibus et rationabilibus ; quæ enim non separati sed conjuncti,

veritati licet super-rationali repugnant, ea necessario simpliciter falsa sunt..... Deinde etiam positive hujusmodi veritatum cognitio per fidem, non solum mentem humanam altiori in ordine illustrat et perficit..., sed etiam plurimum juvat ad ampliorem ac profundiorem scientiam veritatum rationalium. Sicut enim in ordine ontologico gratiæ dona, quæ sunt supra naturam, hanc non destruunt, sed evehunt et nobilitant, ita in ordine logico veritates superrationales non sunt omnino disparatæ a rationalibus, sed cum his multiplici analogia cohærent; atque ideo quod per fidem cognoscimus verum in superrationalibus, deducit nos ad profundiorem penetrationem veri in analogis rationalibus. Ita notiones per se rationales naturæ et hypostaseos, generationis, sacrificii, extensionis corporum et sensibilium phænomenorum ex revelatis veritatibus multipliciter expoliari posse ac debere sæpe vidimus. » Hoc sensu, ex concilio Vat. fides et scientia « opem sibi mutuam ferunt, cum recta ratio fidei fundamenta demonstret, ejusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolat; fides vero rationem ab erroribus liberet ac tueatur, eamque multiplici cognitione instruat. »

et subordinati,

146. *Licet utraque cognitio rationi conformis sit, humanumque intellectum perficiat, supernaturalis tamen cognitio per fidem naturali cognitioni multo excellentior est*, non solum quia hominem evehit ad altiorem scientiæ ordinem ipsique novum sensum tribuit, sed etiam quia magis certa et infallibilis est: etenim revelatio præstat manifestationi per creaturas; et auctoritas Dei, qui nec falli nec fallere potest, est supra rationem humanam, quæ obnoxia est errori tum circa principia tum circa deductiones. Hinc cognitio supernaturalis per fidem habenda est instar *normæ* ad quam exigenda est cognitio naturalis.

nunquam tamen oppositi.

147. *Cæterum nunquam potest esse realis oppositio inter cognitionem naturalem simpliciter certam et cognitionem*

supernaturalem fidei. Deus enim auctor luminis rationis creati et ordinati ad verum cognoscendum, et infinite verax revelator per verbum suum, non potest sibi ipsi contradicere, nec verum vero potest repugnare. Ita in conc. Lateranensi V, Constit. *Apostolici regiminis*, contra Neoperipateticos sæc. XV et XVI : « Cum verum vero minime contradicat, omnem assertionem veritati illuminatæ fidei contrariam omnino falsam esse definimus ; et ut aliter dogmatizare non liceat, districtius inhibemus ; omnesque hujusmodi erroris assertionibus inhærentes, velut damnatissimas hæreses seminantes, vitandos et puniendos fore decernimus. » Et S. Pontifex Pius IX, Encyclic. 9 nov. 1846 : « Etsi fides sit supra rationem, nulla tamen vera dissensio, nullumque dissidium inter ipsas inveniri unquam potest, cum ambæ ab uno eodemque immutabilis æternæque veritatis fonte Deo Optimo Maximo oriantur. » Demum conc. Vatic. l. c. : » Etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest : cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit ; Deus autem negare seipsum non possit, nec verum vero unquam contradicere. Inanis autem hujus contradictionis species inde potissimum oritur quod fidei dogmata ad mentem Ecclesiæ intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur. » Et quidem, ex parte *cognitionis naturalis*, plurima sunt cognoscibilia, quæ pro lumine humanæ rationis limitato ac infirmo, evidentia et certo vera vel actu non sunt vel fieri non possunt, et de quibus homo nihilominus sæpe præsumit judicare, ac si eorum manifestatio esset plena et adæquata. Sæpe enim quod certo verum cognoscitur sub una ratione, judicatur verum sub rationibus aliis, sub quibus nec certo cognoscitur nec verum est ; — quod est verum hypothetice judicatur verum absolute ; — vel ex rationibus apparentibus assumitur falsum

pro vero, quia comparatio cum rationibus oppositis vel non instituitur vel aliquando etiam institui non potest. Hinc fit ut in omnibus fere scientiis, sicut generatim quandoque falsum pro vero assumi, ita etiam sententiæ oppositæ vero revelato statui possunt. Franzelin, l. c. pag. 607. Ex parte vero *cognitionis supernaturalis*, periculum est, ne temere affirmando sensum aliquem in verbo Dei, qui forte nec sensus revelationis nec in se verus est, oppositiones confingamus velut inter fidem et errorem in scientia, ubi revera vel oppositio non est, vel est inter nostram falsam opinionem et inter veritatem scientificam. Franzelin, l. c. pag. 615 (1).

(1) De his sapientissime et gravissime monet S. Augustinus, Gen. ad litt. l. I. n. 37, sqq.

« In rebus obscuris atque a nostris oculis remotissimis, si quæ inde scripta etiam divina legerimus, quæ possint salva fide qua imbuimur, alias atque alias parere sententias, in nullam earum nos præcipiti affirmatione ita projiciamus, ut si forte diligentius discussa veritas eam recte labefactaverit, corruamus ; non pro sententia divinarum Scripturarum, sed pro nostra ita dimicantes, ut eam velimus Scripturarum esse, quæ nostra est, cum potius eam, quæ Scripturarum est, nostram esse velle debeamus. »

Ponit deinde exempla ex rebus physicis, Geneseos I, sermo est de creatione lucis, de die ac nocte ante creationem firmamenti et solis ; quæritur ergo, utrum lux corporalis creata dicatur in Scripturis ita, ut antequam sol et firmamentum existeret, dies ac noctes sibi succederent, an potius ibi agatur de luce et creaturis spiritalibus. Audi responsiones cautissimas ad hanc et huic similes quæstiones.

« Esse spiritalem lucem in creatura spiritali, fides nostra non dubitat; esse autem lucem corporalem cœlestem, aut etiam supra cœlum vel ante cœlum cui succedere nox potuerit, tamdiu non est contra fidem, donec veritate certissima refellatur. Quod si factum fuerit, non hoc habebat divina Scriptura, sed hoc senserat humana ignorantia. Si autem hoc verum esse certa ratio demonstraverit, adhuc incertum erit, utrum hoc in illis verbis sanctorum librorum scriptor sentire voluerit, an aliud ali-

Demum summopere cavendum est in hac re, ne, quæ sunt vel supra actualem nostram cognitionem vel simpliciter supra rationem, confundantur cum eo quod est contra rationem, et ne quod lumine rationis non cognoscitur ut verum vel saltem ut possibile, perinde habeatur ac si cognosceretur illud non esse verum vel esse impossibile. Franzelin, de Sacr. Euch. th. II. Cæterum, sub hac restrictione, sicut ubi de veritate revelata certo constat, eo ipso repugnat ut sit aliqua veritas sive revelata sive rationalis ei contraria, et proinde potest quidem ratio infirma errando putare verum, non tamen potest evidenter cognoscere ut verum, quod revelatæ veritati contradicit ; ita sensus qui subjiciatur verbo

quid non minus verum... Plerumque accidit ut aliquid de terra, de cœlo, de cæteris mundi hujus elementis, de motu et conversione vel etiam magnitudine et intervallis siderum, de certis defectibus solis ac lunæ, de circuitibus annorum et temporum, de naturis animalium atque hujusmodi cæteris, etiam non christianus ita noverit ut certissima ratione vel experientia teneat. Turpe est autem nimis et perniciosum ac maxime cavendum, ut christianum de his rebus, quasi secundum christianas litteras, loquentem ita delirare quilibet infidelis audiat, ut, quemadmodum dicitur, toto cœlo errare conspiciens, risum tenere vix possit... Quid enim molestiæ tristitiæque ingerant prudentibus fratribus temerarii præsumptores, satis dici non potest, cum si quando de prava et falsa opinione sua reprehendi et convinci cœperint ab eis, qui nostrorum librorum auctoritate non tenentur, eosdem libros sanctos, unde id probent, proferre conantur... non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. »

Eodem modo S Thomas, 1. q. 68, a. 1 ; « In hujusmodi quæstionibus duo sunt observanda. Primo quidem, ut veritas Scripturæ inconcusse teneatur. Secundo, cum Scriptura divina multipliciter exponi possit, quod nulli expositioni aliquis ita præcise inhæreat, ut, si certa ratione constiterit hoc esse falsum, quod aliquis sensum Scripturæ esse credebat, id nihilominus asserere præsumat, ne Scriptura ex hoc ab infidelibus derideatur, et ne eis via credendi præcludatur. »

Dei, evidenter repugnans veritati evidenter cognitæ nunquam potest esse genuinus. Ad hoc principium reducuntur regulæ pleræque, quas S. Augustinus, l. III de doctr. christ. proponit ad discernendum sensum proprium et sensum metaphoricum in Scripturis. Est autem hæc interpretandi lex ita obvia et per se evidens, ut, qui eam negare vellet, simul cum ratione etiam fidem omnem subverteret; ea enim sublata sermo humanus redderetur inintelligibilis, neque quis sensus subsit, quis non subsit etiam locutionibus Dei et Ecclesiæ constare amplius posset : « etiam credere non possemus nisi rationales animas haberemus. » S. Augustinus. epist. CXX (al. CXXII), n. 3, ad Consent.

Disciplinæ humanæ fidem respicere debent tamquam *stellam rectricem*, licet ab ea sint independentes quoad sua principia, methodum et conclusiones.

148. Cognitio rerum naturalis magis exculta *scientia* vocatur seu *philosophia*, et pro diverso ordine veritatum quæ contemplantur, in varias dividitur disciplinas humanas. Intellectus autem noster in his disciplinis tractandis utitur methodo unicuique propria, et progreditur a principiis per rationem cognitis non vero per fidem subministratis ; et in hoc consistit justa *libertas* scientiæ, ejusque a fide *autonomia*. Semper tamen principia fidei tanquam *norma* et *stella rectrix* præ oculis habenda sunt ; et in hoc consistit debita *subjectio* scientiæ ac philosophiæ ad fidem. Huc pertinent propositiones Syll. X et XIV : « Quum aliud sit philosophus, aliud philosophia, ille jus et officium habet se submittendi auctoritati, quam veram ipse probaverit; at philosophia neque potest, neque debet ulli se submittere auctoritati. » — « Philosophia tractanda est nulla supernaturalis revelationis habita ratione.» De quibus ita S. Pontifex, in litt. 11 decemb. 1862 : « Esset tolerandum et forte admittendum, si hæc dicerentur de jure tantum quod habet philosophia suis principiis, sua methodo ac suis conclusionibus uti, sicut et aliæ scientiæ, ac si ejus libertas consisteret in hoc suo jure utendi, ita ut nihil in se admitteret quod non fuerit ab ipsa suis conditionibus acqui-

situm aut fuerit ipsi alienum. Sed hæc justa philosophiæ libertas suos limites noscere et experiri debet. Nunquam enim non solum philosopho verum etiam philosophiæ licebit, aut aliquid contrarium dicere iis, quæ divina revelatio et Ecclesia docet, aut aliquid ex eisdem in dubium vocare, propterea quod non intelligit, aut judicium non suscipere quod Ecclesiæ auctoritas de aliqua philosophica conclusione, quæ hucusque libera erat, proferre constituit. » Similiter in litteris 21 decemb. 1863 commendatur, ut humanæ rationis lumen finibus circumscriptum eas quoque veritates investigando, quas propriis viribus et facultatibus assequi potest, veneretur maxime infallibile et increatum divini intellectus lumen, quod in christiana revelatione relucet. « Quamvis enim naturales illæ disciplinæ suis propriis ratione cognitis principiis nitantur, catholici tamen earum cultores divinam revelationem, velut rectricem stellam, præ oculis habeant oportet, qua prælucente sibi a syrtibus et erroribus caveant, ubi in suis investigationibus et commentationibus animadvertant, posse se illis abduci, ut sæpissime accidit, ad ea proferenda, quæ plus minusve adversentur infallibili rerum veritati, quæ a Deo revelatæ fuere. » Et conc. Vat. l. c. : « Nec sane ipsa (Ecclesia) vetat, ne hujusmodi disciplinæ in suo quæque ambitu propriis utantur principiis, et propria methodo ; sed justam hanc libertatem agnoscens id sedulo cavet, ne divinæ doctrinæ repugnando, errores in se suscipiant, aut fines proprios transgressæ, ea, quæ sunt fidei, occupent et perturbent. » Et can. 2 : « Si quis dixerit, disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse, ut earum assertiones, etsi doctrinæ revelatæ adversentur, tanquam veræ retineri, neque ab Ecclesia proscribi possint ; anathema sit. »

Scientia fidei seu theologia,

149. Supernaturalis fidei cognitio magis exculta *theologia* vocatur, quæ in varias partes distribuitur, prout pulcherrime explicat Franzelin, l. c. pag. 619-620 : « Illa « amplior ma-

nifestatio eorum quæ in doctrina sacra traduntur,» considerari potest in cognitione facti revelationis, ac proinde motivorum credibilitatis.... pariterque in cognitione modi quo revelatum Dei verbum ad nos pervenit, ac perpetuo intemeratum conservatur,... ac proinde in cognitione fundamentorum, fontium, et regularum fidei, ex quorum omnium scientifica demonstratione constituitur *theologia apologetica*. — Tum spectanda est « amplior manifestatio » per intellectionem et demonstrationem, *quæ veritates* sive theoricæ sive practicæ, et *quomodo* contineantur in verbo Dei, prout in Scriptura ac traditione conservatur, et ab Ecclesia proponitur. Scientia hæc, *quid* et *quomodo* in verbo Dei contineatur, est *theologia dogmatica* et *moralis*, quæ vocari solet *positiva*. — Denique « amplior manifestatio » dogmatum secundum intrinsecam eorum rationem (quantum intellectus fide illustratus, per speculum et in ænigmate, cognoscere potest) perficitur per *theologiam speculativam*. Potest enim intellectus fide illustratus etiam superrationalia per notiones rationales *analogice*, seu (ut S. Thomas loquitur) secundum similitudinem cognoscere *quid sint* ; eorum mutuum nexum, unius veritatis ab altera consecutionem, unius cum altera convenientiam, atque aliquam cum ipsis veritatibus rationalibus congruentiam perspicere... — Cum his omnibus porro cohæret et in eis includitur *theologia polemica* ad defensionem doctrinæ revelatæ adversus errores contrarios, sive ii versentur circa ipsos fontes doctrinæ, ex perversione fundamentorum fidei, sive circa singula dogmata, ex falsa interpretatione verbi Dei, sive circa verum intellectum eorum, ex abusu philosophiæ. » Cfr. etiam de Deo uno, pag. 11-14.

quæ distinguitur in apologeticam,

positivam,

speculativam,

polemicam,

progreditur a principiis fidei,

150. Intellectus autem noster in his disciplinis tractandis fide illustratus supponitur, et a principiis fidei progreditur ; de qua re ita rursus Franzelin, l. c. pag. 622-623 : « In inquisitione et scientia theologiæ tanquam fundamentum supponi-

tur fides, ejusque supernaturalis firmitas, ac proinde etiam supponitur cognitio jam inclusa in ipsa fide, tum nempe existentiæ revelationis divinæ, tum illius sensus veritatum in quo ab Ecclesia catholica proponuntur. Hæc cognitio, ante omnem cognitionem scientificam, eamdem certitudinem ac firmitatem habet sicut ipsa fides, quacum complicita est. Sicut ergo in scientiis naturalibus et rationalibus prævertit cognitio principiorum, et veritatum quarumdam, quæ possunt quidem per scientiam subsequentem intelligi distinctius et explicari amplius, sed non solum numquam labefactari possunt, verum etiam sunt norma totius scientiæ subsequentis, adeo ut hæc illis innitatur, et quidquid illis adversatur verum esse nequeat : simili omnino ratione fides atque in ea inclusa cognitio veritatum præcedit scientiam theologicam, atque illæ ipsæ veritates, per fidem supernaturali firmitate apprehensæ ac creditæ, principia sunt quibus innititur et quibus tanquam normis regitur tota scientia theologiæ. Hæc scientia accipit sua principia immediate a Deo per revelationem. »

151. Quamvis itaque in scientia theologica usus esse possit et debeat humanarum disciplinarum, hæ tamen non sunt assumendæ tanquam *normæ* sed tanquam *subsidia*, non tanquam *dominæ* sed tanquam *ancillæ*, adeo ut theologo *stella rectrix* sit immutabilis sensus dogmatum ab Ecclesia semel propositus, ad quem philosophica inventa exigantur et poliantur, et non e converso. Hoc ipsum est, quod ait S. Thomas 1. q. I, a. 5 ad 2 : « Hæc scientia accipere potest aliquid a philosophicis disciplinis, non quod ex necessitate eis indigeat, sed ad majorem manifestationem eorum, quæ in hac scientia traduntur. Non enim accipit sua principia ab aliis scientiis, sed immediate a Deo per revelationem ; et ideo non accipit ab aliis scientiis tanquam a superioribus, sed utitur eis tanquam inferioribus et ancillis; sicut architectonicæ utuntur subministrantibus, et civilis militari. Et hoc ipsum quod sic

et disciplinis humanis non utitur nisi tanquam subsidiis et ancillis.

utitur eis, non est propter defectum et insufficientiam ejus (objective spectatæ), sed propter defectum intellectus nostri; qui, ex his quæ per naturalem rationem, ex qua procedunt aliæ scientiæ, cognoscuntur, facilius manuducitur in ea, quæ sunt supra rationem, quæ in hac scientia traduntur. » Ad rem Pius IX, in litt. 15 Junii 1867, edixit « maxime improbandum ac damnandum esse, quod humanæ rationi et philosophiæ, quæ in religionis rebus non dominari sed ancillari omnino debent, magisterii jus temere attribuatur, ac propterea omnia perturbentur quæ firmissima manere debent, tum de distinctione inter scientiam et fidem, tum de perenni fidei immutabilitate, quæ una semper atque eadem est, dum philosophia humanæque disciplinæ neque semper sibi constant, neque sunt a multiplici errorum varietate immunes. » Huc pertinet propositio VIII Syll. : « Cum ratio humana ipsi religioni æquiparetur, idcirco theologicæ disciplinæ perinde ac philosophicæ tractandæ sunt. » Demum conc. Vat. l. c. : « Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tanquam divinum depositum Christi sponsæ tradita, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda. Hinc sacrorum quoque dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit Sancta Mater Ecclesia, nec unquam ab eo sensu, altioris intelligentiæ specie et nomine, recedendum. Crescat igitur et multum vehementerque proficiat, tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiæ, ætatum ac sæculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia : sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque scientia. » Et can. 3: « Si quis dixerit, fieri posse ut dogmatibus ab Ecclesia propositis aliquando secundum progressum scientiæ sensus tribuendus sit alius ab eo quem intellexit et intelligit Ecclesia ; anathema sit.

Ecclesia fidei custos et magistra jus habet proscribendi falsam scientiam.

152. « Porro Ecclesia, quæ una cum Apostolico munere docendi, mandatum accepit fidei depositum custodiendi, jus etiam et officium divinitus habet falsi nominis scientiam proscribendi, ne quis decipiatur per philosophiam et inanem fallaciam. Quapropter omnes christiani fideles hujusmodi opiniones, quæ fidei doctrinæ contrariæ esse cognoscuntur, maxime si ab Ecclesia reprobatæ fuerint, non solum prohibentur tanquam legitimas scientiæ conclusiones defendere, sed pro erroribus potius, qui fallacem veritatis speciem præ se ferant, habere tenentur omnino. » Conc. Vat. l. c. Huc pertinent propositiones Syll. XI et XII: « Ecclesia non solum non debet in philosophiam unquam animadvertere, verum etiam debet ipsius philosophiæ tolerare errores, eique relinquere ut ipsa se corrigat. » — « Apostolicæ Sedis Romanarumque congregationum decreta liberum scientiæ progressum impediunt. » Ad rem Pius IX, in litt. 11 dec. 1862 : « Accedit etiam ut idem auctor (Frohshammer) philosophiæ libertatem seu potius effrænatam licentiam, tam acriter, tam temere propugnet, ut minime vereatur asserere, Ecclesiam non solum non debere in philosophiam unquam animadvertere, verum etiam debere ipsius philosophiæ tolerare errores, eique relinquere, ut ipsa se corrigat; ex quo venit, ut philosophi hanc philosophiæ libertatem necessario participent, atque ita etiam ipsi ab omni lege solvantur... Ecclesia ex potestate sibi a divino suo Auctore commissa, non solum jus sed officium præsertim habet non tolerandi, sed proscribendi ac damnandi omnes errores, si ita fidei integritas et animarum salus postulaverint, et omni philosopho, qui Ecclesiæ filius esse velit, ac etiam philosophiæ officium incumbit, nihil unquam dicere contra ea, quæ Ecclesia docet, et ea retractare de quibus eos Ecclesia monuerit. Sententiam autem quæ contrarium docet, omnino erroneam, et ipsi fidei Ecclesiæ ejusque auctoritati vel maxime injuriosam esse edicimus, et

declaramus. » Cæterum Ecclesia infallibilis nunquam judicat, et vi promissæ infallibilitatis neque potest unquam Spiritus Sanctus permittere ut *definiendo* judicet sive de veritatibus sive de erroribus, nisi in ordine ad depositum custodiendum, et ex munere divinitus injuncto custodiæ depositi. Cfr. Franzelin, de Trad., pag. 114-116, et de Fide, pag. 605.

adeoque etiam auctoritate potitur in omnes scholas.

153. Ex hucusque dictis clare perspicitur in quo fundamentum suum habeat potestas Ecclesiæ in quascumque juventutis scholas, et quousque illa potestas extendatur (1). Huc præterea referuntur propositiones Syllabi XXXIII, XLV, XLVI, XLVII, XLVIII, LVII : « Non pertinet unice ad ecclesiasticam jurisdictionis potestatem proprio ac nativo jure dirigere theologicarum rerum doctrinam. » — « Totum scholarum publicarum regimen, in quibus juventus christianæ alicujus reipublicæ instituitur, episcopalibus dumtaxat seminariis aliqua ratione exceptis, potest ac debet attribui auctoritati civili, et ita quidem attribui ut nullum alii cuicumque auctoritati

(1) « La juridiction de l'Eglise porte *directement* sur les vérités éternelles et sur la moralité des conclusions, elle s'étend *indirectement* aux sciences qui relèvent de ces vérités, et qui conduisent à ces conclusions. De là cette suprématie exclusive sur tout ce qui est la matière propre de l'enseignement religieux ; de là cette surveillance sur l'enseignement des sciences et des lettres profanes ; de là cette direction, sinon positive au moins négative, de toutes les écoles : suprématie, surveillance et direction au sujet desquelles l'Eglise ne transigera jamais. La science et la raison ont leurs droits ; l'Etat aussi a les siens ; mais ces droits sont limités par l'autorité doctrinale et suprême, trop souvent nécessaire pour arrêter les écarts des savants et des professeurs, dont les erreurs porteraient atteinte à la science divine, à la règle des mœurs, au salut des âmes... L'héritière de l'Homme-Dieu laisse en dehors de son action ce qui n'a pour objet direct que les intérêts temporels ; mais son contrôle doit s'étendre à tout ce qui pénètre par quelque endroit dans la sphère de sa juridiction. Son infaillibilité embrasse tout ce qui est nécessaire à la conservation de l'intégrité de la foi ; sa haute sollicitude s'applique à tout ce qui concerne la fin surnaturelle des hommes. » Etudes religieuses, etc. Avril 1876.

recognoscatur jus immiscendi se in doctrina scholarum, in regimine studiorum, in graduum collatione, in delectu aut approbatione magistrorum. » — « Imo in ipsis clericorum seminariis methodus studiorum adhibenda civili auctoritati subjicitur.» — « Postulat optima civilis societatis ratio, ut populares scholæ, quæ patent omnibus cujusque e populo classis pueris, ac publica universim instituta, quæ litteris severioribusque disciplinis tradendis et educationi juventutis curandæ sunt destinata, eximantur ab omni Ecclesiæ auctoritate, moderatrice vi, et ingerentia,plenoque civilis ac politicæ auctoritatis arbitrio subjiciantur ad imperantium placita et ad communium ætatis opinionum amussim. » — « Catholicis viris probari potest ea juventutis instituendæ ratio, quæ sit a catholica fide et ab Ecclesiæ potestate sejuncta, quæque rerum duntaxat naturalium scientiam ac terrenæ socialis vitæ fines tantummodo vel saltem primarium spectet. » — « Philosophicarum rerum morumque scientia, itemque civiles leges possunt et debent a divina et ecclesiastica auctoritate declinare. »

154. Hinc demum colligitur in studiorum Universitatibus catholice ordinatis necessariam prorsus esse facultatem theologicam, eamque aliarum omnium caput et reginam esse (1).

(1) « Une faculté de théologie doit être le fondement propre et comme la règle doctrinale de toutes les autres facultés. De même que la théologie est la reine des sciences, dont elle détermine les confins et contrôle les principes, ainsi une faculté de théologie est l'organisation pratique et l'exercice constant de ce contrôle. En un mot, ce que la théologie est aux sciences humaines, une faculté de théologie doit l'être aux autres facultés... C'est en attachant organiquement et d'une manière indissoluble les autres sciences à la théologie ; c'est en formant, dans une splendide unité, un seul faisceau des sciences divines et humaines, qu'on assurera le triomphe de la vérité, tant de l'ordre naturel que de l'ordre surnaturel; c'est en associant, en subordonnant toutes les facultés à la faculté de théologie qu'on obtiendra ce contrôle incessant, immédiat et clairvoyant, qui garantira l'unité scientifique par l'union réelle des esprits et des cœurs dans la foi chrétienne. » Revue des Sciences Ecclésiastiques, tom. 32, pag. 281.

PARS II.

DE NECESSITATE ET EFFICACIA FIDEI THEOLOGICÆ.

Indicatio materiæ.

155. Postquàm in præcedentibus naturam indolemque propriam ac proprietates essentiales fidei theologicæ examinavimus, jam inquirendum venit quousque hæc fides *requiratur* et *sufficiat* ad salutem consequendam.

—

CAPUT I.

DE NECESSITATE FIDEI THEOLOGICÆ.

Doctrina generalis.

156. Necessitatem fidei hisce verbis a concilio Vaticano docemur : « Quum homo a Deo tanquam Creatore et Domino suo totus dependeat, et ratio creata increatæ veritati penitus subjecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide præstare tenemur. » Const. *Dei Filius*, c. III; cui doctrinæ respondet canon I : « Si quis dixerit, rationem humanam ita independentem esse, ut fides ei a Deo imperari non possit; anathema sit. » Et iterum : « Quoniam vero sine fide impossibile est placere Deo, et ad filiorum ejus consortium pervenire; ideo nemini unquam sine illa contigit justificatio, nec ullus, nisi in ea perseveraverit usque in finem, vitam æternam assequetur. »

Multiplex respectus attendendus.

157. Ut autem hujus necessitatis ratio penitius intelligatur, fides spectari debet non solum prout est actus, sed etiam prout est habitus; et quidem, prout est actus, adhuc sub multiplici respectu considerari potest; nimirum, quatenus est assensus internus veritatibus revelatis præstitus propter auctoritatem Dei loquentis, vel quatenus est externa ejus professio, defensio, etc.

158. Præterea sedulo distinguenda est necessitas *medii* a necessitate *præcepti*. Illud dicitur necessarium necessitate *medii*, sine quo finis aliquis obtineri non potest; quod ex duplici capite oritur, scilicet vel ex *natura rei* vel ex *positiva institutione*, idque rursus *absolute* aut juxta *providentiam ordinariam*. Illud autem dicitur necessarium necessitate *præcepti*, quod imponitur a superiore per modum legis specialis, cujus transgressio obex est ad finem consequendum. Ita Lugo, de Eucharistia, disp, III, s. 1 : « Breviter dicendum censeo, illa dici necessaria necessitate medii, quæ requiruntur ut conducant ad salutem, vel ad aliquid necessarium ad salutem æternam, et sine quibus salus haberi non potest; illa autem dici necessaria necessitate præcepti, quæ solum requiruntur necessario, ut vitetur aliquod peccatum, quod esset obex ad salutem. Hinc est, baptismum esse necessarium necessitate medii, quia requiritur necessario ad primam gratiam, sine qua salus non obtinetur; at vero restitutio solum est necessaria necessitate præcepti, quia solum requiritur, ne ponatur obex peccati retinendo alienum. Ex quo oritur alia differentia, per quam a posteriori dignoscuntur facile necessaria necessitate medii et necessaria necessitate præcepti; nam quæ solum sunt necessaria hoc posteriori modo, talia sunt ut eorum ignorantia excuset; nam si quis invincibiliter ignoret obligationem restituendi, non ideo damnabitur; at vero in iis quæ sunt necessaria necessitate medii, ignorantia etiam invincibilis, licet excuset a novo peccato, non tamen excusat defectum illum; ut si quis invincibiliter ignoret necessitatem baptismi, licet excusetur a novo peccato, quod committeret, si sciens omitteret baptismum, non tamen ideo salvabitur, quia ignorantia illa non dabit gratiam, quam daret baptismus. » Cfr. etiam Murray, de Ecclesia, disp. I, s. 10, n. 126, sqq.

Necessitas medii et necessitas præcepti.

ARTICULUS I.

DE FIDEI NECESSITATE MEDII.

Fidem esse medium ad justificationem necessarium, traditur in SS. Litteris,

159. *Adultis ad justificationem consequendam absolute necessarius est et semper fuit necessitate medii aliquis actus fidei theologicæ.*

160. Colligitur hæc veritas ex sacris litteris, nominatim Joan. I, 12, III, 14-15, VI, 27-29, 47, XI, 25; Act. IV, 12, XVI, 30-31, XXVI, 18; Rom. I, 16, 17, III, 22, 28; Gal. II, 16, III, 11; Heb. X, 38, XI, 6, etc. Etenim his in locis a) fides theologica exhibetur ut humanæ salutis initium, fundamentun et radix justificationis : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus. — Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. — Domine, quid me oportet facere ut salvus fiam? At illi dixerunt : crede in Dominum Jesum, et salvus eris, tu et domus tua.— Non enim erubesco Evangelium : Virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Judæo primum et Græco. Justitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est : Justus autem ex fide vivit.— Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi in omnes et super omnes, qui credunt in eum.* Deinde b) diserte negatur sufficientia cujuscumque alterius medii ad salutem, in quo fides non includitur : *Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis.—Scientes autem quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi, et nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi et non ex operibus legis, propter quod ex operibus legis non justificabitur omnis caro.* Tandem c) fidei absoluta necessitas medii expresse affirmatur : *Justus autem meus ex fide vivit : quod si subtraxerit se, non placebit animæ meæ. Nos autem non sumus*

subtraxionis filii in perditionem, sed fidei in acquisitionem animæ.— Sine fide autem impossibile est placere Deo.

161. Hanc doctrinam inculcant SS. Patres maxima cum instantia. Sic v. g. S. Irenæus, Contra hæreses, lib. V, c. 10: «Quemadmodum oleaster inserta substantiam quidem ligni non amittit, qualitatem autem fructus immutat, et aliud percipit vocabulum, jam non oleaster sed fructifera oliva existens edicitur; sic et homo *per fidem* insertus, et assumens spiritum Dei, substantiam quidem carnis non amittit, qualitatem autem fructus operum immutat, et aliud accipit vocabulum, significans illam quæ in melius est transmutationem: jam non caro et sanguis, sed homo spiritalis existens edicitur. Quemadmodum autem rursus oleaster, si non percipiat insertionem, perseverat inutilis Domino suo, per suam sylvestrem qualitatem, et quasi infructuosum lignum exciditur, et in ignem mittitur: sic et homo non assumens *per fidem* spiritus insertionem, perseverat quod erat ante, caro et sanguis existens, regnum Dei hæreditate possidere non potest. » S. Justinus, in Dial. cum Tryphone, n. 23, asserit, Abraham, cum in præputio esset, propter fidem, qua credidit Deo, justificatum et benedictum fuisse; et ibid., n. 44, docet, neminem quidquam accipere posse præter eos qui animo assimilati fuerint Abrahæ fidei; tandem, n. 52, ait, homines in omnibus gentibus per Christi fidem Dei cultores et justos fieri. Origenes, in Rom. 1, II, n, 7, 8, 9: « Græcus, id est gentilis, si cum legem non habeat, ipse sibi lex est, ostendens opus legis in corde suo, et naturali ratione immotus, sicut videmus nonnullos in gentibus, vel justitiam teneat, vel castitatem servet... iste, liceat alienus a vita videatur æterna, *quia non credit Christo*... videtur tamen quod bonorum operum gloriam et honorem et pacem perdere penitus non possit. » Juxta sanctum Hilarium Pict. in Matth. c. VII, n. 4, « Salus gentium omnis ex fide est; » et ib., c. VIII, n. 6, « fides sola justificat; » ac

docetur a SS. Patribus,

rursus, c. IX, n. 9 :« non ex salute fidem, sed per fidem salus exspectanda. » S. Basilius, adversus Eunomium, lib. I, n. 26: « Judæi gloria Deum afficere se putant ; et audias gentiles nonnullos, qui aliquid velint magni de Deo dicere ; sed ab iis absque fide in Christum, per quem ad cognitionem accessus fit, Deum magnificari dixerit nemo. » S. Ambrosius, serm. contra Auxentium, n. 24 : « Justum ergo fides, non lex facit, quia non est per legem justitia, sed per fidem Christi ; qui autem fidem repudiat, et legis jura præscribit, ipse se testatur injustum, quia *justus ex fide vivit.*» Cfr. etiam de Caïn et Abel, lib. II, c. 2, n. 8, etc. S. Augustinus multus est in hac doctrina adstruenda : v. g. epist. 177, n. 11 : « Neque per legem justitia, neque per naturæ possibilitatem, sed ex fide et dono Dei, per Jesum Christum, Dominum nostrum. » Et serm. 143, de verbis Evang. Johan. (al. 60, de verbis Domini) n. 1 : « Nec omnino quisquam mundari potest, sive ab originali peccato,... sive a peccatis quæ... addiderunt, nisi per fidem coadunentur et compaginentur corpori ejus, qui sine ulla illecebra carnali et mortifera delectatione conceptus est. » Item, de patientia, c. 21, n. 19 : « Sine cujus (Christi) fide quisquam mortalium nec fuit, nec est, nec esse aliquando poterit justus. » De correptione et gratia, c. VII, n. 11 :« Si, ut veritas loquitur, nemo liberatur a damnatione , quæ facta est per Adam, nisi per fidem Jesu Christi, et tamen ab hac damnatione non se liberabunt, qui poterunt dicere, non se audisse Evangelium Christi, cum fides ex auditu sit : quanto minus se liberabunt qui dicturi sunt : perseverantiam non accepimus? » S. Leo M., serm. 25, in Mat. 4, c. 6 : « *Sine fide impossibile est placere Deo*, et nihil sine illa sanctum, nihil castum est, nihil vivum : *Justus enim ex fide vivit ;* quam qui diabolo decipiente perdiderit, vivens mortuus est, quia, sicut per fidem justitia, ita per fidem veram vita obtinetur æterna. » Præclara sunt ea quæ scribit S. Fulgentius, in

prologo lib. de Fide ad Petrum: « Gaudeo quidem quod pro fide vera sine ullo perfidiæ vitio custodienda sollicitudinem geris, sine qua nulla potest prodesse, imo nec esse conversio. Apostolica quippe dicit auctoritas, quia sine fide impossibile est placere Deo. Fides est namque bonorum omnium fundamentum. Fides est humanæ salutis initium. Sine hac nemo ad filiorum numerum potest pertinere; quia sine ipsa nec in hoc sæculo quisquam justificationis consequitur gratiam nec in futuro vitam possidebit æternam: et si quis hic non ambulaverit per fidem, non perveniet ad speciem. Sine fide omnis labor hominis vacuus est. »

definitur in conciliis,

162. Necessitatem fidei ad justificationem expresse docuit concilium Tridentinum, sess. VI, cap. 7, ubi legitur causam instrumentalem justificationis esse « sacramentum baptismi, quod est sacramentum fidei, sine qua nulli unquam contigit justificatio; » et c. 8: « Cum vero Apostolus dicit justificari hominem per fidem et gratis; ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ catholicæ consensus tenuit et expressit, ut scilicet per fidem ideo justificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, et ad filiorum ejus consortium pervenire. » Quum autem postea quidam theologi, sive opinando sive disputandi gratia, tradiderint, nomine fidei ad justificationem necessariæ fortasse intelligi posse cognitionem quamcumque, etiam testimonio Dei non nitentem, dummodo fuerit supernaturalis, damnata est sequens propositio ab Innocentio XI: « Fides late dicta, ex testimonio creaturarum similive motivo, ad justificationem sufficit. » Cfr. Viva in h. p. Lugo, disp. 12, n. 5 et sqq. Platel, p. III, c, 1, § 6, n. 220-222. s. 1. Novissime demum concilium Vaticanum definivit fidem, quæ humanæ salutis initium est, virtutem esse supernaturalem qua Dei aspirante et adjuvante gratia, ab

eo revelata vera esse credimus, non propter rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest. » Const. Dei Filius, c. III.

ratione ostenditur.

163. Ratio autem, cur voluerit Deus justificationem obtineri per fidem tanquam per medium necessarium, est primo, quia homo rationabiliter ad finem suum tendere debet, sola autem fide apprehendi potest finis supernaturalis et via ad illum ; secundo, quia fides ex parte objecti, est cognitio perfectior respondens visioni beatificæ ; tertio, quia fides, ex parte motivi, est cognitio meritoria, et statui viæ omnino congrua. Juverit distinctiorem hujus puncti explicationem petere a quibusdam ex præcipuis theologis. Ita imprimis Dom. Soto, de natura et gratia, lib. 2, c. 11 : « Causas veritatis hujus operæ pretium est perpendere, quæ ex triplici capite derivantur. Primum idemque maximum est, quod cum Deus per Christum sit auctor nostræ justificationis, primum obsequium nostrum esse debet fidem illi habere revelanti sese nobis, pollicentique gratiam suam, tanquam Deo (ut ait Paulus) remuneratori nostro. Per quam fidem in familiam ejusdem Redemptoris Jesu Christi recipimur. Secunda causa est, quod cum finis, ad quem destinati homines sumus, ita nostram exuperet facultatem, ut neque ipsum cognoscere naturaliter valeamus, ut homo, nisi præmonstrato scopo nequeat actiones suas rectas intendere, necessaria fuit nobis fides quæ index illius esset. Tertia demum hujus causa, quam maxime ad intelligentiam dicendorum conferens, est hæc : cum spes præmii sit quæ potissimum animos adhibet ad patientiam laborum, et præmium illud æternæ felicitatis tam esset non solum a sensibus nostris, verum et a cogitatione longe absens..., omnino fuit necessarium tum id nobis revelari tum nos etiam Christo suisque Apostolis fidem præbere, ut inde animaremur ad observantiam legis, qua illuc eramus perdu-

cendi. Neque enim decuit, illa nobis prius sempiterna bona coram manifestata luce vel scientia repræsentari, tum quia visio meritum adimeret, tum præsertim quia, cum visio ipsa sit meritorum præmium, non quidem anteire sed subsequi debet in fine decursi stadii. » Suarez vero sic habet, disp. XII, s. 1, n. 5 :« Distinguenda est duplex salus: una inchoata per gratiam viæ; altera consummata seu consumenda in gloria : et ex utraque possunt diversæ rationes reddi. Primo enim est hoc medium necessarium ad justitiam assequendam, quia adultus non consequitur justitiam nisi per propriam dispositionem : dispositio autem fundari debet in fide : nam propterea dicitur fundamentum et radix justitiæ; propter quod etiam dicere consuevit Augustinus, fidem dari ut per eam cætera impetrentur... ; item ad progressum justitiæ et præsertim ad caritatem necessaria est fides; nam ut dixit Greg., *Nisi fides prius teneatur, ad spiritualem amorem nullo modo pertingitur ;* et ratio etiam ex philosophia desumpta est, quia amor supponit cognitionem sibi proportionatam... Secundo redditur ratio ex parte ultimæ salutis. Nam finis ad quem tendimus est perfecta scientia seu visio Dei ; est autem valde consonum naturæ hominis, ut ad perfectam cognitionem per imperfectam,et ad scientiam per fidem perveniat: hunc ergo ordinem voluit Deus servari etiam in via salutis... Et ideo dicunt theologi quod in patria visio respondet fidei ; unde etiam sumitur optima ratio ex merito illius visionis : nam cum intellectus elevari debeat ad tam perfectam scientiam, merito ab illo postulatur ut prius captivetur in obsequium fidei. » Pulcherrime etiam Franzelin, de Fide, p. 544: « Quoniam in ordine præsenti homo non est relictus in sua destinatione solum naturali, sed elevatus ad finem supernaturalem, et ad hunc in via constitutus ; cognitio et cognitioni respondens dilectio naturalis non sufficit, sed cognitio et dilectio directa ad illum finem debet esse supernaturalis, im-

primis *subjective*, ratione principii elicientis ac virium, quæ superadditæ intellectui et voluntati constituant facultates idoneas ad actus supernaturales proportionatos illi fini. Tum vero *objective*, præter manifestationem Dei in suis operibus creationis respondentem hominis fini naturali, requiritur alia Dei manifestatio immediata respondens finali manifestationi facie ad faciem, in qua videbimus eum sicuti est. Hæc autem manifestatio in via non est ita, ut Deum intueamur sicuti est; talis enim intuitio est finis, non medium et præparatio ad finem; sed revelatio in via est per ipsius Dei testimonium, quo (ut ait S. Thomas 1. 9. 1, a. 2.) veritas tanquam nota in scientia Dei nobis innotescat, cui proinde revelationi non *visio* sed *fides* respondet. Est igitur triplex cognitio hominis de divinis. Quarum prima est, secundum quod homo naturali lumine rationis per creaturas in Dei cognitionem ascendit; secunda est, prout divina veritas intellectum humanum excedens per modum revelationis in nos descendit, non tamen quasi demonstrata ad videndum, sed quasi sermone prolata ad credendum; tertia est, secundum quod mens humana elevatur ad ea quæ sunt revelata perfecte intuenda. »

Necessitas fidei conciliatur cum possibilitate salutis pro omnibus.

164. Difficultatem, quæ contra doctrinam propositam desumitur ex possibilitate salutis etiam pro infidelibus, alii solvunt recurrendo ad traditionem universalem, alii, et melius, eam solvunt recurrendo ad internam illustrationem, quæ defectum externæ prædicationis suppleat. Ita S. Thomas, ad objectionem quod, si fides implicita necessaria est ad salutem, consequenter homo « nutritus in sylvis careret necessariis ad salutem, » respondet :« Non sequitur inconveniens, posito quod quilibet teneatur aliquid explicite credere si in sylvis vel inter bruta animalia nutriatur; hoc enim ad divinam providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex parte ejus non impediatur. Si enim aliquis taliter nutritus ductum naturalis rationis sequeretur in ap-

petitu boni et fuga mali, certissime est tenendum quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret.» De Verit. q. 14, a. 11, ad 1; 3 dist. 25,q. 2 a. 1, sol. 3, ad 2. Eodem modo loquitur Hugo a s. Charo, in scholiis ad Rom. II, 12: « Sit aliquis, inquit, nutritus in nemore ab aliqua bestia, et post fuerit ibi diu; talis nihil scit de Christo, talis videtur excusari..... Respondeo, in talibus judicia Dei abyssus multa; verumtamen, quod nec talis excusatur, quia habuit rationem naturalem, qui, si secundum eam fecisset quod in se esset, Dominus contulisset gratiam. » Sic etiam Suarez, disp. 12, s. 2, n. 14 : « Secundum fundamentum (in contrarium) supponit posse dari in aliquibus ignorantiam invincibilem fidei, quod nunc admittimus... Supponit deinde omnibus adultis conferri aliquomodo in hac vita auxilium sufficiens ad salutem, quod etiam verissimum est... Ex his autem principiis non recte infertur infidelem ignorantem fidem inculpabiliter, posse per cognitionem naturalem salvari, sed solum sequitur posse habere fidem, et Deum esse paratum ad eum illuminandum, et auxiliandum illi ut credat, si per eum non steterit. Stat autem per hominem quoties ratione naturali prave utitur. Unde si talis infidelis faceret quod in se est, per rationem naturalem et per alia subsidia, quæ Deus sua providentia illi confert, illuminaretur, non ex merito ipsius, sed ex pura gratia quam omnibus dare paratus est. » Optime Murray, de Ecclesia, disp. I, s. 11, n. 165 : « Quod attinet ad adultos infideles, scilicet negativos, 1° Deus eorum, sicut et omnium, salutem vere et sincere vult. 2° Dat illis gratias sufficientes quibus adjuti possunt adimplere legem naturalem, ac vincere difficultates quæ eidem observantiæ adversantur. 3° His autem gratias si infideles obsequantur, majora eis auxilia adjiciuntur, donec Deus ex gratuita sua misericordia vocet eos ad finem supernatura-

lem per initium fidei, sive per homines ad hoc missos, sive per angelum, sive interius per se, sive quavis alia ratione, prout ei bonum visum fuerit. 4° Si vero istis gratiis male utantur, impedimentum ponunt vocationi ad fidem, seseque ista vocatione indigniores positive et voluntarie reddunt, ita ut singulis eorum jure dici potest : « perditio tua ex te est. » 5° Pro istis peccatis, quæ contra legem scriptam in cordibus eorum commiserunt, justo Dei judicio, pœnis in altera vita plectentur, secundum eorum reatum culpæ Deo cognitum. 6° Non autem pro ista eorum infidelitate negativa punientur. Etsi enim eorum culpa fit, quod non acceperint vocationem ad fidem, cum tamen nullo modo præviderant hunc effectum, scilicet denegationem gratiæ fidei, ex eorum peccatis secuturum, ideo non est ille effectus iis in peccatum imputabilis. » Cfr. Rom. II, cum pulcherrima explicatione quam dat Franzelin, de Deo uno, th. IV.

Cur actus fidei dicatur medium necessarium ad justificationem, et non directe ad salutem.

165. Diximus adultis fidei actum necessarium esse necessitate medii ad *justificationem* consequendam, et eatenus ad salutem obtinendam; non autem directe et simpliciter ad obtinendam salutem ; quia « si ponatur aliquis puer habens jam habitum gratiæ in baptismo susceptum, et qui, postquam ad usum rationis venit, statim moritur, absque eo quod habuerit occasionem credendi, vel negandi, imo nec cogitandi de rebus fidei, non video cur iste non salvetur sine actu fidei; nam licet moriatur adultus, non tamen fuit adultus quasi formaliter in illa materia, cum circa eam nunquam ut adultus habuerit occasionem operandi, quod idem notavit Suarez, in præsenti disp. XII, s. 2, n. 10. » Lugo disp. XII, s. 1, n. 3. Unde posita possibilitate hujus casus, in quo nulla apparet repugnantia, fieri potest ut aliquis adultus salvetur, qui Deum amore amicitiæ nunquam dilexit actualiter, sed solum habuerit charitatem habitualem gratiæ annexam. Platel, l. c. n. 219.

166. *Fides ad justificationem necessaria necessitate medii debet esse in reipsa elicita, ita ut ejus votum minime sufficiat.* Etenim non apparet in quo actu supernaturali æquali aut perfectiori fides dici possit contineri implicite et virtualiter; deinde nullum habemus fundamentum in Scripturis et Patribus illud dicendi de fide, sicut dicitur de baptismo, quem docent suppleri posse per dilectionem Dei, contritionem, martyrium, ut constat ex tractatu de sacramentis. Cfr. Platel, l. c. n. 215. « Ut autem propria ratio hujus veritatis magis constet, et difficultas in contrarium dissolvatur, distinguere imprimis oportet inter media necessaria ad salutem quæ consistunt in actibus internis vel externis. Nam externa non sunt per se et ex natura sua necessaria dispositio animæ, quæ in interna perfectione et reformatione consistit; sed necessaria sunt ex sola institutione divina : veluti baptismus, confessio oris, et si qua sunt similia. Atque ad hæc media optime accommodatur illa distinctio, et vix in alio sensu in usu Patrum et conciliorum invenietur : et ratio est, quia sine illis mediis in re ipsa applicatis, possunt haberi interiores actus, qui sint sufficientes dispositiones ad justitiam, quibus Christus Dominus, per suam institutionem, antiquam causalitatem non abstulit, sed addidit mediorum externorum necessitatem vel habitudinem ad illa, quando in reipsa applicari non possent. At vero de mediis internis est longe diversa ratio, quia in ipsis consistit interior justitia, vel necessaria dispositio ad illam, ideoque illa *non facile* supplentur per votum, nisi in re adhibeantur : quia vero actus fidei unum est ex mediis internis, ideo non est eadem ratio de illo ac de externis mediis. Dixi autem *non facile*, quia inter interna media fieri aliquando potest, ut aliquid sufficiat in voto, si in aliquo necessitatis casu non possit in reipsa applicari, sicut in materia de pœnitentia... concessimus de formali dolore peccatoris vel de proposito in futurum : quare, ut ostendamus id non habere

Votum fidei ad salutem insufficiens.

locum in actu fidei, addendum est, cum hæc media interna sint supernaturalia, non posse unum contineri in alio tanquam in voto, nisi etiam illud supernaturale sit; imo necessarium esse ut in tali ordine habeat excellentiam, per quam possit aliud in virtute et in proposito continere. Et hac ratione amor Dei super omnia per votum suppleri nequit, nisi actus ille ejusdem charitatis sit, quia actus est excellentior reliquis; unde in nullo alio sufficienter continetur in virtute seu in voto ; ipse autem amor abunde potest continere, ac supplere reliqua. »

Necessaria est necessitate medii ad justificationem fides explicita

167. Adultis ad justificationem consequendam non sufficit fides *implicita* et generalis, qua nempe creditur illud omne quod a Deo revelatum est et satis propositum, sed necessaria est necessitate medii fides *explicita*, qua scilicet determinatæ quædam veritates in se et sub propria ratione creduntur.

in Deum existentem,

168. *Et quidem est et semper fuit necessaria necessitate medii fides explicita in Deum existentem, justum remuneratorem et misericordem condonatorem.* Patet ex verbis S. Pauli, Heb. XI, 6 : *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Ubi ponitur tanquam primum credendum et fundamentum cæterorum *existentia Dei naturalis;* « neque enim necessaria est neque multum verisimilis expositio Cani dicentis, non loqui ibi Paulum de existentia Dei ut est auctor naturæ, sed ut est auctor et finis supernaturalis. Hæc, inquam, expositio non placet, tum quia non est consentanea proprietati verborum, tum etiam quia D. Thomas et alii expositores simpliciter illa verba intelligunt; tum tertio, quia illud magis pertinet ad alteram partem verborum Pauli; quarto denique, quia impossibile est credere Deum, ut principale objectum est, nisi credatur ut absolute existens. » Suarez disp. XII, s. 3, n. 4. Alterum autem, quod exprimitur, communiter exponitur de remuneratione *supernaturali;* « quia propterea dixit Paulus

hanc fidem necessariam esse fundamentum rerum sperandarum, quæ sine dubio sunt bona supernaturalia ; dixit etiam esse argumentum non apparentium, non tantum oculis corporeis, sed etiam investigationi rationis... Deinde, in decursu illius capitis XI, hac ratione docet Paulus, sanctos per fidem temporalia bona contempsisse, meliores expectantes repromissiones ; et ideo etiam ait decessisse, non acceptis repromissionibus, quia non in hac sed in cælesti vita illas sperabant : ergo cum dicit necessarium esse credere Deum esse remuneratorem, de supernaturali remuneratione loquitur. » Suarez ibid., n. 8. Tertium, quod subintelligitur, ita explicatur a S. Thoma 2.2. q. 2. a. 7 ad 3 : « Si qui tamen salvati fuerunt, quibus revelatio non fuit facta, non fuerunt salvati absque fide mediatoris : quia, etsi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam in divina providentia, credentes Deum esse *liberatorem hominum secundum modos sibi placitos*, et secundum quod aliquibus veritatem cognoscentibus ipse revelasset. »

supernaturalem remuneratorem,

et salvatorem,

169. *Quinimo, tanquam probabilius arbitramur, post lapsum Adami, esse et semper fuisse ad justificationem necessarium medium explicite credere aliquem mediatorem, cujus meritis possemus a Deo gratiam et misericordiam ac demum salutem consequi.* Probatur ex textibus Scripturæ et Patrum supra allegatis, n. 161 et 162, quibus alia addi possunt ex S. Augustino. Imprimis lib. 2, de gratia Christi, sive de peccato originali, c. 24, relatis verbis Act. IV, *Non enim est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*, sic pergit : « Itaque, sine ista fide, hoc est, sine fide unius Mediatoris Dei et hominum, hominis Christi Jesu, sine fide, inquam, resurrectionis ejus, quam Deus hominibus definivit, quæ utique sine incarnatione ejus ac morte non potest veraciter credi, sine fide ergo incarnationis et mortis et resurrectionis Christi, nec antiquos

imo et in aliquem mediatorem ;

justos, ut justi essent a peccatis, potuisse mundari, et Dei gratia justificari, veritas christiana non dubitat : sive in iis justis quos sancta Scriptura commemorat, sive in iis justis quos quidem illa non commemorat, sed tamen fuisse credendi sunt, vel ante diluvium, vel inde usque ad datam legem, vel ipsius legis tempore, non solum in filiis Israel, sicut fuerunt prophetæ, sed etiam extra eumdem populum, sicut fuit Job. » Item, lib. XVIII de Civit. Dei, cap. 47, agens de iis qui olim ex gentibus salvati sunt, ait : « Quod nemini concessum fuisse credendum est, nisi cui divinitus unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, qui venturus in carne sic antiquis sanctis prænuntiabatur, quemadmodum venisse nobis nuntiatus est, ut una eademque fides per ipsum, omnes in Dei civitatem, in domum Dei, in Dei templum, prædestinatos perducat ad Deum. » Rursus, lib. de natura et gratia, c. 44 : « Ea quippe fides justos sanavit antiquos, quæ sanat et nos, id est, mediatoris Dei et hominum, hominis Jesu Christi, fides sanguinis ejus, fides crucis ejus, fides mortis et resurrectionis ejus. » Eodem modo S. Gregorius Nazianzenus, or. XV in Machabæorum laudem, n. 1 : « Mihi admodum probabilis (sermo), neminem videlicet eorum, qui ante Christi adventum numeros omnes virtutis impleverunt, id citra Christi fidem esse consecutum. » Rationes autem hujus sententiæ sic exponuntur ab Æg. De Coninck, disp. 14, dub. 9, n. 154 et sqq. qui eam ex professo defendit : « Probatur non quidem ex natura rei omnino esse impossibile aliquem aliter, si Deus vellet, justificari, sed quod omnino convenerit Deum non velle aliquem aliter justificari. Quia ex pluribus Scripturæ locis constat, neminem posse justificari nisi per merita Christi, et nisi hic in eum tanquam caput in membra, et vitis in palmites, suam gratiam influat sive derivet, ut constat ex Tridentino sess. VI, c. 16, et ex Joan. XV, ubi dicitur neminem posse facere fructum pertinentem ad

salutem, nisi sit ac manserit in Christo ut palmes in vite, et alias projiciendum esse foras ad comburendum. Atqui qui in Christum non credit, nequit esse membrum ipsius, aut tanquam palmes in eo manere. Ergo sine ea fide nequit facere fructum salutis seu justificari. Minor probatur, quia Joan. VI dicimur per fidem venire ad Christum, et in Tridentino, sess. VI, c. 7, dicimur per fidem incipere uniri Christo; atqui non possumus tanquam palmites esse aut manere in Christo, nisi prius ad eum accesserimus, eique cœperimus uniri : ergo antequam in Christum credamus, non possumus in eo esse ac manere tanquam palmites in vite. Secundo, quia sicut Deus est causa universalis effectiva nostræ justificationis et salutis, ita Christus respectu omnium omnino hominum, est ejusdem causa universalis meritoria, ut docet Tridentinum, sess. VI, c. 7. Ergo, sicut nemo potest justificari aut Deo placere, nisi per fidem accesserit ad Deum, ita nemo potest justificari nisi per fidem accedat ad Christum, in eum credendo. Videtur enim omnino eadem convenientia vel necessitas. Unde etiam D. Augustinus, locis supra citatis, et alibi, ex eo quod nemo potest salvari sine meritis Christi, infert neminem posse salvari sine fide Christi. Hinc etiam, lib. de natura et gratia, c. 2, cum docuisset, si fieri potuisset, ut, qui de Christo nihil audivisset, sine ejus fide, credendo in Deum creatorem, recte ac juste viveret, fieri etiam potuisse ut sine fide Christi salvaretur, subdit : « Quod si fieri potuit aut potest, hoc et ego dico, quod de lege dixit Apostolus : ergo Christus gratis mortuus est. » Et infra : « Si autem non gratis Christus mortuus est, ergo omnis humana natura justificari ac redimi ab ira Dei justissima, hoc est a vindicta, nullo modo potest, nisi per fidem et sacramentum sanguinis Christi. » Ubi omnino pro eodem habet, aliquem posse justificari sine fide Christi, et posse justificari sine gratia ac meritis Christi. — Dices, jam dicta sufficienter quidem pro-

bare, neminem posse justificari ac salvari sine fide Christi, non tamen probare, requiri fidem explicitam in Christum, sive in mediatorem : nam qui credit in Deum justificatorem et salvatorem, sive qui credit se divino auxilio, modo Deo cognito sibi conferendo, esse salvandum, implicite credit in Christum, per quem Deus ipsi id auxilium collaturus est. Et hoc modo possunt omnia dicta loca explicari. Confirmatur, quia si ea loca debeant explicari de fide explicita, tunc nimium probabunt, scilicet, omnes antiquos necessario credere debuisse Christum pro peccatis nostris moriturum ac resurrecturum : hoc enim docent omnia testimonia Divi Augustini, — Respondeo, nego assumptum : nam qui dicto modo solum implicite et confuse credit in Christum, non magis credit in Christum quam credat, tempore legis novæ, futura septem sacramenta, quibus gratia conferatur, et baptismum et confessionem instituenda, ut per ea remittantur peccata; aut quam credat futuros duodecim Apostolos, quorum opera Deus omnes gentes vocet ad fidem et justitiam, idemque est de similibus mediis quibus Deus nostram salutem operatus est : quia hæc omnia continentur sub generali illa providentia, qua *modis sibi cognitis* nostram salutem vult operari. Clarissime autem patet tum ex Scripturis tum ex Patribus supra citatis, requirentibus specialiter fidem in Christum, hanc longe aliter requiri quam requiratur fides aliorum istorum mediorum : nequit autem concipi quomodo hæc fides in Christum sit specialiter necessaria, nisi necessaria sit fides explicita mediatoris. — Ad confirmationem, nego assumptum : quia tam Augustinus quam Scripturæ solum requirunt ut hæc speciali ratione et magis particulatim quam alia multa mysteria fidei credamus : quod fit, dum modo dicto explicite credimus in Mediatorem, qui nos suis meritis, modo Deo cognito, a miseriis liberabit : quo casu directe et specialiter, etsi modo obscuro et in confuso, credimus ejus mortem et resurrectionem,

quia hic fuit modus quo nos liberavit. Quod etiam aperte insinuat D. Augustinus, epist. 49, q. 2, ubi ait : « Itaque ab exordio generis humani, quicumque in eum crediderunt, eumque utcumque intellexerunt, etc. » Quibus ultimis verbis videtur insinuare hæc mysteria non debuisse necessario explicite ab omnibus agnosci ; et quamvis forte alius sit hujus loci sensus, hic tamen etiam est probabilis, aut saltem ex alio probabiliter infertur.— Dices secundo, Christus venturus non fuit ab initio omnibus revelatus ; nam videtur primum Abrahæ fuisse facta promissio..... Ergo fides explicita mediatoris non fuit semper medium necessarium ad salutem. Respondeo, nego antecedens : nam certum est statim ab initio Adamo post lapsum fuisse revelatum venturum Messiam, ut patet ex Gen. III... Nulli autem potest esse dubium quin Adam hæc posteris tradiderit... Ad confirmationem respondeo, in cap. III ad Galatas, solum insinuari Abrahamum fuisse primum cui, multiplicatis jam hominibus, post diluvium fuit facta promissio quod Christus ex ejus semine nasceretur. Similiter Noë de eadem re suos posteros instruxit ; unde, ut patet ex historia Job, c. XIX, etiam alii, qui non erant Judæi, habuerunt cognitionem mediatoris venturi. Item sybillæ multa de Christo prædixerunt. Atque ita, quantum est ex parte Dei, hujus rei notitia sufficienter fuit hominibus revelata. Quod si vero aliquibus fuit incognita, suis peccatis imputent, quibus divinam illustrationem impediverunt : nam si cum gratiæ divinæ auxilio, prout poterant et tenebantur, elaborassent ut bene viverent, et necessaria ad salutem cognoscerent, Deus eos ulterius illuminasset, donec ad veram fidem pervenissent. »

170. *Ex communi sententia theologorum, ante Christi adventum non erat necessarium necessitate medii explicite credere aut mysterium Trinitatis, aut Christum futurum vere Deum et hominem suaque morte nos liberaturum a pec-*

non tamen, saltem sub veteri testamento, in Trinitatem et Incarnationem,

catis. Colligitur facile ex sacris litteris, v. g. 1 Cor. I, 23, 2 Cor. III, 14, 15; Gal. III, 23; Eph. III, 3, 9, etc. Et in hoc sensu exponi possunt verba S. Chrysostomi aliorumque Patrum, qui aliquando ad justitiam nullam fidem exigere videntur; intelligi enim debent de explicita cognitione horum mysteriorum. Favet concilium Trid. sess. VI, c. 6 dum ait, quibusdam sanctis revelatum fuisse specialiter mysterium Incarnationis, significans respectu communis populi fidem implicitam satis fuisse. Ex quibus sumi potest ratio, quia medium omnibus necessarium publice omnibus prædicatur et promulgatur; sed Christus ita non fuit prædicatus universo orbi, præsertim gentili, ante ipsius adventum; ergo non est verisimile illius fidem explicitam fuisse medium omnibus et singulis necessarium ad salutem. Cfr. Suarez, disp. XII, § 3, n. 14 et sqq. Lugo disp. XII, s. 4, n. 85; De Coninck, disp. 14, dub. 9 n, 161 et sqq. etc.

nec probabiliter sub novo.

171. *Non satis demonstratur, sub lege gratiæ et post Evangelium promulgatum, adultis ad justificationem consequendam necessariam esse necessitate medii fidem explicitam in Deum unum et trinum et in Christum Deum hominem, mundi redemptorem per mortem et resurrectionem suam.* Textus enim Scripturæ, Patrum et Conciliorum, qui ad hoc efficiendum proferuntur, facile explicari possunt vel de necessitate præcepti vel de fide alicujus mediatoris, prout supra exposuimus. Cfr. De Coninck, l. c. n. 163 et sqq. Et sane quando Patres agunt de fide absolute necessaria ad salutem, et sine qua nullo casu potest adultus justificari, non distinguunt inter fidem veterum et nostram; atqui non erat antiquis talis fides explicita Trinitatis et Incarnationis necessaria necessitate medii; ergo nec nobis sub lege gratiæ necessaria est. Præterea tota ratio, quantum nos possumus conjicere, cur Deus voluerit fidem in Christum esse medium absolute necessarium ad salutem, est, quia nemo potest justificari absque meritis

Christi, et gratia per eum accepta, et consequenter nisi sit membrum ejus; atqui eodem plane modo antiqui per merita et gratiam Christi justificati sunt et fuerunt ejus membra sicut nos; ergo ex necessitate medii debuerunt tam explicite in eum credere quam nos; quæ enim fides sufficit ut tunc potuerint fieri Christi membra, etiam nunc sufficit. Dices, esse diversam rationem, quia jam Christus est magis explicite nobis revelatus, quam fuerit antiquis, ergo jam debemus magis explicite in eum credere. Respondeo, inde solum probari fidem magis explicitam esse jam necessariam necessitate præcepti, a qua excusat invincibilis ignorantia; nam loquendo de necessitate medii, a qua nulla quantumvis invincibilis ignorantia excusat, ejusmodi necessitas nullomodo potest probari ex eo quod hoc mysterium jam sit pluribus hominibus magis explicite revelatum. Cfr. Suarez, disp. XII, s. 4; Lugo, disp. XII, s. 4; Laymann, lib. 2, tr. 1, c. 8, n. 5; Valentia, disp. I, q. 2, pu. 4; Wirceburgenses, n. 121 et sqq. etc. Probabile itaque est, necessariam non esse necessitate medii fidem explicitam Trinitatis et Incarnationis. Probabilitas autem hujus sententiæ efficit quidem ut in *casu necessitatis* absolvi possint illi qui prædicta mysteria ignorant, non tamen efficit ut non debeant de iisdem instrui, vel ut, extra casum necessitatis, possint ante instructionem absolvi. Cfr. Theologia nostra fundamentalis, n. 315, et Gury, tom. I, n. 195, 196. Huc pertinet propositio LXIV ex damnatis ab Innocentio XI: « Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem, nesciat mysterium SS. Trinitatis, et Incarnationis Domini Nostri Jesu-Christi. »

Habitus fidei omnibus necessarius.

172. *Porro supernaturalis fidei habitus a Deo infusus omnibus, tum adultis tum etiam parvulis, omni tempore, necessarius fuit et est ad salutem.* Ratio est, quia nemo potest ad Deum pervenire nisi Deo sit acceptus; Deo autem acceptus

dici nequit qui secundum intellectum non est ornatus habitu fidei, quemadmodum secundum voluntatem habitu spei et charitatis. Cfr. supra, n. 132; et Laymann l. c. n. 3. Ita Suarez, disp. 12, s. 1, n. 7 : « De habituali fide certum est, neminem salvari nisi prius in vita mortali habitum fidei infusæ obtinuerit ; quia non potest salvari nisi viator justificetur, et a peccato mundetur ; justificatur autem formaliter per justitiam habitualem infusam ; ergo sine hac justitia nemo salvatur. Sed habitus fidei est vel pars vel fundamentum hujus justitiæ ; ergo sine habitu fidei nemo salvatur. »

Absoluta fidei necessitas.

173. Ex hucusque dictis apparet, fidem theologicam esse ad salutem simpliciter necessariam necessitate medii absolute pro omnibus omnino hominibus sine ulla exceptione.

ARTICULUS II.

DE FIDEI NECESSITATE PRÆCEPTI.

174. Præceptum habetur non solum fidem suscipiendi et constanter retinendi, sed etiam externe eam profitendi : utrumque jam expendetur.

§ I.

De præcepto interni actus fidei.

Jure naturali Deo credere debemus

175. *Ipso naturalis rationis lumine evidens est, firmissimam Deo loquenti fidem esse adhibendam.* Profecto enim, ut docet concilium Coloniense, tit. I, c. 4, si Deus ad homines loquitur, eo loquitur consilio ut sibi fides habeatur. Nec potest is, qui fidem detrectat, non inferre injuriam aut Dei scientiæ aut veracitati, dum eum erroris aut fraudis non expertem innuit ; aut Dei sapientiæ, dum eum absque consilio agere vel loqui opinatur ; aut supremo ejus dominio, cui se non vult submittere. » Hinc merito Pius IX in lit. encycl. die 9 nov. 1846 : « Quis enim ignorat, vel ignorare potest, omnem Deo loquenti fidem esse habendam, nihilque rationi magis

esse consentaneum quam iis acquiescere firmiterque adhærere quæ a Deo, qui nec falli nec fallere potest, revelata esse constiterit. » Cfr. concilium Vatic. supra, n. 158.

176. *Hæc obligatio credendi ex jure naturali orta urget statim ac revelatio est homini sufficienter proposita.* Exigit enim suprema Dei majestas atque auctoritas hoc absolutum obsequium creaturæ rationalis. Optime Lugo, disp. XVII, s. 1, n. 2 : « Nec obstat quod aliquis posset dicere, se credere Deum esse summe veracem, nec posse decipi vel decipere, non tamen credere se, quod Deus hæc objecta de facto revelaverit. Hoc, inquam, non obstat, quia... non solum est irreverentia dissentire iis, quæ fatemur ab aliquo dici, sed etiam dissentire iis, quæ sufficienter constat ab eo dici, ita ut de hoc non possimus prudenter dubitare. Nam si Summus Pontifex aliquid mihi diceret per nuntium authenticum vel per litteras etiam authenticas sub sigillo munitas, et ego adhuc obstinate dissentirem, non excusarer dicendo, me de veracitate Pontificis non dubitare, sed negare nuntium illum vel litteras Pontificis esse. Ratio autem est quia, sicut obedientia non solum obligat ad exequenda mandata superioris, quando fateor esse ejus mandata, sed etiam ad obediendum quando non possum prudenter dubitare de veritate mandati, nec possum tunc salva obedientia excusari negando id a superiore præcipi; et sicut observantia obligat me ad debitum cultum exhibendum principi, non solum quando fateor illum esse principem, sed etiam quando non possum de hoc prudenter dubitare, nec possum me excusare tunc dicendo me non credere quod ipse sit princeps; sic etiam debitum fidei divinæ non solum exigit fidem, quando fatemur revelationem esse a Deo, sed etiam quando sufficienter proponitur talis revelatio; nec possumus nos excusare dicendo nos non credere Deum id revelasse, nisi fortasse aliunde esset ratio prudenter de hoc dubitandi.» Cfr. ibid. n. 4 et 23. Ex quibus intelligitur, auctoritatem Dei, ut

statim ac ejus verbum sufficienter nobis est propositum.

objectum formale fidei relate ad intellectum credentis, esse quidem infinitam veritatem in cognoscendo, et veracitatem in revelando ; sed relate ad voluntatem, ut imperet assensum, motivum inclusum in auctoritate esse etiam supremam Dei majestatem.

Præcepto etiam divino positivo omnibus imposita est fides

177. *Præterea divino præcepto positivo omnes homines credere tenentur.* Sequitur ex eo quod Deus verbum suum ad omnes direxerit, volueritque illud omnibus esse medium necessarium ad salutem. Hinc Marc. XVI, 16 : «*Qui non crediderit, condemnabitur ;* » et 1 Joan. III, 23 : « *Et hoc est mandatum ejus ; ut credamus in nomine Filii ejus Jesu Christi, et diligamus alterutrum, sicut dedit mandatum nobis.* » Cfr. Schrader, de fide, n. 7. Nec de legitimitate talis præcepti dubitare licet : sicut enim Deus a nobis exigere potest determinatos actus voluntatis, ita exigere potest determinatos actus intellectus ; nam homo non est magis independens a Creatore et Domino suo quoad intellectum quam quoad voluntatem (1). Aliunde absurda est sententia, nunc apud multos axiomatis instar recepta, nempe fidem imperari non posse eo quod intellectus noster nulli legi subjaceat, sed omnimoda libertate

(1) Ita hanc veritatem pulcherrime exponit Ill. ac Rev. D. Pie : « Assurément, s'il est une vérité pratique, qui s'impose à l'esprit sans qu'on puisse ni sensément la discuter, ni légitimement s'y soustraire, c'est que Dieu, étant le créateur de l'homme et par conséquent son maître, l'homme est, selon toute l'étendue de son être, dans une entière dépendance envers lui. Et ce que la raison nous crie non moins fortement, c'est qu'étant elle-même une créature, puisqu'elle n'est autre chose que la faculté divinement donnée à notre âme de reconnaître la vérité, elle est, par sa nature même, la sujette de cette vérité : de telle sorte que, s'il plait à la vérité incréée, qui est Dieu, de se révéler à l'homme d'une manière plus excellente, et dans des proportions plus considérables qu'elle ne l'a fait en le créant, l'homme, sous peine de trahir et sa raison et sa conscience, doit soumettre à Dieu, qui lui parle, et son intelligence et sa volonté, c'est-à-dire, il lui doit pleine obéissance.» Instruction synodale sur la première constitution du concile du Vatican, n. 25.

fruatur. Cfr. Schrader, l. c. n. 41; et supra, n. 74-78. Jam si fides omnibus imposita est divina voluntate, sequitur omnibus incumbere obligationem non solum suscipiendi verbum revelatum quando sufficienter proponitur, sed etiam de facto revelationis diligentissime inquirendi : in quo constat maximam esse differentiam inter revelationem publicam et revelationem privatam. Cfr. supra, n. 26.

178. Porro præcepto positivo divino imposita est omnibus fides *explicita;* qua fide, præter ea quæ necessaria sunt necessitate medii, credi debent ea omnia quæ requiruntur ad recte sentiendum, christiane vivendum, atque rite utendum auxiliis ad salutem concessis. explicita

179. *Et quidem imprimis exigitur in viro christiano fides explicita eorum quæ in symbolo Apostolorum reperiuntur.* Probatur ex usu Ecclesiæ perpetuo, quæ Symboli notitiam a singulis ante atque etiam post baptismum postulat, ut colligitur ex plurium conciliorum decretis et SS. Patrum dictis, relatis in dist. IV de consecratione, 54, 55, 58, 59, 105, v. g. : « Ante viginti dies baptismi ad purgationem exorcismi catechumeni concurrant : in quibus viginti diebus omnino symbolum, quod est, *Credo in Deum Patrem omnipotentem,* spiritualiter doceantur. » — « Baptizandos oportet fidei symbolum discere, et quinta feria ultimæ septimanæ vel episcopo vel presbyteris reddere. » — « Non liceat ante duas septimanas Paschæ, sed ante tres ad baptismum suscipere aliquem. Oportet autem ut in his diebus, hi qui baptizandi sunt, symbolum discant. » Cfr. Ch. Lupus, diss. de Symbolo, c. 5. Ita etiam S. Cyrillus Hieros. catech. V, de fide et symbolo, n. 12. « Cum non omnes possint Scripturas legere, sed alios quidem imperitia,alios vero occupatio quædam a cognitione impediat; ne anima per ignorationem intereat, paucis versiculis universum fidei dogma comprehendimus. Quod quidem ipsis verbis meminisse vos volo, et apud vos ipsos in symbolum,

cum omni studio recitare, non chartis mandantes, sed in corde insculpentes memoriæ. » Ratio hujus obligationis, aliis omissis, hæc est, « quia qui christianam religionem amplectitur, ita debet eam amplecti ut eam distinguat ab aliis, quæ illa non sunt, et per consequens debet talem fidem credere, quæ distinguat christianam religionem ab aliis doctrinis, quæ vel sint vel fuerint : alioquin non distingueret religionem christianam a statu legis naturæ, in quo etiam fideles credebant Deum unum remuneratorem supernaturalem, atque etiam credebant vera quæcumque Deus revelasset, et quæ in vera Ecclesia ex Dei revelatione haberentur. Christianus autem, eo ipso quod christianismum profitetur, debet agnoscere quæ et qualis sit religio, cui nomen dat, saltem quoad substantialia capita et fundamenta hujus religionis : indecens enim est velle fieri Christi discipulum, et sequi ejus doctrinam, et simul ignorare prorsus Christi doctrinam, quam profitetur. Debet ergo saltem quoad substantialia capita sciri doctrina Christi, ut aliquis vere sit Christi discipulus ; quæ substantialia et potissima capita ab omnibus scienda Apostoli divino instinctu disposuerunt in symbolo, ut breviter et facile possent omnes fidem suam, quantum satis esset, profiteri.» Lugo, disp. XIII, s. 5, n. 65.

in decalogum,

180. *Deinde in viro christiano exigitur non solum cognitio qualiscumque sed etiam probabilius fides explicita decalogi.* Ita Lugo, disp. XIII, s. 2, n. 33 : « Infero, loquendo etiam de iis materiis moralibus, quas Deus per fidem nobis revelavit, et quæ aliunde nobis innotescere etiam potuissent, fidei virtutem obligare directe et per se ad eas positive credendas : quia nimirum aliqui ob suam imperitiam et tarditatem, ejusmodi obligationes alia via percipere non possunt, nisi per fidem eis proponantur. Sunt enim materiæ morales, in quibus, licet lumine naturæ cognosci posset aliunde obligatio, voluit tamen Deus expressam legem et præceptum

interponere, prout fecit de facto in præceptis decalogi, quæ Moysi dedit populo Dei nomine proponenda, et in aliis similibus, in quibus dicimus virtutem fidei obligare etiam per se et directe ad assensum fidei circa hanc obligationem. Nam eo ipso quod Deus præcipit et revelat præceptum suum, loquitur eo modo et eo animo, ut velit percipi a subditis, et exigat ab eis auditum et fidem: nemo enim præcipit ut subditus solum possit audire et obedire, sed ut reipsa audiat et credat se velle præcipere; ergo in iis omnibus præceptis satis indicat Deus, se exigere auditum a subditis, et fidem circa veritatem præcepti revelati; ac per consequens fides illa non est solum necessaria indirecte, et propter observantiam præcepti: hoc enim servari posset ex notitia obligationis aliunde habita, sed etiam per se et directe ex obligatione fidei, quam per se exigit Deus, loquens eo modo et eo animo ut audiatur et percipiatur a subditis. » Cfr. etiam ibid. s. 5, n. 125, et s. 6, n. 165. De præceptis autem Ecclesiæ manifestum est fidem haberi non posse, licet eorum notitia omnibus sit necessaria: ex quo colligitur latius patere obligationem *sciendi* quam obligationem *credendi*.

181. *Præterea in viro christiano probabiliter exigitur fides explicita eorum quæ continentur in oratione dominica.* in orationem dominicam,

Hæc enim oratio ea complectitur quæ Christus omnes petere docuit, et quibus salutem, salutis media, omniaque necessaria a Deo efflagitare debemus. Hinc in conciliis et in scriptis Patrum jungi solet cum symbolo; sic, v. g. conc. Moguntinum, c. 45: « Symbolum, quod est signaculum fidei, et orationem dominicam discere semper admoneant sacerdotes populum christianum, ut disciplinam condignam habeant, qui hoc discere negligunt. » Diximus autem *probabiliter*; quia non desunt qui existiment, circa orationem dominicam sermonem institui quidem posse de necessitate *sciendi*, non tamen de necessitate *credendi*; cfr. Lugo, disp. XIII, s. 5,

n. 130; quam sententiam minus fundatam arbitramur, si quidem in prædicta oratione creditur Deus providens, auxiliator, condonans, remunerans. Salutatio vero angelica probabiliter sciri debet sub levi. Cfr. Lugo, disp. XIII, s. 5, n. 134.

et in baptismum, pœnitentiam et Eucharistiam.

182. *Demum exigitur in viro christiano fides explicita sacramentorum baptismi, pœnitentiæ et Eucharistiæ.* Ita rursus Lugo, disp. XIII, s. 5, n. 116 et sqq.: « Baptismum, sicut omnes recipere debent, ita credere tenentur ejus efficaciam et necessitatem.... Similiter consentiunt omnes, quod sit necessaria fides et notitia sacramenti pœnitentiæ.... De sacramento etiam Eucharistiæ omnes fatentur necessariam esse fidem explicitam, cum præceptum sit universale omnibus fidelibus impositum eam sumendi, ad quod necesse est scire quid in eo sacramento contineatur. »

Fides hæc explicita supponit intelligentiam rerum saltem vulgarem, earumque memoriam quod substantiam.

183. *Prædicta fides explicita supponit rerum intelligentiam saltem rudem, crassam et vulgarem, nec non aliquam earumdem memoriam, quoad substantiam scilicet, non quoad verba et articulorum ordinem.* Et de rerum quidem *intelligentia*, sic scribit Lugo, disp. XIII s. 4, n. 68: « Sufficit scire Deum esse Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum, et non esse plures Deos, licet non intelligatur distincte pluralitas personarum cum unitate essentiæ. Similiter sufficit scire Christum esse Deum et hominem, licet non intelligatur distincte unitas in persona et distinctio in naturis, et sic de aliis sufficit scire id quod verba rudi et crasso modo significant. » De rerum autem *memoria*, hæc iterum habet, ibid. n. 139: « Memoriam autem rerum ipsarum secundum substantiam, non minus puto esse sub obligatione, quam rerum intelligentiam; quare non minor diligentia adhibenda erit ad hanc quam ad illam. Nam qui semel intellexit et explicite credidit aliquos articulos, quorum postea non recordatur, perinde eos ignorat ac si nunquam eos intellexisset, atque adeo non minus ignorat suam fidem, quam qui nunquam

explicite eos credidit : non ergo satisfacit obligationi sciendi potissima fidei christianæ capita. Quod vero attinet ad necessitatem medii, non est concedendum quod sit aliquis adeo hebes et rudis, qui, cum sit capax peccandi mortaliter, non possit percipere explicite articulum de uno Deo remuneratore, quæ fides explicita est medium simpliciter et universaliter omnibus adultis necessarium ad justificationem et salutem : quæ fides non sufficit semel habita : nam, ut vidimus... sine hac fide actuali explicita, nemo potest diu in gratia justificationis perseverare. » Memoria vero verborum symboli, decalogi, orationis dominicæ non exigitur nisi præcepto ecclesiastico sub levi obligante. Ita Laymann, lib. 2, tr. 1, c. 9, n. 4 : « Adde, quod attinet ad orationem dominicam, salutationem angelicam et symbolum Apostolorum, esse ecclesiasticum præceptum longa consuetudine firmatum, ut ea memoriter ediscantur, sicuti colligitur ex c. *vos ante omnia*, dist. 4, de consecratione, et docet Palud... Navar... Lopez... ubi tamen admonent hujusmodi obligationem memoriæ mandandi esse solum sub peccato veniali. »

Præceptum fidei admittit parvitatem materiæ.

184. Quamvis divinum præceptum fidei in prædictas veritates obliget sub gravi, potest tamen in ejus transgressione haberi peccatum solummodo leve, tum propter defectum plenæ voluntatis tum propter parvitatem materiæ : ut si quis etiam culpabiliter ignoret Christum passum esse sub Pontio Pilato, et hujusmodi. Cfr Lugo, disp. XIII, s. 4, n. 68.

Fides explicita amplior necessaria ratione muneris circumstantiarum, etc.

185. Egimus hactenus de præcepto fidei explicitæ omnibus æque imposito et per se obligante; amplior autem et distinctior cognitio quibusdam necessaria est ratione muneris, conditionis et status, puta parochis, concionatoribus, episcopis, judicibus. Ita Ægid. De Coninck, disp. XIV, dub, 10, n, 196, 197 : « Parochi, concionatores, confessarii, ac similes, quibus incumbit cura alios in rebus fidei ac morum instruendi, non solum tenentur supradicta explicite scire, sed ea ita scire ut possint ea

cæteris explicare, et difficultates quæ communiter in iis possunt hominibus plebeis occurrere, exponere. Item tenentur scire ac posse explicare, quando et qua ratione sacramenta percipienda sint, et quis fructus ex eorum perceptione accipiatur. Item, qua ratione sacrum aliaque divina officia decenter audienda sint, aliaque similia, quæ ad christiani hominis officium spectant... Ubi nota, omnino convenire quidem parochum esse versatum in controversiis, et posse articulos fidei contra oppugnantes defendere ; imo in locis hæresi infectis, aut vicinis ipsis hæreticis, ubi alias esset periculum subditis ne ab illis perverterentur, si viderent pastorem suum non posse illorum argumenta solvere, esset omnino necessarium illum ad hoc habere sufficientem scientiam : tamen, extra hos casus, absolute loquendo, hoc necessarium non est, quia per se loquendo, sicut ipse non est judex controversiarum fidei, ita non tenetur has omnes controversias posse explicare, et fidem contra oppugnantes tueri ; sed sufficit eum sufficienter scire ea quæ suis tenetur explicare, ita ut sine periculo erroris id possit secure facere ; in gravioribus autem difficultatibus potest ad episcopum recurrere. » De primoribus autem inter laicos, sic scribit Lugo, disp. XIII, s. 5, n. 145 : « Laici magistratus, et qui de controversiis etiam sæcularibus debent judicare, debent scire ea omnia, quæ ad justam et rectam causarum decisionem spectant, quorum multa supponunt notitiam sacrorum canonum et conciliorum, et potestatis quam Pontifex habet ad præcipiendum et decernendum, censurarum vim et efficaciam, Ecclesiæ immunitatem et potestatem, et alia hujusmodi ; quos etiam et quales contractus Ecclesia damnaverit, quid circa illorum valorem et justitiam definiverit... » Quoad omnes fideles graviter monet Perrone, de Fide, Spe, et Charitate, n. 343 : « Quapropter inculcanda (nunc temporis) catholicæ plebi est, doctrina de nulla extra catholicam ecclesiam salute perpetuaque damnatione illorum, qui se

ab hæreticis seduci patiuntur : item apprime instituendi sunt circa necessitatem adhærendi Romano Pontifici, capiti visibili totius Ecclesiæ, circa doctrinam de reali Christi præsentia in Eucharistia, circa necessitatem auricularis confessionis ad obtinendam peccatorum veniam, circa cultum sanctorum eorumque imaginum venerationem, circa proprietates ac notas veræ Christi Ecclesiæ. »

Præcepto tenemur

186. *Præcepto divino non solum tenemur fidem suscipere statim ac nobis sufficienter proposita est, in eaque constanter permanere, sed etiam obligamur ad actus fidei identidem eliciendos.* Hoc deduci videtur ex sacris litteris, v. g. Rom. I, 17 ; I Cor. XVI, 13 ; 2 Pet. V, 9 : *Justus autem meus ex fide vivit. — Vigilate et state in fide. — Cui resistite, fortes in fide*, etc. Etenim ex fide vivere, stare in fide, resistere diabolo per fidem, impossibile est absque actuali ejusdem exercitio. Hæc sententia confirmari potest ex propositionibus ab Alexandro VII et Innocentio XI damnatis : « Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei et charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium. » — « Satis est actum fidei semel in vita elicere. » — « Sufficit illa mysteria (Trinitatis et Incarnationis) semel credidisse. » Probatur autem, « tum quia ex ipso rationis dictamine absonum est, hominem nunquam aut raro admodum ad Deum finem ultimum se convertere, credendo quæ dignatus est revelare, sperando in ejus misericordia, et prosequendo veritatem; tum etiam quia lege naturali tenemur Deum conditorem colere cultu præstantissimo supremæ ejus excellentiæ consono, quod potissimum per actus theologales præstatur. Præterea, quia hujusmodi actus necessarii sunt ad pie vivendum, et ad alia media salutis usurpanda. Ac demum, quia quidam contemptus est, ac enormis ingratitudo, habitibus infusis virtutum theologicalium nunquam uti. » Viva, in p. I ab Alexandro VII damnatam.

Fatendum tamen est, proscriptam minime esse doctrinam eorum qui censent, assensu fidei semel elicito, præceptum affirmativum per se directe non amplius obligare, licet sæpius obliget per accidens. Cfr Viva, l. c. n. 9; Sporer, c. 2, s. 3, n. 16 et sqq.

identidem repetere

187. *Præceptum istud repetendi actum fidei semel elicitum probabiliter urget per se in mortis periculo, et sæpius in decursu vitæ, quin tamen tempora adimpletionis magis particulariter determinari possint aut debeant.* Ita Lugo, disp. XIII, s. 2, n. 45: « Inutilem existimo quæstionem illam, quam plures movent de tempore quo tenetur fidelis actus fidei repetere, ut satisfaciat obligationi directæ ipsius fidei, cui obligationi non videtur satisfacere semel amplectendo fidem christianam, et eam credendo, nec etiam in articulo mortis eum actum eliciendo, sed debet aliquoties fidei actus exercere; et ideo aliqui dicunt debere id fieri saltem diebus festis, alii volunt in singulis saltem festis debere elici actum fidei circa mysterium illud, quod eo die celebratur. Alii dicunt obligare hoc præceptum saltem semel in anno, sicut præceptum confessionis et communionis... Cæterum, hæc quæstio, ut dixi, parum utilis mihi videtur, quia non potest contingere, moraliter loquendo, quod homo christianus, qui fidem christianam semel toto corde amplexus est, nec postea ab ea defecit, nec de ejus veritate dubitavit, non repetat sæpius actus fidei, ita ut non solum ratione primæ voluntatis, sed etiam ob repetitos sæpe actus, censeatur habitualiter et moraliter in eadem fide perseverare et eam credere. Imo vix contingit, hominem christianum exercere aliquod opus honestum, vel resistere alicui tentationi, et satisfacere alicui præcepto ex fine bono, nisi interveniente aliquo fidei actu... et per consequens actus omnes honesti et undequaque laudabiles, qui reperiuntur in homine fideli, fidei tribuendi sunt, cujus regulam et directionem, ut magis certam et securam, consulit statim homo,

quoties opus aliquod honestum exercendum occurrit. Quare, cum materia hæc honeste et inhoneste operandi adeo frequenter occurrat, non est dubitandum de exercitio plusquam sufficienti actuum fidei ad satisfaciendum ejus præcepto. » Per accidens autem urget quando tentatio aliqua contra fidem interna vel externa occurrit, cui per actum fidei resistere necesse sit; cfr. Lugo, disp. XIII, s. 2, n. 47, ubi cum aliis monet « scrupulosis consulendum non esse in eo casu hoc remedium, exercendi tunc actum fidei, quia scrupulis vexati fingunt sibi semper periculum amittendi fidem, cum tamen in ea sint firmi, et ideo torquent se repetendo continuo actum fidei, ut certi sint quod fidem non negarunt. »

fidei actum explicitum.

188. Ad satisfaciendum præcepto non videtur sufficere identidem credere universim quidquid Deus revelavit, et Ecclesia proponit, sed explicite credi debent Dei remuneratoris existentia, nec non mysteria Trinitatis et Incarnationis. Cfr Viva, l. c. n. 9.

Obligatio fidei ex aliis præceptis orta.

189. *Obligatio eliciendi actum fidei non raro oritur indirecte ex vi aliorum præceptorum, ad quorum scilicet adimpletionem fides est necessaria.* « Regula generalis est, toties esse obligationem eliciendi assensum fidei, quoties is necessarius est ad observandum aliud præceptum, quod tunc obligat : quia, qui tenetur ad aliquem finem, tenetur etiam ad ponenda media necessaria, præsertim proportionata et facilia : obligatio autem hæc non erit ex ipsa virtute fidei, sed ex illo alio præcepto, ad cujus observantiam erat medium necessarium actus fidei, contra quod solum præceptum peccabitur omisso actu fidei, nec erit duplex peccatum explicandum in confessione, sed unicum contra illud aliud præceptum, quod urgebat. » Lugo, l. c. n. 43. Hinc minus accurate loqui videntur theologi dum dicunt, in eo casu *præceptum fidei* obligare per accidens.

190. Hujusmodi obligatio habetur a) quando homo vult se

ad justificationem in sacramento comparandam præparare : quia debet præmittere detestationem absolutam et efficacem suorum peccatorum,ad quam debet præcedere actus fidei ; cfr. Lugo, l. c. n. 44 ; b) quando urget præceptum spei vel charitatis : nam sine fide non elicitur dilectio Dei super omnia ; c) quando urget gravis tentatio contra aliquam virtutem, quæ sine actu fidei videtur non posse vinci, etc.

191. Coronidis instar liceat hic monere, hortandos esse fideles, ut actus fidei sæpe eliciant, nostra præsertim luctuosa ætate, qua perniciosissimi errores verbis scriptisque impune pervulgantur, et perversionis periculum fere ubique prominet.

§ II.

De præcepto externæ professionis fidei.

Fidei professio multiplex.

192. Fidei *professio* est externa ejus manifestatio per signum aliquod ad hoc ordinatum et comprobatum. Est autem *verbalis* vel *realis* prout fit sermone aut actione ; *generalis* vel *specialis*, prout ostenditur adhæsio doctrinæ catholicæ in communi aut alicui veritati determinatæ, puta infallibilitati Pontificis ; *formalis* vel *materialis*, prout oritur ex intentione assensum internum declarandi, aut, absque tali intentione, ex alio quocumque fine.

Præcepto divino fidem profiteri tenemur

193. *Extat præceptum, illudque divinum, fidem aliquando externe profitendi.* Colligitur existentia hujus præcepti ex sacris litteris, v. g. Luc. IX, 26, XII, 8 ; Rom. X, 9, 10, etc. : *Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris, salvus eris : corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. — Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet cum venerit in majestate sua. — Omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus, et Filius hominis confitebitur illum coram angelis Dei.* Hinc S. Augustinus, serm. CLXXIX, n. 6 : « Quid

prodest corde credidisse ad justitiam, si os dubitat proferre quod corde conceptum est? » Et in ps. CXV : « Non perfecte credunt, qui, quod credunt, loqui nolunt. » Item de fide et symb. c. 1 : « Salvi esse non possumus, nisi et nos ad salutem proximorum nitentes etiam ore profiteamur fidem, quam corde gestamus. » Eodem modo Auctor operis imperfecti in Matth. : « Non solum ille proditor est veritatis, qui transgrediens veritatem palam mendacium pro veritate loquitur, sed etiam ille qui non libere pronuntiat veritatem. » Ratio autem a priori esse potest duplex. « Prima, quia Deus non voluit de facto Ecclesiam solum invisibilem et mentalem, sed visibilem, per unionem et conjunctionem visibilem, ut fieret unum corpus mysticum visibile, animatum uno et eodem spiritu invisibili interno. Hæc autem conjunctio visibilis fieri non potest, nisi membra ad invicem sensibiliter conjungantur inter se, quod fit dum singula sensibiliter sese manifestant esse membra hujus corporis mystici, profitendo eamdem fidem et religionem communem aliis membris. Secunda ratio esse potest, quia hoc ipsum exigitur a suprema Dei auctoritate et majestate. Cederet quippe in dedecus principis, si nobilis in ejus famulatum adscriptus, et famuli stipendii atque emolumenta accipiens, ita curaret ea occulte atque per interpositam personam accipere, ut nulli de suo famulatu quidquam constaret, nec ullum prorsus famuli vel obsequii signum erga Dominum exhiberet. Videretur enim dedignari dominum, et erubescere professionem suæ servitutis, quam etiam conservis suis et toti familiæ absque justa causa occultam esse vellet. Quæ irreverentia eo est major adversus Deum, quo infinite major Domini dignitas, et innumerabilia ejus erga famulos beneficia et merita, assiduam ab eis exigunt suæ professionem servitutis, et fidei erga Dominum infinite excellentem, et cui tot se nominibus obstrictos vident. » Lugo, disp. XIV, s. 4, n. 52.

aliquando per se in decursu vitæ,

194. *Præceptum istud divinum urget per se imprimis quando petitur baptismus vel suscipitur fides;* in hoc enim casu reverentia erga divinam veracitatem et auctoritatem obligat ad exhibendum signum fidei internæ, et profitendos nos ejusdem fidei cultores. Cfr. Lugo, disp. XIV, s. 4, n. 52 et 55. Urget etiam per se *aliquibus temporibus in decursu vitæ*, ita ut unusquisque aliis fidelibus, inter quos vivit, catholicum et fidelem sese ostendat. Cæterum observantia hujus præcepti nullum quoad praxim addit speciale onus; fit enim satis huic obligationi per opera aliorum præceptorum christianæ legis, præsertim per receptionem sacramentorum, auditionem missæ, ingressum templi, recitationem precum, et alia opera christiana, quæ omnibus satis manifestant fidem internam; et licet non fiant ex illo motivo speciali manifestandi et confitendi fidem, non requiritur opus ex motivo præcepti ad satisfaciendum præcepto, sed sufficit ut opus ipsum, quod ex alio fine observatur, sit per se manifestativum fidei. Lugo, l. c. n. 53.

aliquando per accidens.

195. Idem præceptum urget quasi *per accidens*, primo quando quis de fide interrogatur, si ejus silentium vel negationi æquivaleret, vel saltem divino honori afferret detrimentum. Cfr. Lugo, l. c. n. 57, 58 et ead. disp. s. 2, n. 37, 38. Urget secundo, quando fides et veracitas divina contumeliose tractatur ab aliis, quos possumus impedire; cfr. Lugo, l. c. n. 63. 64, Æg. De Coninck, disp. XV, dub. 4, n. 8. Tertio urget quando existimatur fidei confessio necessaria, ut homo ipse vitet periculum morale, in quo versatur, deficiendi a fide, nisi per actum illum contrarium, et protestationem externam, timorem et erubescentiam semel excutiat.

Obligatio fidem profitendi ex aliis præceptis orta.

196. *Præterea obligatio fidem externe profitendi aliquando oritur ex aliis præceptis, nempe charitatis, misericordiæ vel etiam justitiæ;* puta casu quo externa alicujus confessio est necessaria aut valde utilis ad aliorum vel conversionem ad

fidem vel in eadem confirmationem; licet enim nonnulli existiment in hujusmodi adjunctis obligationem esse ex ipso fidei præcepto, alii tamen melius censent eam aliunde provenire. Cfr. Lugo, l. c. n. 61.

Lex ecclesiastica fidei professionem quibusdam injungens.

197. *Demum habetur præceptum ecclesiasticum quibusdam impositum fidem in determinatis circumstantiis speciali formula externe profitendi.* Constat ex conc. Trid. sess. XXIV, de Refor. c. 12, et sess. XXV, de Refor. c. 2; item ex bulla Pii IV, *Injunctum nobis*, nec non ex decreto Pii V, *In sacrosancta*. Hoc præceptum sub mortali obligat, quoniam latum est de re gravi et ad gravissimum finem, qualis est exaltatio et promotio fidei nostræ, atque errorum extirpatio. Obligat autem ex virtute fidei, adeo ut ejus transgressio, seu professionis omissio, sit non solum contra obedientiam Ecclesiæ debitam, sed etiam contra virtutem fidei; quia præcepta Ecclesiæ de actibus alicujus virtutis, eo ipso faciunt ut actus præceptus sit intra eamdem virtutem, et ejus violatio sit etiam contra illam specialem virtutem. Sic etiam jejunium præceptum ita pertinet ad virtutem temperantiæ, ut violatio jejunii sit etiam contra virtutem temperantiæ, et debeat in confessione explicari hæc specialis malitia contra temperantiam; et simonia prohibita solum jure humano est etiam contra religionem, et sic de aliis. Cum ergo confessio fidei de se sit actus virtutis fidei, de se consequens est, ut, accedente præcepto Ecclesiæ, omissio hujus confessionis sit, non solum contra obedientiam, sed etiam contra virtutem fidei, ad quam confessio illa de se pertinet, et ideo hæc specialis malitia explicari debet in confessione, et sufficienter explicatur dum pœnitens dicit, se omisisse fidei professionem, quam ex præcepto Ecclesiæ debebat facere. Porro hanc fidei professionem facere tenentur a) Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi et Episcopi, ante litteras propriæ provisionis expeditas.— b) Provisi de canonicatu vel dignitate in cathedrali. — c) Provisi de

beneficio curato, intra duos menses a die possessionis, coram Episcopo vel ejus vicario generali, vel officiali. — d) Omnes promovendi in doctores, magistros regentes, professores cujusvis scientiæ liberalis. — e) Omnes qui in synodum convenire debent. Professionis formula præscripta est a Pio IV pro latinis, cit. bulla *Injunctum nobis ;* pro græcis vero a Gregorio XIII, const. *Sanctissimus*. Plura de his apud Sanchez, de præc. Dec. lib, 2, c. 5, et Castropalao, de fide, disp. I, pu. XIX.

—

CAPUT II.

DE EFFICACIA FIDEI THEOLOGICÆ.

Fides est initium justificationis,

198. *Si fides integre sumatur, prout scilicet complectitur totam seriem actuum quibus ad assensum formalem in veritatem revelatam pervenitur, dicendum est eam esse initium nostræ justificationis*. Etenim ante fidei inchoationem, nullus omnino est actus salutaris; ante fidem vero formalem, non sunt actus salutares præter eos qui ex se ordinantur ad ipsam concipiendam. Hinc S. Augustinus cum aliis Patribus constanter reducit primam Dei gratiam in illud auxilium quod datur ad credendum. Cfr. Lugo, disp. XII, s. 2 et 3 ; supra, n. 99.

ac principium directivum totius vitæ christianæ ;

199. *Sicut autem in ordine naturali cognitio per rationem est principium omnium operationum humanarum, ita in ordine supernaturali cognitio per fidem est principium directivum totius vitæ christianæ*. Præclare rem exponit Franzelin, de sacr. th. VIII, pag. 85, 86 : « Non nisi fide cognoscitur Deus ultimus finis, ad quem tendendum..... Non nisi fide cognoscitur Christus Redemptor, præter quem « non aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. » Act. IV, 12. Fide cognoscitur et aversio a Deo per peccatum et gravitas peccati ; cognoscitur divina justitia quæ placanda, divina misericordia ad quam confugiendum,

divina bonitas quæ amanda; cognoscitur infirmitas hominis et potentia divini adjutorii ; cognoscuntur media omnia auctore Christo proposita aut instituta, interque hæc maxime sacramenta ad conciliandam Dei gratiam et acquirendam salutem. » Hoc sensu in sacris litteris dicitur *justus ex fide vivere.* Rom. I, 17 ; Gal. III, 11 ; Heb. X, 38 ; Item dicimur *justificari ex fide*, et *per fidem salvari*, Rom. V, 1 ; I Cor. XV, 1, 2 etc.

practice inclinat ad virtutum exercitium,

200. *Neque fides est solum theoretica cognitio, sed ipsa practice inclinat et primum disponit animam ad salutarem timorem, ad supplicem orationem, ad spem, ad pœnitentiam, ad charitatem, ad observationem mandatorum Dei, ad fructiferum usum sacramentorum, ad omnem vitæ sanctitatem.* Quando itaque spectatur fides prout scopum perfectionis ad quem ordinatur obtinet, de ipsa valent dicta universalia et absoluta : *In Christo omnis qui credit, justificatur ; — Christo omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes qui credunt in eum; — Omnis qui credit quoniam Jesus est Christus ex Deo natus est*, etc. Cfr. Joan. III, 15 ; Act. X, 43, XIII, 39, 1 Jo. V. 1.

et ulteriores dispositiones meretur.

201. *Quinimo fides, utpote opus honestum , liberum et supernaturale, est in homine justo meritoria de condigno augmenti gratiæ, in peccatore autem est meritoria de congruo ulteriorum dispositionum ad justificationem.* Ita S. Augustinus, de Præd. Sanct. c. II : « Quis dicat eum qui incœpit credere, nihil mereri ab eo in quem cœpit credere ? » Et epist. CVI: « Si quis dicat quod gratiam bene operandi fides mereatur.negare non possumus. » Cfr. S. Thomas, 2. 2. q. 2, art. 9 ; Lugo, disp. X, s. 4 ; et supra a n. 74.

Quamvis autem sine fide opera non prosint ad salutem,

202. *Ex adverso opera quæcumque, sive naturæ sive legis, quæ sunt citra et extra fidem, nec ab ea procedunt, nihil positive conferre possunt ad justitiam christianam.* Nulla est

scilicet justitiæ christianæ inchoatio, progressio, perfectio quæ, quantum ad opus operantis, non progerminet ex fide tanquam prima radice, non innitatur fidei tanquam fundamento, et quatenus est ex opere operato, in adultis non supponat fidem ut radicem et fundamentum necessariæ dispositionis. Hoc sensu dicimur justificari «*per fidem sine operibus legis*,» *salvati per fidem, non ex operibus*. Cfr. Rom. III, 28, Eph. II, 8, 9, etc. Hoc ubique inculcat S. Augustinus ; v. g. de gratia et libero arb. c. VIII, ait, « Ideo Apostolum docere, justificari hominem ex fide, non autem ex operibus, non ut opera excludat, sed quia opera justitiæ sunt ex fide, non ex operibus fides, ac per hoc ab illo sunt opera justitiæ, a quo est fides. « Et de Præd. sanct. c. VII : « Ideo, inquit, Apostolus docet, justificari hominem ex fide, non ex operibus, quia ipsa prima datur, unde impetrentur cætera, quæ proprie opera nuncupantur ; » etc. Eodem modo loquuntur cæteri Patres. S. Ambrosius, lib. VI in Luc. c. VII, super illa verba *quid molesti estis*, etc. : « Misericordiæ, inquit, præfertur fides, quia misericordia tunc habet meritum, si fide præcedente conferatur. » S. Gregorius. hom. XIX in Ezech. super verba, *fenestræ autem ejus et vestibulum*, sic ait: « Non virtutibus venitur ad fidem, sed per fidem pertingitur ad virtutes. » Et S. Leo, serm. VI, in quadrag. loquens de potu aquæ frigidæ, etc : « De hoc tamen calice non frustra admonet Dominus ut in nomine ipsius præbeatur, quia hæc, quæ per se sunt vilia, fides efficit pretiosa, et quæ ab infidelibus ministrantur, etiamsi sumptu sint magna, omni tamen justificatione sunt vacua ; » etc. Cfr. Lugo, disp. XII, s. 2, n. 14 et 15: Suarez, lib. I, de gratia, c. XX, n. 11 et 12. Porro ad hoc ut opera dicantur esse ex fide, non sufficit quod ponantur ab homine fideli, sed necessarium est quod ponantur ex motivo fidei. Inde tamen non sequitur inutilia reddi multa opera bona quæ quotidie faciunt homines justi, nihil cogitantes de motivo fidei, sed attendentes v. g. ad mise-

riam proximi, et ad honestatem eleemosynæ ; nam, ut bene explicat Lugo, « raro vel nunquam accidit ut homo, qui semel concepit fidem christianam, et eam habet tanquam certissimam regulam suarum actionum, non attendat ad illam quoties vult operari honeste vel inhoneste. Hæc est enim natura intellectus, ut quando agitur de examinanda aliqua veritate, statim recurrat ad securiorem regulam, ut vitetur periculum falsitatis ; et hæc etiam est natura voluntatis, ut quando inclinatur ad aliquod objectum, consulat regulas certiores, ut certificetur de bonitate illius objecti. Hinc est, difficillimum esse, quod quando christiano occurrit occasio eleemosynæ vel alterius operis pii, non statim consulat regulam fidei, quæ est prima et potissima in lege christiana, ad judicandum de honestate illius objecti : quod si aliquando raro ad eam regulam non attenderit, tunc merebitur solum præmium naturale. » L. c. s. 3, n. 47.

203. *Quamvis ergo fides sit causa aliqua justificationis, non est tamen ejus causa immediata, adæquata et plene ex se sufficiens.* Etenim a) multiplices in sacris litteris præter fidem enumerantur dispositiones, quibus tribuitur justificatio, sc. *spes*, 1 Joan. III, 3, *timor* Dei, Eccli, I, 27, Prov. XIV, 27, *eleemosyna*, Tob, XII, 9, *pœnitentia*, Ez. XVIII, 21, *charitas*, Luc, VII, 47. Cfr. concilium. Trid. sess. VI, c. 6. Asseritur autem b) fidem ab aliis dispositionibus separabilem esse, et nisi alia accedant, per se solam et sejunctam ab aliis, mortuam esse et nihil prodesse ; v. g. Rom. II, 13 : « *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.* » Item 1 Cor, XIII, 2 :« *Si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum ;* » ubi sermonem esse de fide quæ requiritur in christianis, et quæ in suo ordine et suo modo est justificans, manifestum est tum ex intentione locutionis *omnem fidem*, tum ex verbis quibus Apostolus concludit totam hoc capite

tamen fides sola ad eam non sufficit.

institutam comparationem aliarum virtutum ac charismatum cum charitate : *Nunc autem manent fides, spes, charitas....* Præsertim vero Jac. II, 23-26, demonstratur, in Abraham tanquam in exemplari, fidem non sufficere solam, sed, sicut alia non possunt esse sine fide, ita et fidem esse consummandam per alia, ut justitia christiana possit consistere : *Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, et ex operibus fides consummata est. Et suppleta est Scriptura dicens : credidit Abraham Deo et reputatum est illi ad justitiam... Videtis quoniam ex operibus justificatur homo et non ex fide tantum... Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est* » Hinc c) ad efficiendam et constituendam justitiam christianam, fides vivificanda dicitur per charitatem, v. g. Gal. V, 5-6 : « *Nos enim spiritu ex fide spem justitiæ exspectamus. Nam in Christo Jesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur.* » Eadem est doctrina SS. Patrum : v. g. S. Chrys. hom. LXIV in Matth. n. 4 : « Nisi vitam fide nostra dignam ducamus, extremas dabimus pœnas ; » et S. August. serm. VXI, c. 6, de verbis Apostoli : « A fide incipit homo; sed et dæmones credunt et contremiscunt... Adde ergo fidei spem... speique ipsi adde charitatem. » etc. Merito itaque conc. Trid. sess. VI, can. 9, contra Novatores sæculi XVI : « Si quis dixerit, sola fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, et nulla ex parte necesse esse suæ voluntatis motu præparari, atque disponi, anathema sit. » Plura legi possunt apud Bellarminum, lib. I de Justificatione ; Perrone, de gratia, p. 2, c. 2, art. 2, prop. I, Franzelin, de sacr. th. VIII; Jungmann, de gratia, n. 294 et sqq.

Explicatur doctrina concilii Tridentini.

204. Ex dictis intelligitur quo sensu in concilio Trid. sess. VI, c. 8, fides dicatur « *initium salutis, fundamentum ac radix omnis justificationis.* » Ita egregie Æg. De Coninck:

« Sicut radix non solum sustentat arborem, sed etiam succum subministrat, quo folia et fructum producit ; ita fidem non esse solum fundamentum mortuum, ut contingit in fundamento domus, sed esse fundamentum vivum instar radicis ; nam non solum super eam ædificatur domus spiritalis, sed etiam exercet officium radicis, dum ipsa speranda ac amanda nobis proponit, varias ac pias affectiones timoris, spei, aliasque similes, tanquam succum aliquem in nobis excitat, ex quo fructus charitatis pullulat.... Pro quo notat Vasquez, arbores in fine autumni, dum fructus et folia, ex quibus apparebat eorum vita, amittunt, quodammodo mori, mortuis enim arboribus plane similes sunt, et quamvis in radice vitam aliquam retineant, hæc tamen non apparet ; et cum nec fructum, nec folia proferant, otiosæ et pro eo tempore inutiles sunt ; atque ita hæc est quasi prima mors arboris, cui similes sunt peccatores fideles, in quibus fides est otiosa, ideoque mortua dicitur. Secunda mors arboris est, quando eradicatur, aut cum radix ipsa in se moritur, cui similes sunt hæretici ; ideoque a S. Juda dicuntur non solum arbores autumnales, sed etiam bis mortuæ. » Disp. XIV, dub. 7, n. 86, 87.

PARS III

DE DEFECTU FIDEI THEOLOGICÆ.

Nomine defectus intelligitur peccatum fidei oppositum.

205. Nomine *defectus* fidei hic non tam intelligitur mera ipsius absentia seu status eorum qui fidem non habent, quam peccatum fidei oppositum. Potest autem peccatum esse fidei oppositum vel quoad internum assensum, vel tantum quoad externam professionem : de utroque hoc defectu jam in specie tractabimus.

—

CAPUT I.

DE DEFECTU FIDEI THEOLOGICÆ INTERNÆ.

Defectus fidei internæ est totalis vel partialis.

206. Defectus fidei est vel *totalis* vel partialis : totalis vocatur, quando omnis vera fides excluditur ; *partialis* autem dicitur, quando fides retinetur sed contra ipsam uno vel alio modo peccatum committitur.

—

ARTICULUS I.

DE TOTALI FIDEI INTERNÆ DEFECTU.

Peccatum infidelitatis, quod excludit omnem voluntatem credendi, committitur, quando

207. Totalis fidei internæ defectus appellatur *infidelitas* ; est autem infidelitas peccatum « *quod ex objecto suo ita opponitur cum fide actuali, ut, quamdiu non retractatur, non possit homo habere voluntatem credendi vero et proprio actu fidei divinæ.* » Lugo, disp. XVIII, s. 1, n. 5 ; cfr. Suarez, disp. XVI, s. 1, n. 2. Jam vero committitur hoc peccatum quotiescumque homo *veritatem revelatam sufficienter sibi propositam rejicit*. Cfr. supra, n. 129 et n. 135. Ita Lugo : « Addo, eum qui culpabiliter et scienter errat circa unum objectum

revelatum sufficienter propositum non posse ex natura rei habere assensum fidei circa alia. Sicut qui scienter agit contra Deum in materia gravi, non potest in alia materia ex charitate operari ; nam sicut actus perfectæ charitatis in qualibet materia continet implicite voluntatem placendi Deo, et non violandi ullum præceptum grave : sic omnis actus fidei circa quemlibet articulum continet summam reverentiam ad divinum testimonium, et habet implicite excludere dissensum ad omnia objecta quæ sufficienter proponuntur ut revelata. Nascitur autem in fide hæc repugnantia, sicut in charitate, ex modo tendendi circa objectum ; nam sicut charitas diligit ex toto corde et super omnia Deum, sic etiam fides christiana credit super omnia ex toto corde Deo... ; et sicut charitas, quia diligit Deum super omnia, eo ipso repugnat etiam violationi præcepti in materia gravi : sic etiam fides, quia credit Deo super omnia, eo ipso repugnat cum dissensu ad objectum revelatum sufficienter propositum. Velle enim credere super omnia est velle exhibere summam reverentiam intellectualem divino testimonio ; ad hanc autem summam reverentiam spectat recipere divinum testimonium, quotiescumque sufficienter propositum fuerit, nunquam enim potest respui sine irreverentia : ergo in qualibet voluntate credendi includitur implicite assensus ad alia omnia objecta revelata sufficienter proposita. » Disp. XVII, s. 6, n. 122.

verbum Dei

208. Ut ergo habeatur infidelitas requiritur ex parte objecti *revelatio;* seu rejici debet *verbum Dei ;* perinde tamen est sive agatur de verbo Dei explicito, sive de eo quod Deus implicite dixit ; cfr. supra, n. 21-24 ; imo, juxta multos, infidelitas adest quando rejicitur verbum Dei etiam per privatam revelationem communicatum. Cfr. Lugo disp. I, s. 11, n. 243, et disp. XX, s. 2, n. 34 et sqq ; Suarez, disp. XIX, s. 5, n. 11.

scienter rejicitur

209. Ex parte autem subjecti ad infidelitatem requiritur

scientia, seu necessarium est ut veritas revelata ipsi appareat evidenter credibilis, nempe ob argumenta quæ sufficiant ad excludendam e mente ejus omnem prudentem formidinem errandi. Cfr. supra, n. 105-111. Cum autem hæc scientia non habeatur ubi adest ignorantia, sequitur, ignorantiam, etiamsi graviter culpabilis sit, excusare a peccato infidelitatis. Ratio autem ulterius est, ut bene arguit Lugo « quia habitus fidei non perditur, quamdiu homo in ea dispositione manet, in qua potest divinæ fidei actus elicere circa articulos sibi sufficienter propositos; ideo enim peccato proprio et perfecto infidelitatis deperditur, quia homo, quantum est ex se, fidem abjicit, nec potest, quamdiu in ea dispositione manet, credere actu fidei divinæ, et ex voluntate debita piæ affectionis articulum aliquem sibi propositum, quam indispositionem non incurrit per dissensum malum ex ignorantia provenientem: potest enim adhuc habere voluntatem universalem et piam credendi firmissime omnia quæ sufficienter proponentur ut revelata a Deo, quamvis non habeat voluntatem adhibendi diligentiam, ut sciat quæ sint a Deo revelata. » Disp. XX, s. 6, n. 175. Hæc porro valent pro quacumque ignorantia culpabili, licet crassa et supina, imo probabilius pro ipsa ignorantia affectata, nisi sit mere concomitans, ut contingit quotiescumque errans ita actualiter vel virtualiter (non tamen tantum habitualiter) dispositus est, ut, si sciret veritatem esse a Deo revelatam, adhuc eam rejiceret; talis enim dispositio consistere nequit cum voluntate vere et sincere credendi. Cfr. Suarez, disp. XIX, s. 3, n. 18; Lugo, disp. XX. s. 5, n. 168, et s. 6, n. 19 et sqq; Theologia nostra fundamentalis, n. 76.

per negationem, affirmationem contrariam,

210. Multiplici autem modo rejicitur revelatio sufficienter ad infidelitatem. Imprimis, doctrinam revelatam negando vel defendendo aliam cum ipsa incompossibilem. Deinde, ei dando assensum opinativum exclusive, scilicet cum aliquo

actu reflexo quo judicatur rem illam non esse dignam firmiore adhæsione ; secus tamen, si detur assensus opinativus præcisive : quod explicari potest exemplo charitatis, « quæ diligit Deum firmissime et super omnia ; et tamen si quis aliquando, beneficio aliquo accepto commotus, gratias Deo agat, eumque ut benefactorem diligat non amore perfectissimo et super omnia, sed amore minus perfecto, non peccat nisi positive excludat Deum a ratione ultimi finis et ei præferat aliquod aliud bonum. Sic etiam contingere potest quod aliquis credat res fidei propter motivum humanum vel rationem probabilem actu fidei humanæ vel opinionis, qui non sit assensus certus ; non tamen erit contra fidem, nisi homo dicat res illas non esse dignas majori fide, nec firmiori assensu, quod quidem jam esset contra fidem. » Lugo disp. XVII, s. 5, n. 96. Cfr. Suarez, l. c. s. 4, n. 16. Tertio deliberate dubitando, seu positive existimando objectum revelatum posse non esse verum ; Cfr. Lugo. disp. XVII, s. 5, n. 84 et 85 ; et Suarez, l. c. n. 10 ; Murray, de Ecclesia, disp. I, s. 11, n. 188. Quarto, quandoque etiam omittendo assensum, prout explicat Lugo, disp. XVIII, s. 5, n. 99 et sqq. : « Potest aliquis omittere actum fidei debitum vel propter difficultates et argumenta quæ intellectui occurrunt contra fidei veritatem, vel propter alia motiva diversa extrinseca ipsi fidei, v. g. ne cogatur vivere christiano modo, aut dedecus apud amicos subeat, etc. ; et utrumque potest contingere absque aliquo judicio erroneo contra fidem : si primo modo omittat, puto illud esse peccatum infidelitatis, et sufficiens ad expellendum habitum fidei... Si vero omissio actus fidei debiti sit propter alia motiva extrinseca, rursus distinguendum videtur. Nam si homo velit solum nunc omittere fidei assensum seu illum ad tempus differre propter aliquod commodum temporale, non videtur illud esse proprie peccatum infidelitatis, licet sit peccatum grave contra fidem, nec ideo homo ille dicetur infidelis, sed potius adhuc

assensum exclusive opinativum,

dubitationem,

absolutam assensus omissionem.

erit simpliciter fidelis, sicut antea, cum jam antea fidem amplexus fuerit, nec eam explicite vel implicite retractaverit.... Si tamen habebat voluntatem nunquam amplius credendi, quæ antea crediderat, vel quæ sibi sufficienter credenda proponuntur, magis dubitari potest an illud sit peccatum infidelitatis fidem expellens. Nam ex uno capite ille non videtur retractare fidem semel præstitam, sed solum velle abstinere ab ejus exercitio et usu ; nec deterretur a difficultatibus et argumentis contra fidei veritatem ; quare nec allicitur ab objecto contrario ob ejus apparentem veritatem, sed habet se sicut amicus qui non odit amicum, nec retractat benevolentiam priorem erga illum, sed abstinet ab usu et actibus amicitiæ, non quidem propter malum quod in amico cognoscat, vel quia eum expertus est minus bonum, sed propter alias rationes extrinsecas. Hic sane, licet in eo statu non se gerat ut amicus, non est tamen inimicus, nec videtur perdere amicitiam priorem in actu primo, licet amittat actum secundum et exercitium amicitiæ. Aliunde vero videtur ea voluntate constitui hominem in statu in quo habitus fidei otiosus futurus sit, cum stante ea voluntate nunquam poni possit actus fidei vel piæ affectionis. Quare, qui spontanee et contra præceptum grave fidei vult se in eo statu ponere, videtur jam, quantum est ex se, abjicere a se habitum, cujus usum omnino sibi interdicit ; atque ideo, si illum retineat, retinebit invitus, cum tamen Deus non conservet hæc sua dona in invitis, sicut nec ea largitur adultis, nisi volentibus. Cum enim hi habitus non sint boni nec utiles nisi in ordine ad actus eliciendos, qui non vult unquam actus elicere, videtur implicite nolle habitum retinere, sed eum potius a se abjicere. Cum ergo propter has rationes dixerimus supra, Deum auferre habitum fidei ab hæretico, idem dicendum videtur in casu nostro, in quo habitus manebit æque otiosus, et abjicitur ab homine, et hoc cum injuria et peccato gravi contra fidem.. Quæ rationes faciunt ut

magis propendeam in hanc secundam partem... Consequenter autem concedendum est, illud esse proprie peccatum infidelitatis, quia juxta Tridentinum, solo infidelitatis peccato fides expellitur. Infidelis enim est, qui fidem negat; non negat autem solum fidem, qui dicit illam esse falsam, sed etiam qui Deo loquenti non vult fidem adhibere... Qui ergo dicit se nunquam Deo crediturum, fidem ei negat absolute, et culpabiliter se ponit in eo statu semper negandi. Unde videtur etiam retractare fidem, non quidem negando veritatem fidei, sed per actum contrarium statui fidelitatis, hoc est, statui credendi quæ Deus dixerit. » Cfr. Murray, l. c. n. 190.

Ex parte objecti negati et crediti, distinguitur infidelitas

211. Si respiciatur objectum negatum et creditum, possunt distingui plures infidelitatis species, saltem physicæ et materiales, et consequenter diversæ constitui infidelium classes.

in naturalismum

212. Est imprimis infidelitas eorum qui vel *omnem omnino revelationem rejiciunt* tanquam impossibilem aut inutilem ac generi humano nullatenus necessariam, vel saltem rejiciunt revelationem veram, admissis aliis falsis; in primo casu infidelitas vocatur *naturalismus* vel *rationalismus;* cfr. Jungmann, de Vera Religione, n. 10 et sqq; in altero dicitur *paganismus;* de quo nomine cfr. Lugo, disp. XVIII, s. 3, n. 61; Ch. Lupus, de antiqua disciplina militiæ christianæ, c. 3; Etudes Religieuses, tom. 21, pag. 853 et 873.

ac paganismum,

213. Deinde est infidelitas eorum qui, *retenta revelatione primitiva, rejicerent mosaicam et christianam;* cfr. Lugo, d. XII, s. 3, n. 50; et opusc. anonymum de intolerantia catholica, Taurini 1868. Ubi tamen ad *factum* doctrina applicatur, duo sunt quæ, licet apprime diversa, videntur tamen a quibusdam confundi, nempe quod apud gentes plures veritates ex primitiva revelatione permanserint, et quod in his gentibus individui prædictas veritates crediderint propter auctoritatem veri Dei loquentis.

judaismum,

214. Accedit tertio infidelitas eorum qui *admittunt reve-*

lationem primitivam et mosaicam, sed rejiciunt christianam; hæc autem infidelitas vocatur *judaismus*.

hæresim late dictam,

215. Quarto venit infidelitas eorum qui *profitentur se admittere revelationem christianam sed aliquam ejus partem rejiciunt*. Hæc infidelitas in sensu generali vocatur *hæresis*, et existere potest in vario gradu. Primus gradus habetur, quando aliquis rejicit veritatem quam privata scientia cognoscit esse revelatam, quamvis nondum sit in diserta et clara Ecclesiæ prædicatione; cfr. Lugo, disp. XX, s. 2, n. 56, et Franzelin de Deo uno, pag. 16. Habetur secundus gradus, quando aliquis rejicit veritatem quam certo cognoscit revelatam et quæ de facto ab Ecclesia credenda proponitur, ignorat tamen auctoritatem Ecclesiæ infallibiliter docentis : cfr Lugo, l. c. n. 54; et supra, n. 129. Tertius gradus habetur, quando aliquis scienter resistit Ecclesiæ infallibiliter docenti. Jam vero in hoc tantum tertio casu adesse potest *hæresis stricte dicta*.

hæresim strictam.

216. Duo igitur ad *hæresim strictam* requiruntur : primum, ut sufficienter proposita fuerit Ecclesiæ auctoritas infallibilis in docendo ; alterum, ut sufficienter constet illud, quod negatur, ab Ecclesia definiri tanquam revelatum ; in his autem consistit illa *pertinacia* quam omnes dicunt necessariam ad hæresim. Ita Lugo, disp. XX, s. 5, n. 165 : « Ut aliquis sit hæreticus et pertinaciter se opponat auctoritati Ecclesiæ, sufficit quod ei taliter proponatur infallibilis auctoritas Ecclesiæ, et ejusdem Ecclesiæ definitio de contrario dogmate, ut, licet nolit utramque credere, possit tamen, et videat obligationem credendi, et quod non possit prudenter negari, nec de illis dubitari aut formidari ; nam hoc ipso si dissentiat, et neget Ecclesiam habere auctoritatem infallibilem in proponendo, vel etiamsi id concedat, neget tamen contrarium dogma esse ab Ecclesia propositum ; jam pertinaciter respuit Ecclesiæ doctrinam sibi sufficienter propositam. Nec aliter peccant de facto hæretici, qui certe de facto non cre-

dunt nostram Ecclesiam habere auctoritatem infallibilem in proponendo, vel contraria dogmata esse ab Ecclesia proposita. Quia tamen utrumque iis taliter proponitur, ut possint et debeant id credere, dicuntur et sunt hæretici pertinaces contra Ecclesiæ auctoritatem et doctrinam. Sicut etiam, ut aliquis peccato infidelitatis peccet graviter contra divinam veracitatem et auctoritatem, et pertinaciter ei resistat, non requiritur quod credat objectum illud esse a Deo revelatum ; alioquin fere nunquam dissentiret ; sed sufficit quod taliter ei proponatur revelatio divina, ut possit et debeat eam firmiter acceptare et credere. Similiter ergo, ut pertinaciter repugnet Ecclesiæ, quod ad hæresim requiritur, sufficit quod infallibilitas et propositio Ecclesiæ taliter ei proponatur, ut possit et debeat eam credere : nam eo ipso si dissentiat, pertinaciter rejicit auctoritatem et definitionem Ecclesiæ sibi sufficienter propositam, cum obligatione eam acceptandi et credendi. » Advertendum tamen est, hæresim existere posse, etiamsi veritas quæ expresse rejicitur, non sit revelata, quando nimirum simul de facto et æquivalenter rejicitur revelata et sufficienter proposita infallibilitas Ecclesiæ in hujus veritatis definitione. Cfr. Lugo, disp. XX, s. 5, n. 113 ; Viva, quæst. prod. de falsitate thesium confixarum, n. 18. Ex eodem principio infertur « posse etiam esse pertinacem et hæreticum qui nihil ab Ecclesia definitum et propositum scienter negat, sed nesciens quid Ecclesia in re tali definiverit, adhæret suo errori cum affectu non deserendi illam opinionem, etiamsi sciat Ecclesiam contrarium definivisse. Quod quidem verum est, etiamsi Ecclesia de facto in puncto illo nihil definivisset... Idem denique est de eo qui falso putat aliquid esse ab Ecclesia definitum... Ratio autem est clara, quia in eis omnibus casibus negatur aliquid, quod est vere contra fidem et Ecclesiæ doctrinam, nimirum infallibilitas Ecclesiæ in proponendo ; ergo non solum in existimatione

vel sub conditione, sed absolute et in re ipsa pertinaciter resistit auctoritati et doctrinæ Ecclesiæ in aliquo dogmate Ecclesiæ sufficienter proposito. » Lugo. l. c. n. 166. Porro, præter duas conditiones hucusque explicatas, ad hæresim omnino strictam, quæ nimirum ab Ecclesia puniri possit, necessarius est baptismus valide susceptus; cfr. Lugo, disp. XX, s. 4, n. 138 et sqq. Ex quibus intelligitur, quomodo loquendum sit de catechumenis, qui aliquod fidei dogma rejicerent; nempe,licet in foro Dei hæretici fiant,recedendo ab aliquo dogmate christianæ fidei ; non sunt tamen hæretici in foro Ecclesiæ, nec eos sub hæreticorum nomine Ecclesia intelligit, quoties pœnas aliquas contra hæreticos statuit. Sunt enim de corpore Christi, atque adeo ad Ecclesiam pertinent, solum interius et quoad fructus internos et invisibiles participandos, non vero exterius et quoad effectus visibiles, quia nondum signo visibili baptismi insigniti sunt, nec per visibilem januam sunt ingressi in corpus visibile Ecclesiæ; quare ab Ecclesia... judicari non possunt. Et hic est sensus et praxis ipsius Ecclesiæ, quæ nunquam se ingerit in hæc judicia, sed ea relinquit invisibili judici. » Lugo, l. c. n. 139. Idem consequenter dicendum videtur de iis qui pertinent ad illas sectas christianas apud quas vel nullus omnino vel non verus baptismus confertur.

217. Tandem a præcedentibus infidelitatis speciebus, illa omnino differt qua quis, retenta fide catholica, rejiceret revelationem privatam sufficienter sibi propositam.

Prædicta distinctio in paganismum, judaismum et hæresim moraliter intelligenda.

218. Manifesto autem ex dictis patet, communiter receptam distinctionem infidelitatis in *Judaismum*, *Paganismum* et *Hæresim*, esse moraliter intelligendam, prout ulterius explicat Lugo, disp. XVIII, s. 3, n. 68 : « Diximus enim paganum v. g. dici, qui nec ritum judaicum nec christianum profitetur : potest autem contingere quod aliquis negans fidem christianam, profiteatur aliquid ex ritu judaico, sed ita parum

ut moraliter id non sufficiat ad hoc ut dicatur profiteri judaismum : sic enim Mahometani circumcisionem usurpant, et abstinent a carnibus porcinis, non tamen eorum infidelitas dicitur judaismus, sed paganismus ; quia illa pauca non sufficiunt, ut dicantur moraliter profiteri sectam Judæorum ; sicut etiam iidem Mahometani fatentur Christum fuisse hominem sanctum et prophetam, quod quidem Judæi negant et Christiani fatentur ; id tamen non sufficit ut dicantur hæretici, quia non sufficit ut dicantur profiteri religionem Christianam. Cum enim judaismus, v. g. contineat plurimos ritus, et confiteatur plures articulos, denominatio Judæi non debet sumi ex uno vel alio ritu judaico, sed ex majori parte, et ex substantialibus illius religionis. Si autem aliqua secta introduceretur magis a paganismo distans quam Mahometani, et plura ex judaismo accipiens, tunc arbitrio prudentis judicandum erit an pertineat ad judaismum vel paganismum, et ideo diximus aliquid moralitalis debere misceri ad condistinguendas has tres infidelitates, et collocandas singulas infidelium sectas in aliqua ex his tribus classibus infidelium. Quod idem necessarium esse poterit ad discernendum an secta aliqua pertineat ad hæresim, an potius ad judaismum vel paganismum ; poterit enim miscere adeo pauca ex christianismo et adeo multa ex judaismo, ut potius pertineat ad judaismum quam ad hæresim, vel e contra ; solum posset esse aliqua difficultas, si aliqua secta ex æquo misceret ex judaismo et christianismo, vel ex judaismo et paganismo, ad quam ex his tribus classibus reducenda esset: sed hic casus nec unquam positus est, nec moraliter videtur ponendus ; et ad congruitatem hujus divisionis in prædictas tres classes, satis est quod apta sit ad condistinguendas infidelitates quæ de facto sunt, et quæ moraliter occurrere possunt ; cum tota hæc divisio magis sit doctrinalis quam metaphysica, et potissimum fuerit inducta ad distinguendas leges contra infideles

latas, et instructiones necessarias ad eos convincendos vel corrigendos. »

Ex parte personæ sumitur distinctio inter infidelitatem simplicem et apostasiam.

219. Ex parte autem personæ sumitur distinctio inter *infidelitatem simplicem* et *apostasiam.* Infidelitas simplex reperitur in eo qui nunquam fidem habuit; apostasia vero est recessus a fide suscepta. Cfr. Suarez, disp. XVI, s. 5, n. 1. Et quidem ad apostasiam non requiritur recessus a fide totalis, sed sufficit recessus partialis, « licet per antonomasiam et in sensu magis stricto solus recessus negans omnino Christum, appellari interdum soleat apostasia. » Lugo, disp. XX, s. 4, n. 96. Præterea ad apostasiam non requiritur terminus superstitionis *ad quem* accedatur, sed sufficit terminus *a quo* seu recessus a fide, adeoque apostata est non solum qui e catholico fit mahumetanus, sed etiam qui e catholico fit rationalista. Demum apostasia absque dubio reperitur in eo qui fidem perfecte suscepit, nempe per *assensum internum* et *baptismum*; — de eo autem qui fidem suscepit per *solum assensum*, non vero per baptismum, hæc scribit Lugo : « Certum videtur adesse in catechumeno recedente a fide suscepta circumstantiam aliquam, quæ non est in infidelitate alterius, qui fidem nunquam acceptavit...; erit ergo quæstio de vocibus, an id sufficiat ut appelletur apostata; quare possumus etiam distinguere strictam significationem illius vocis, quæ videtur applicari iis solis, qui professionem quasi emiserunt in fide christiana, qualis professio in solo baptismo fit, et in hoc sensu catechumenus non dicitur apostata, si a fide recedat, quia videtur adhuc esse quasi novitius in probatione ad christianam religionem... Cæterum si hoc ipsum nomen latius usurpetur, poterit illi tribui et quidem non improprie ; » l. c. n. 97 ;— e contra de illo qui fidem suscepit per *solum baptismum*, scribit hujusmodi susceptionem sufficere, ut dicatur apostata et fidei desertor in ordine ad Ecclesiam, « quia deserit fidem quam implicite per baptismum

professus est, et ad cujus retentionem, manet Ecclesiæ obligatus; quare omnes ecclesiasticas apostatæ pœnas incurrit; non tamen contrahit malitiam illam fidei antea mente et corde susceptæ desertæ, atque ideo non est apostata ita plene, sicut qui fidem antea mente et corde suscepisset. Hoc itaque ad rem ipsam pertinet; quoad modum autem loquendi fatemur, invaluisse ut sufficiat baptismus susceptus, ad nomen apostatæ participandum, quia Ecclesia de occultis non judicat. » Ibid. n. 100.

Peccatum infidelitatis cæteris gravius, uno excepto Dei odio

220. Peccatum infidelitatis est unum ex gravissimis, ut constat ex sæpius jam dictis, et facile colligi potest ex nocumentis quæ affert; nam radicitus evellit justitiam, hominemque constituit in eo statu in quo nihil Deo placitum efficere potest, ac simul ægre omnino curatur. Cfr. Suarez, disp. XVI, s. 2; Lugo, disp. XVIII, s. 2. Imo per se gravius est omnibus aliis peccatis, uno excepto Dei odio; cfr. Lugo, l. c. et præsertim S. Thomas, 2, 2, q. X, a. 3, q. XX, a. 3, q. XXXIV, a. 2.

diversos malitiæ gradus habet,

221. In ipsa autem infidelitate sunt diversi gradus malitiæ theologice distincti, tum ratione *extensionis*, prout plures vel pauciores articuli rejiciuntur, tum ratione *intensitatis*, prout dicti articuli rejiciuntur magis vel minus deliberate et cum majori vel minori cognitione; cfr. S. Thomas, 2, 2, q. X; a. 6; Suarez, disp. XVI, s. 4, n. 14; Lugo, disp. XVIII, s. 3, n. 85, ubi comparatio instituitur inter paganismum, judaismum et hæresim.

sed est unius speciei moralis.

222. Cæterum infidelitas, juxta communiorem theologorum sententiam, est unius et ejusdem speciei moralis infimæ, licet aliæ malitiæ diversæ ipsi non raro accedant, præsertim superstitionis et blasphemiæ. Ita Lugo, de pœn. disp. XVI, s. 5, n. 291 et sqq. « Existimo declarandum esse (in confessione) paganismum, judaismum et hæresim; imo idem judico de secta hæreticorum, quam in particulari aliquis

amplexus est. » Rationem autem reddit « quia, quamvis diversæ illæ sectæ non differant specie, quatenus præcise opponuntur contra fidem, et negant divinam auctoritatem et Dei testimonium, differunt tamen quatenus opponuntur religioni, cum singulæ sectæ includant aliquas cæremonias vel ritus continentes malitiam specie diversam ; v. g. judaismus continet circumcisionem, quæ habet malitiam superstitionis ; paganismus includit idololatriam, quæ habet malitiam specie diversam ; calvinismus habet usum sacramenti invalidi in Eucharistia, et sic de aliis ; cum ergo ille, qui amplectitur aliquam sectam, amplectatur ejus ritus et mores, eo ipso habet voluntatem et propositum faciendi illa peccata specie diversa, quæ in exercitio illius sectæ includuntur ; unde licet lapsus in alias sectas non differant specie inter se ex parte termini *a quo*, differunt tamen ex parte termini *ad quem*, quatenus per singulas acceditur ad peccata specie diversa... Hinc infero... non oportere explicare errores speculativos contra fidem, aut eorum diversitatem : ut si quis nullam sectam amplectens erraret culpabiliter circa Trinitatem vel circa Incarnationem, sufficeret dicere : erravi culpabiliter et advertenter circa mysteria nostræ fidei ; quia omnia illa peccata, seclusis aliis extrinsecis, quæ dicebamus, sunt ejusdem speciei, cum omnia opponantur eidem obligationi credendi, seu non negandi doctrinam divinam sufficienter propositam. » Cfr. de fide, disp. XVIII, s. 3, n. 89 et sqq.

ARTICULUS II.

DE PARTIALI FIDEI INTERNÆ DEFECTU.

Contra fidem interius retentam peccatur

223. Varia contra fidem interius retentam possunt esse peccata, quæ idcirco apte vocantur peccata *fidelium*, non solum in sensu diviso, ut ita dicam, sed etiam in sensu composito. Cfr. Suarez, disp XV. Reducuntur autem ad duplicem classem, et distinguuntur in duplicem speciem moralem

quarum una peccata *omissionis*, altera peccata *commissionis* comprehendit.

per omissionem, non eliciendo actum fidei

224. Et quidem imprimis per *omissionem* peccatur, *non eliciendo tempore debito actum fidei præceptum*. Cfr. supra, n. 175, 176, 186, 187. « Negari non potest quin hoc sit speciale peccatum omissionis, contrarium fidei, et ex genere suo mortale. Probatur, quia certum est præceptum fidei obligare ad exercitium sui actus, ut supra visum est. Certum est etiam posse hominem voluntarie non exercere talem actum tempore debito, quia hoc ex libertate hominis pendet; ergo tunc illa omissio erit speciale peccatum contra virtutem fidei, quia est transgressio specialis præcepti ejus, et privatio moralis honesti actus tunc debiti. » Suarez, l. c. s. 1, n. 2.

et veritates fidei culpabiliter ignorando;

225. Per *omissionem* etiam peccatur *ignorando culpabiliter ea quorum requiritur fides explicita*. Cfr. supra. n. 178-182. Ita rursus Suarez: « Hæc est assertio communis... Probatur, quia contra omne præceptum affirmativum peccatur voluntarie omittendo actum ejus; sed præceptum fidei affirmativum vere obligat ad sciendam materiam fidei, cui scientiæ per modum omissionis opponitur ignorantia, quam vocant negationis seu privationis; ergo talis ignorantia est speciale peccatum omissionis contra præceptum fidei; » l. c. n. 3 et sqq., ubi optime notat hoc peccatum consistere non in ignorantia habituali, sed in ignorantia actuali « quæ vocari solet inscitia, quia est carentia illorum actuum intellectus, qui ad scientiam seu cognitionem fidei necessarii sunt. » Cæterum dari posse ignorantiam rerum fidei invincibilem, adeoque inculpabilem, apud omnes constat: cfr. Suarez, l. c. n. 9 et sqq. Lugo, disp. XIX, s. 1.

per commissionem vero peccatur

226. Deinde quod pertinet ad peccata *commissionis*, ex duplici capite fieri potest ut ea, licet gravia sint et contra fidem, ad infidelitatem tamen non pertingant, nec habitum fidei excludant, nimirum ex parte *subjecti* vel ex parte *objecti*.

veritatem revelatam rejiciendo culpabiliter, licet non scienter,

227. *Qui enim verbum Dei rejicit culpabiliter, sed non scienter, graviter sane contra fidem peccat, non tamen infidelis est.* Cfr. supra n. 209, et Lugo, de pœn. disp. XVI, n. 193 et sqq., ubi de malitia specifica hujus peccati ita disserit : «Hoc peccatum, ex ignorantia culpabili commissum, licet participet eamdem specie malitiam, non tamen habet denominationem infidelitatis simpliciter et proprie. Sicut ille etiam qui culpabiliter exponit se morali periculo incidendi in hæresim, contrahit malitiam hæresis,.. et tamen nondum est hæreticus, nec perdidit habitum fidei infusæ : quia denominatio hæretici et infidelis, ultra malitiam specificam, requirit alias conditiones, quæ, licet non afferant differentiam essentialem, sunt tamen necessariæ ad tale peccatum in individuo. » Unde concludit « circumstantiam ignorantiæ culpabilis aut scientiæ, non afferre differentiam specificam, nec debere explicari nisi in ordine ad censuras vel reservationem, ut contingit in peccato hæresis. » Eodem modo disp. XX de Fide, s. 6, n. 182: « Est quidem peccatum illud contra fidem, non est tamen propria infidelitas... Aliqui dicunt illud peccatum pertinere reductive et incomplete ad hæresim, contra quos invehitur Lorca,... quia peccatum illud est completum in se, cum sit mortale et gravissimum; debet ergo esse complete et directe in aliqua specie, et sub aliquo genere. Hæc tamen erit quæstio de vocibus : nam reipsa fatemur peccatum illud esse individuum completum alicujus speciei, quæ species appellari posset peccatum contra fidem catholicam, vel, si velis, contra fidem et auctoritatem Ecclesiæ, retenta professione christianæ religionis : sub qua specie sunt peccata scienter commissa, quæ appellantur hæreses, et ignoranter commissa, quæ non appellantur hæreses, licet non differant specie ab hæresi. Quando autem dicitur pertinere reductive ad hæresim, non est sensus quod non sint directe et proprie sub aliqua specie, nec etiam quod spectent ad illam seriem peculia-

rem individuorum, quæ appellantur hæreses; sed solum significatur quod pertineant ad illam speciem, sub qua continentur hæreses, licet non habeant idem nomen, nec eamdem gravitatem, aut eosdem effectus morales. »

vel culpabiliter errando circa doctrinam cum revelatione connexam,

228. *Verum non solum peccatur quando rejicitur verbum Dei, sed etiam quando rejicitur illud quod est cum verbo Dei connexum ac constituit veritatem catholicam, cui assensus religiosus vel theologicus debetur.* Cfr. supra, n. 72-73. Ita conc. Vaticanum, const. *Dei Filius*, in fine: « Quoniam vero satis non est, hæreticam pravitatem devitare, nisi ii quoque errores diligenter fugiantur, qui ad illam plus minusve accedunt, omnes officii monemus, servandi etiam constitutiones et decreta, quibus pravæ ejusmodi opiniones, quæ isthic diserte non enumerantur, ab hac Sancta Sede proscriptæ et prohibitæ sunt. » Præiverat Pius IX in epist. ad. Arch. Monach. 21 Dec. 1863 : « Cum agatur de illa subjectione, qua ex conscientia ii omnes catholici obstringuntur qui in contemplatrices scientias incumbunt, ut novas suis scriptis Ecclesiæ afferant utilitates, idcirco ejusdem conventus viri agnoscere debent, sapientibus catholicis haud satis esse, ut præfata dogmata recipiant ac venerentur, verum etiam opus esse ut se subjiciant tum decisionibus, quæ ad doctrinam pertinentes a Pontificiis Congregationibus proferuntur, tum iis doctrinæ capitibus, quæ communi et constanti catholicorum consensu retinentur ut theologicæ veritates et conclusiones ita certæ, ut opiniones eisdem doctrinæ capitibus adversæ, quamquam hæreticæ dici nequeant, tamen aliam theologicam merentur censuram. »

nempe sustinendo propositiones hæresi proximas,

229. Sic ergo *hæresi proximus* est ille qui rejicit caput aliquod « doctrinæ ex universali consensione et indubitanter tenendæ ut veræ, quæ tamen non simpliciter et certe tanquam de fide proponitur. » Cfr. Franzelin, de Trad. pag. 124. Proxima enim hæresi dicitur propositio opposita doctrinæ « quæ licet non omnino certo, est tamen probabiliter et ut plerisque

videtur de fide ; nam sicut illa propositio est fere seu proxime de fide, quæ plerisque apparet de fide, ita illa erit fere vel proxime hæresis, quæ plerisque apparet hæresis. Idem est de propositione illa quæ opponitur non certo, sed plurium judicio, propositioni indubitatæ de fide ; nam sicut accedit ad oppositionem manifestam cum fide, ita accedit ad hæresim. Quare idem etiam dicendum erit de eo qui negat conclusionem deductam ex duabus præmissis de fide, sed per consequentiam non omnino claram et certam, vel deductam per certam consequentiam ex duplici præmissa, quæ non sit utraque omnino indubitanter sed plurium judicio de fide. Sicut enim diximus propositionem evidenter deductam ex duabus præmissis de fide, non posse sine hæresi negari, ita conclusio proxime ad hunc gradum accedens, sed deficiens ex defectu claritatis consequentiæ, vel certitudinis quod utraque præmissa sit de fide, accedit proxime, ita ut negans illam accedat proxime ad hæresim. » Lugo, disp. XX, s. 3, n. 79.

erroneas, 230. Item in *errore peccaminoso versatur* qui scienter rejicit conclusionem theologicam, deductam ex una quidem propositione revelata et ex altera aliunde vel theologice vel lumine rationis certa. « *Error* namque non opponitur immediate, sed solum mediate doctrinæ fidei, quatenus negat immediate propositionem, quæ non est de fide, sed conclusio solum theologica, deducta evidenter ex una de fide, et altera evidenti lumine naturæ... Cum enim hæ propositiones mereantur censuram aliquam theologicam, nec sint hæreticæ, cum non negent formaliter aliquid revelatum, debent habere aliquam aliam censuram diversam ab hæresi, nec potest alia aptior inveniri, quæ eas ab hæresi distinguat : quamdiu enim objectum contrarium non est in se revelatum, sed solum ex revelatis per discursum infertur, non potest, qui illud negat, esse hæreticus, nisi neget etiam præmissam de fide, ex qua infertur. Dicitur ergo solum errare gravissime, qui negat id

ex quo negato convinci potest, adhibito alio principio naturali evidenti, ad negandum objectum fidei. » Lugo, l. c. n. 79.

231. Ex dictis intelligitur quis dicendus sit *proximus errori*. « Tripliciter videtur posse reperiri propositio errori proxima. Primo, quando negat conclusionem quæ evidenter sequitur ex una præmissa evidenti, et altera quam plerique, licet non omnes, judicant esse de fide. Secundo, quando conclusio negata infertur ex una indubitanter revelata et altera evidenti, per illationem quam non omnes sed plerique judicant evidentem. Tertium modum addere possumus, quando negat conclusionem, quæ evidenter infertur ex una præmissa indubitanter revelata, et altera, quam plerique, licet non omnes, judicant evidentem. Non dico ex una præmissa revelata et altera probabili ; nam conclusio ex illis illata, etiam per evidentem consequentiam, non appellatur conclusio theologica... Omnes enim eam solam dicunt conclusionem theologicam, quæ ex una saltem revelata et altera evidenti infertur evidenter. Quando ergo constat unam præmissam esse solam probabilem, conclusio non est in ullius sententia, theologica ; atque ideo propositio illam negans, neque error, nec proxima errori. » Lugo, l. c. n. 86. errori proximas,

232. *Temerarius* est ille qui scienter rejicit doctrinam aliquam theologicam non probabilem tantum, sed communem,—vel improbat Ecclesiæ instituta ac consuetudines,—vel magisterio Ecclesiæ aliquam sententiam ex potestate universalis providentiæ proscribenti vel commendanti submissionem denegat. Ita Lugo, l. c. n. 96 : « Propositio temeraria apud censores theologos est, quæ communi Patrum sensui opponitur, aut quæ contra Doctores theologos sentit sine sufficienti fundamento, quale esset, si magni ponderis ratio, vel gravis doctoris auctoritas, qui rem bene discusserit, pro ea etiam parte reperiretur. Ad hoc autem ut propositio hanc censuram mereatur, debet esse in materia proprie theologica... Talis temerarias.

crit si aliquis dicat aliquem alium sanctum, præter Beatissimam Virginem, conceptum fuisse sine peccato originali, quamvis hæc graviorem censuram fortasse mereretur; vel eamdem Beatissimam Virginem non esse assumptam in corpore et anima in cœlum; vel etiam qui negat historias pias communiter ab Ecclesia receptas et propositas, v. g. quod Christus S. Thomæ Aquinati dixerit, *Bene scripsisti de me Thoma*, et his similia... Temeritas apud theologos significat imprudentiam in opponendo se communi aliorum sensui sine fundamento in materia theologica... Ultra hoc addendum est ...quod propositio illa temeraria (qua talis) in materia theologica peccat solum in hoc, et non sit etiam contra fidem directe vel indirecte, alioquin non diceretur temeraria, sed hæretica, erronea, etc... Quando ergo dicitur temeraria, eo ipso significatur quod per illam non negatur objectum fidei directe vel indirecte..... sed solum quod in rebus non revelatis, et tamen ad theologiam vel pietatem spectantibus, opponatur sine fundamento communi doctorum et fidelium sensui. Dicitur autem merito hæc etiam censura theologica, quia licet propositio mere temeraria non neget fidem, nec conclusionem theologicam, negat tamen temere et imprudenter aliquid ad theologiam spectans, et ad doctrinam communem circa res quæ spectant ad pietatem et salutem; quam doctrinam et communem fidelium sensum, multum refert indemnes servare, et coercere effrænatam pro libito opinandi libidinem, et temere asserendi quidquid cuilibet arridet, ex quo paulatim gradus fit ad audendum etiam circa alia, quæ propius ad fidem accedunt : sunt enim hæc omnia quasi antemuralia, quæ doctrinam fidei muniunt, quibus ablatis, facilior patet aditus ad fidem ipsam vel alia dogmata fidei, proxime oppugnanda : quare propter connexionem aliquam, licet non necessariam nec evidentem, quam cum fide habent, exigunt peculiarem reverentiam, ne facile et temere contemnantur. »

Cfr. etiam Antonius de Panormo, in Scrutinio Doct. c. VII, a. 5, n. 7; Schrader, de Theologia generatim, n. 74; Franzelin, op. cit. pag. 125, coll. pag. 113. Præterea propositio potest esse temeraria *modaliter*, eo quod inique damnat doctrinam probabilem vel probabiliorem, sicut temeraria declarata est propositio 26ª. Pistoriensium, qua explodunt doctrinam de *limbo puerorum* velut fabulam pelagianam. » Franzelin, l. c.

233. Nullius per se culpæ reus videtur qui sententiam defendit ab aliis *improbabilem* dictam. Ita Lugo, l. c. n. 104 : « Solet propositio aliqua judicari improbabilis ; quam non esse censuram theologicam dicit Hurtado..; sed plerumque pertinet ad judicium inquisitorum fidei, quatenus si est in materia morali, potest præjudicium afferre bonis moribus, cum homines indocti, qui non possunt discernere nec judicare de vera probabilitate, facile arripiunt laxiores opiniones, quas ab hominibus doctis propositas et approbatas inveniunt. Si autem materia est mere speculativa, et ex qua nullum fidei præjudicium mediate vel immediate imminet, non ita stricte cum illis agi solet, sed relinquitur examini et disputationi doctorum. Præsertim, cum non raro videamus fieri quod opinio aliqua, quæ hoc tempore non apparet probabilis, postea, excusso timore et accedentibus novis auctoribus, probabilis evadat. Sicut e contra, complures opiniones, quæ apud antiquos scriptores probabiles erant, nunc jam re melius examinata, et sine auctore desertæ, antiquatæ et improbabiles reputentur. »

234. Diximus hæresi proximum, temerarium etc. esse qui *scienter* rejicit doctrinam theologicam cum fide connexam. Sicut enim non vocatur hæreticus simpliciter et absolute qui ex ignorantia errat in fide, sic nec vocari potest simpliciter temerarius, etc. qui ex ignorantia assentitur propositioni temerariæ, etc.; sed ad hos gradus requiritur cum

proportione advertentia ad oppositionem cum doctrina Patrum vel cum conclusione theologica. Cfr. Lugo, l. c. n. 131. Cæterum si ignorantia vel inadvertentia sit vincibilis, non vitatur omnis culpa.

Ex defectu convenientis expressionis peccatur

235. Non defectus assensus debiti, sed defectus potius *convenientis expressionis* significatur per illas notas quibus propositiones quædam dicuntur *hæresim vel errorem sapientes, de hæresi vel errore suspectæ, male sonantes, piarum aurium offensivæ.*

emittendo propositiones hæresim sapientes vel de hæresi suspectas,

236. Et quidem propositionem quæ hæresim *sapit,* nec non eam quæ de hæresi *suspecta* est, sic describit Lugo : «Utraque quidem dat ansam timendi ne lateat hæresis, neutra tamen dat fundamentum sufficiens alicui judicandi absolute esse hæresim vel errorem, dat tamen fundamentum sufficiens ad suspicandum vel timendum quod auctor illius propositionis habeat apud se hæresim aliquam vel errorem, ex quibus illa propositio oriatur. Hoc tamen fundamentum non consistit in indivisibili, sed habet latitudinem secundum majus et minus, et ideo dixi posse secundum illum excessum distingui duos gradus; aliquando enim fundamentum, sive propter verba, sive propter materiam, sive propter locum, tempus, personam loquentis, et alias circumstantias, tale erit ut probabiliter possit judicari aliquam aliam hæresim esse in auctore, ex qua hæc alia assertio procedat; aliquando vero fundamentum non erit tantum, sed solum sufficiet ad id suspicandum. In primo casu poterit propositio appellari sapiens hæresim... In secundo autem casu poterit appellari suspecta. » L. c. n. 88.

237. « Sicut datur propositio sapiens hæresim vel suspecta de hæresi, quæ fundamentum præstat majus vel minus judicandi vel suspicandi, quod auctor habeat in corde aliquam hæresim, licet propositio non sit hæretica ; sic datur propositio quæ sapiat errorem vel sit suspecta de errore, quatenus cum

proportione præstat fundamentum majus vel minus judicandi vel suspicandi, quod auctor in corde habeat aliquem errorem, nempe aliquod dogma contrarium conclusioni theologicæ. » Ibid. n. 90.

238. Propositio *male sonans*, ut talis, ea dicitur qua abusu verborum peccatur et res ad fidem moresque spectantes præter et contra receptum loquendi morem proferuntur. Cfr. Lugo, l. c. n. 92, ubi exemplum ponit, si quis diceret in Deo tres esse essentias relativas, quum deberet dicere tres esse subsistentias relativas, quia nomen essentiæ reservatum est a doctoribus catholicis ad id solum quod commune est omnibus personis. male sonantes,

239. Tandem *piarum aurium offensiva* vocatur propositio « quæ usurpat voces in sola usitata et propria earum significatione, et nihil falsum dicit, nec vocibus habentibus aliam significationem falsam, sed tamen dicit id vel tali modo, ut fidelium pietatem et reverentiam, si non extinguat, ad minus ex se tepidiorem reddat... Dixi autem hanc culpam consistere vel in eo quod dicitur, vel in modo quo dicitur. Utrumque enim offendere potest pias aures. Aliquando quidem provenit hæc offensio ex re ipsa, quæ, licet sit in se vera, non debebat tamen dici, quia propter fragilitatem et consuetudinem humanam, non audiuntur sine offensione omnia, quæ in rigore vera sunt. Exemplum esse potest,.. si aliquis non sine gravi fundamento putans debere ex Breviario expungi narrationem aliquam vel circumstantiam historiæ, tanquam minus veram, diceret: Ecclesia nobis fabulas et apocrypha narrat; vel si indulgentias aliquas sine sufficienti causa concessas sciens, diceret eas indulgentias ridiculas esse, et fabulas aniles pueris solis proponendas. Hæc et similia offendunt merito pias aures, et pietatem ac reverentiam minuunt. Aliquando vero peccatur in modo solum et vocibus indecentibus, quibus res alioquin veræ enarrantur, ut in exemplo de Christi membris sanctissimis... » piarum aurium offensivas;

quomodo hoc peccatum possit esse contra fidem.

240. Jam facile intelligi potest quomodo peccet qui hujusmodi propositiones hæresim vel errorem sapientes, suspectas, malesonantes, piarum aurium offensivas profert. « Nam si proferens propositionem sapientem hæresim vel suspectam de hæresi, vel errore, hæresim vel errorem illum in corde teneat, jam peccat contra fidem ; si vero nihil tale habeat in corde, non peccat contra studiositatem nec contra temperantiam debitam in sciendo, sed potius contra temperantiam et modestiam debitam in loquendo, quam unusquisque debet observare, ut non solum a falsis abstineat, sed etiam a veri prolatione, quæ vel propter rem ipsam, vel modum, et verba quibus utimur, offendere possit, vel dare ansam suspicandi sensum aliquem falsum et perniciosum in his materiis. Malitia ergo harum assertionum, quando proferens falsum sensum non significat, non est contra studiositatem, sed contra alias virtutes. Et quidem quando verba propter malum sonum, vel abusum offendunt, vel dubium aut suspicionem ingerunt de falso sensu, aut falsitate saltem latente in proferente circa fidem, vel circa aliquid quod connexionem habet cum fide, qualis est conclusio theologica, vel aliquid aliud, quod oportet firmum esse, ne fides ipsa vacillet ; hæc peccata sunt contra ipsam virtutem fidei. Nam sicut diximus,..confessionen externam fidei esse actum proprium ipsius veritatis fidei, quatenus imperatur ab eodem habitu piæ affectionis, quo volumus cultum divinæ veracitatis, atque adeo negatio externa fidei opponitur etiam virtuti fidei, quæ eam prohibet ut repugnantem cultui externo veracitatis divinæ ; sic dicendum est, ab eadem fidei virtute, et ab eodem habitu piæ affectionis prohiberi omnes assertiones externas, quæ licet non ita immediate et clare, mediate saltem vel dubie præferunt speciem aliquam vel suspicionem contra fidem : hæc enim omnia derogant cultui debito divinæ veracitati, quam ob ejus infinitam excellentiam ita debemus colere, ut nec

mediate, nec per consequentiam, nec alio modo apparere possit, quod eam negamus; sed ita potius observare debemus verba nostra ut sinceram omnino fidem ostendant. Unde merito hæc etiam peccata ab iisdem fidei inquisitoribus puniuntur, utpote quæ eidem fidei virtuti adversantur. »

Ratione pravi effectus peccatur

241. Demum non exprimitur directe relatio ad veritatem et revelationem, sed *pravus aliquis influxus* significatur per illas notas quibus propositiones dicuntur *scandalosæ*, *contumeliosæ*, *blasphemæ*, *impiæ*, *schismaticæ*, *seditiosæ*, etc.

emittendo propositiones scandalosas,

242. Propositio *scandalosa* ea est quæ præbet occasionem ruinæ spiritualis, sive id contingat ex parte rei quæ asseritur sive ex parte modi quo enuntiatur. Potest autem hujusmodi propositio esse vel simul hæretica, erronea, etc. vel simpliciter scandalosa, prout fuit, ait M. Canus, enumeratio incommodorum auricularis confessionis, in qua enumeratione tanto cum Germaniæ scandalo Erasmus versatus est; tales etiam sunt illæ commentitiæ fabulæ aut narrationes etiam veræ quibus monachorum occulta vitia vel finguntur vel deteguntur : id quod absque dubio sine imbecillium offendiculo fieri non potest. « Unde liquet, eodem referendas esse fabulas papales, quas ab aliquot annis in Germania vulgatas vidimus, in quibus plura, licet essent vera, sine infirmorum periculo non poterant legi, nec lecta sunt; tum colligitur quam sit illud parum prudens et sanum, quod haud raro universe infiniteque proclamatum auditur et legitur, cum de personarum maxime sacrarum defectibus vitiisque agitur nihil desideratius ac melius esse posse quam ut juris publici fiant; quodque mireris amplius, est, quod istud passim proclametur ab iis, qui, cum de veris revelatis catholicisve sanciendis promulgandisque agitur, a periculis undique et scandalis timent. » Schrader, de Theologia generatim, n. 77, nota. Cfr. Lugo, l. c. n. 99. Ad propositiones scandalosas reducuntur *seductivæ*, *captiosæ*, *perniciosæ in praxi*, etc.

contumeliosas, 243. Propositio *contumeliosa* ea dicitur quæ generice est contra honorem alteri convenientem et debitum. « Est autem talis propositio vel Deo contumeliosa sanctisque ejus, quorum inhonoratio in Deum recidit, vel contumeliosa est hominibus Si obtinet primum, habetur vel propositio quæ revocatur ad eam quam specifice *blasphemam* appellant; eaque rursum aut simul est hæreticalis, ut aiunt, aut blasphema simpliciter, quatenus quæ contumeliose in Deum sanctosve ejus dicuntur, aut fidei sunt contraria aut non sunt; — vel propositio habetur quæ præfert *impietatem*, cujusmodi dici solet, quæ contra debitum Deo sanctisque cultum ac venerationem dirigitur. Si vero alterum obtineat, sive homo singularis sit sive hominum cœtus vel societas, propositio habetur *injuriosa*, *detractoria*, *satyrica*, etc. Schrader, l. c. et Lugo, l. c. n. 101, 102.

schismaticas : 244. *Schismatica* propositio ea dicitur quæ unitati Ecclesiæ præjudicium affert; est autem vel simul hæretica, ut sæpe contingit, vel schismatica simpliciter, quatenus rebellionem contra auctoritatem potestatemve ecclesiasticam aut separationem ab Ecclesiæ corpore aliorumve membrorum communione dicit. A qua porro censura separari non debet ea qua propositio vocatur *seditiosa*, retrahens nimirum ab obedientia auctoritati superiori debita, vel ad tumultus in populo et christiana republica excitandos comparata. Schrader, op. cit. n. 78.

quale sit hoc peccatum. 245. Hinc patet quale peccatum committatur ab iis qui propositiones emittunt scandalosas etc. Sic Lugo, l. c. n. 135 : « Quando assertiones non censurantur propter oppositionem vel suspicionem oppositionis cum fide, sed propter alias rationes, tunc malitia non erit contra virtutem fidei, sed contra alias virtutes; v. g. propositio scandalosa potest esse extra doctrinam fidei... quatenus præbet occasionem peccandi in aliis materiis, atque adeo malitia erit diversa in specie, pro diversitate virtutis contra quam peccandi occasionem et

scandalum præbet doctrina illa..... Blasphema vero propositio, quæ errorem vel falsitatem non continet, continebit solam malitiam contra religionem vel contra duliam, cum ejus malitia desumatur ex irreverentia contra Deum vel res sacras aut sanctos, etc. »

Determinatio notarum authentica est vel scientifica,

246. Prædictarum notarum determinatio fieri potest vel *auctoritative et authentice* a pastoribus Ecclesiæ, vel *doctrinaliter* tantum et *scientifice* a theologis; cfr. Schrader, op. cit. n. 79; Franzelin, de Trad. pag. 123, nota.

categorica

247. Modus autem eas determinandi duplex est. Aliquando enim indicantur *specifice*, *præcise* et *categorice;* cum scilicet singulis propositionibus singulæ suæ apponuntur qualificationes, ut fit in conciliis per canones anathemate sancitos, factumque est plus semel a Romanis Pontificibus, et etiam a theologis : cfr. propositiones Jansenii ab Innocentio X damnatæ, 31 Maii 1653, — propositiones duæ ab Alexandro VIII, 24 Aug. 1690 proscriptæ, — propositiones synodi Pistoriensis, 28 Aug. 1794, a Pio VI damnatæ;— quibus addi possunt propositiones 45 ab Alexandro VII, 24 Sept. 1665 et 18 Mart. 1666, et propositiones 65 ab Innocentio XI, 2 Mart. 1679 proscriptæ, quarum illæ dicuntur omnes ut minimum scandalosæ, istæ vero præterea in praxi perniciosæ. Aliquando autem notæ indicantur *cumulative* seu *in globo*, cum nempe pluribus præstitutis propositionibus plures subjiciuntur notæ, quibus illæ indiscriminatim affici ita perhibentur ut nulla sit propositio cui aliqua ex enumeratis notis non conveniat, et nulla posita sit nota quæ ad aliquam ex his propositionibus non pertineat; unde omnes tandem et singulæ propositiones generatim condemnatæ intelliguntur, adeoque vitandæ, quæcumque censura sit qua reæ habentur : cfr. errores Joannis Wicleff et Joannis Hus a concilio Constantiensi, et errores Lutheri a Leone X proscripti, 16 Maii 1520; necnon Michaelis Baii propositiones 79 a S. Pio V, 1 Oct. 1567, Gregorio XIII,

vel cumulativa;

29 Jan. 1579, Urbano VIII, 6 Mart. 1641, — Michaelis de Molinos propositiones 68 ab Innocentio XI, 20 Nov. 1687, — Jansenianorum propositiones 31 ab Alexandro VIII, 7 Dec. 1690, — Fenelonii propositiones 23 ab Inocentio XII, 12 Mart. 1699,— Quesnelli propositiones 101 a Clemente XI, 8 Sept. 1713 damnatæ.

illæ autem notæ propositionibus affinguntur prout jacent

248. Quod pertinet ad censurarum interpretationem, advertendum est, propositiones aliquando damnari *prout jacent*, nimirum secundum vim potestatemque verborum et phraseum quibus propositiones continentur, citra mentem doctrinamve auctoris aliunde compertam ; — aliquando vero damnari *in sensu ab illarum auctoribus intento*, scilicet sensu litterali, quem verba ab auctore adhibita apud ipsum auctorem a quo petuntur præ se ferunt; — aliquando demum damnari *in sensu determinato et explicato*. Ita Innocentius XI propositiones 65 declaravit « damnatas et prohibitas, sicut jacent. » S. Pius V vero, Gregorius XIII et Urbanus VIII, de Baii propositionibus definiverunt eas, « quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento, hæreticas, erroneas, etc. ; » item Alexander VII, const. *Cum ad S. Petri sedem*, et const. *Regiminis apostolici*, quinque Jansenii propositiones damnatas edixit et subscribendas postulavit, « in sensu ab eodem Cornelio Jansenio intento. » Tandem Pius VI, bulla *Auctorem fidei*, propositiones Pistoriensium proscripsit in sensu a se explicato intellectas.

vel in sensu auctoris,

vel in sensu explicato.

Tenenda propositio damnatæ contradictoria :

249. E legibus logices constat, propositiones contradictorias quidem nunquam esse posse simul veras vel falsas ; contrarias autem, licet nequeant simul esse veræ, posse tamen simul esse falsas. Statim ac igitur de propositione constiterit, quæ teneri non possit, itidem constat contradictoriam semper, sed non semper contrariam, posse teneri. Ut autem contradictoria rite formetur, ad sequentia animadvertendum est : *a*) utrum propo-

sitio damnata *directa* et *absoluta* sit, an *reflexa* ac *modalis*, affecta scilicet definito veritatis certitudinisve modo vel gradu : ut enim in illa ad contradictoriam faciendam mutatur qualitas propositionis principalis, ita in ista qualitas modi mutatur ; — *b*) utrum propositio proscripta *universalis* sit an *particularis :* exigit enim utriusque contradictoria tam quantitatis quam qualitatis immutationem;— *c*) num *indefinita* illa sit an *definita*, scilicet definite vel particularis, vel universalis, de quo nunc diximus; indefinita, cujus difinitio non a verbis sed aliunde pendet ; — *d*) num *composita* an *simplex* sit ; et siquidem primum obtineat, num sensu copulativo seu complexo, an diviso seu distributivo rejecta sit, quod ex internis externisque interpretandi regulis determinandum est. Cæterum, quando causa sive ratio, ob quam propositio quædam condemnata est, pro affini seu cognata cum illa militat, oportet hanc similiter condemnatam censeri. Unde sequitur, vi notæ tenendam semper indicari contradictoriam, sed non semper unice tenendam ac solam. Videlicet, ad integram per damnatas propositiones veritatem sententiamque eruendam, satis non est puros agere logicos, logicamque figurarum de propositionum oppositione tabulam respicere, sed esse quoque theologos oportet, criterioque etiam theologico uti. Schrader, op. cit. n. 82. Porro sententia damnatæ contradictoria tenenda erit ut *fidei proxima, theologice certa, prudens, tuta ac sana*, etc., prout illa damnata fuerit tanquam *proxima hæresi, erronea, temeraria, scandalosa, impia*, etc.

quomodo hæc formanda.

250. Certum est ac proximum fidei, imo, juxta multos, etiam de fide, Ecclesiam seu Pontificem infallibilem esse in ferendis censuris hæresi inferioribus, de quibus a nobis actum est. Cfr. Lugo, l. c. n. 188; Franzelin, op. cit. pag. 111-113; Schrader, op. cit. n. 81, etc. Quod extendendum videtur ad casum quo aliqua propositio ab Ecclesia definiretur *probabilior;*

Ecclesia infallibilis in censuris inferioribus.

cfr. Lugo, l. c. n. 116, ubi ita scribit: « Ego certum puto, non posse Pontificem vel Ecclesiam errare, quando fidelibus declarat aliquam doctrinam probabiliorem esse, ita ut proponat et doceat, probabiliorem esse, quæ minus probabilis est. Ad hoc enim applicari possunt rationes pro judicio Ecclesiæ in aliis censuris, et fundari potest in assistentia Spiritus Sancti Pontifici et Ecclesiæ promissa, qua impeditur ne doceat fideles falsa pro veris in iis quæ ad pietatem et salutem spectant. »

Quomodo peccet qui huic Ecclesiæ judicio resistit.

251. Hinc qui, supposito Ecclesiæ seu Pontificis judicio, negaret propositionibus damnatis convenire notam eis authentice attributam, is in omnium sententia gravissime peccaret, et, juxta quosdam, esset hæreticus; quia æquivalenter et de facto negaret Ecclesiæ in hac re infallibilitatem, quæ certa est et forte de fide. At idem dici non potest de eo qui eas simpliciter teneret, saltem si hæ propositiones affectæ non fuerint nota quæ immediate significat earum falsitatem. Ita Lugo l. c. n. 114: «Dices, qui affirmat esse veram propositionem quam Ecclesia ut temerariam damnavit, dicit aliquid ex quo, per evidentem consequentiam, infertur quod Ecclesia errare possit in iis censuris; si enim propositio illa est vera, ergo Ecclesia erravit judicando illam temerariam; nam quod verum est, non est temerarium; ergo qui affirmat esse verum, dicit aliquid erroneum vel errori proximum, eum dicat id ex quo evidenter sequitur Ecclesiam possedecipi in iis censuris. Respondeo, negando antecedens; neque enim in rigore verum est, eum qui tenet propositionem, quam Ecclesia ut temerariam damnavit, cogi per evidentem consequentiam ad dicendum Ecclesiam deceptam fuisse in ea censura; nam sicut propositio contradictoria temerariæ, non est de fide, nec omnino infallibiliter vera, nec eam Ecclesia definit esse veram, sed solum quod sit juxta communem Patrum et Doctorum sensum, a quo nonnisi

temere recedatur, ita propositio temeraria non est omnino infallibiliter falsa, nec eam Ecclesia falsam esse definit, sed solum quod sit contra communem sensum Doctorum et Patrum, et ideo non sine temeritate asseri. »

An ex censuris inferioribus deduci possit propositionum quæ iis notantur falsitas.

252. Quæstionem vero an, saltem mediate, concludi possint *falsæ* propositiones (doctrinales) quæ ab Ecclesia notatæ fuerunt tanquam scandalosæ, temerariæ, etc. sic solvit Viva, l. c. n. 18 : « Propositionem alia (infra hæresim) censura notatam, v. g. notatam ut scandalosam, quamvis (probabiliter) citra hæresim negari non possit quod sit scandalosa..., nihilominus negare quod ea sit falsa, in omnium sententia non continere hæresim, sed solum errorem, cum non definiatur a S. Sede immediate ejus falsitas, sed solum per illationem certam, descendat falsitas ex eo quod sit scandalosa. Verum quidem est propositionem aliquam posse esse scandalosam vel improbabilem et simul veram.... Id tamen tunc contingere potest, quando ea propositio pro aliquo tantum tempore sit hujusmodi ; cessante enim ea circumstantia, potest non esse scandalosa ; et superveniente nova notitia, quæ latebat, potest non esse amplius improbabilis, sed potius omnino certa.... At quando propositio aliqua pro quovis tempore et in quacumque circumstantia est scandalosa, ea nequit esse vera, cum non possit pro quavis circumstantia parere scandalum et carere fundamento gravi propositio vera. Quando autem Pontifex definit propositionem (doctrinalem) esse scandalosam, aut improbabilem, seu temerariam, id definit pro quovis futuro tempore ; unde nequit hujusmodi propositio veritatem continere. »

Quod sequitur ex definitione majoris probabilitatis.

253. At quando Ecclesia definit aliquam propositionem ut *probabiliorem*, videtur eam spectare solummodo pro tempore quo emittitur et sub argumentis quæ tunc producuntur. Ita docet Lugo, l. c. n. 119 et sqq. « Ego puto, quamdiu Ecclesia vel Pontifex solum declarat alteram ex duabus propositionibus

esse probabiliorem, non extrahi contrariam a statu opinionis, nec tale ac tantum præjudicium pati, ut qui eam teneat vel asserat, censura aliqua theologica vel temeritatis nota dignus sit.... Ratio.... videtur clara, quia si Pontifex non possit declarare aliquam propositionem ut probabiliorem, quin eo ipso contraria assertio maneret digna censura theologica, contradiceret sibi ejusmodi declaratio : siquidem ex uno capite protestatur Pontifex se nihil certum definire, sed solum majorem unius partis probabilitatem declarare, relinquendo utramque partem in statu opinionis ; ex altero autem capite sententiam contrariam in actu exercito extraheret a statu opinionis ad statum doctrinæ temerariæ, atque adeo illam etiam aliam, quam dicit esse probabiliorem, redderet in actu exercito certam, et a qua sine gravi peccato non posset quisquam etiam per assensum mere internum recedere. Si ergo supponitur posse Pontificem judicare de mera probabilitate majore alterius partis citra omnem certam definitionem aut declarationem, fatendum est, posse id facere ita ut contraria sententia non maneat adhuc illi theologicæ censuræ obnoxia.... Unde ulterius addo, licet pie credi possit, nunquam Deum permissurum quod summus Pontifex vel Ecclesia approbet vel proponat omnibus fidelibus tanquam probabiliorem doctrinam aliquam quæ a parte rei sit falsa, id tamen non repugnare ex principiis intrinsecis, nec ex aliqua Dei promissione hucusque facta id posse satis colligi. Ratio autem eadem esse videtur, quia, si fieri id non posset, idem esset decernere eam propositionem esse probabiliorem, ac decernere absolute ejus veritatem : quare postquam declarata esset illa doctrina probabilior, non posset ullus fidelis licite ei dissentire, vel contrariam sententiam tenere... ; quare non minus tenerentur omnes eam sententiam in posterum amplecti, quam si contraria sententia damnata fuisset absolute et declarata ad minus erronea vel temeraria. Consequens autem est aperte falsum et contra

mentem Pontificum, qui declarantes solum aliquam propositionem esse probabiliorem, non intendunt obligare fideles ad eam tenendam, sed potius eo ipso tacite permittunt contrariam sententiam et eam intra terminos opinionis relinquunt; non ergo sentiunt quod repugnet jam falsitas in ea sententia, quam dicunt esse probabiliorem, sed solum de gradu probabilitatis loquuntur, scientes juxta commune Philosophi axioma, posse aliquando falsa esse probabiliora veris; possunt enim habere majora auctoritatis vel apparentis rationis fundamenta, quæ ea reddant probabiliora, hoc est, magis persuasibilia et facilia, ut defendantur ab argumentis contrariis. »

Ecclesia alias propositiones vetat censurari,

254. Quod autem attinet ad propositiones quas summus Pontifex vetat censurari, nihil est causæ quominus possint aliquando esse falsæ, quum sæpe id solum prohibeatur in bonum pacis et ad vitandas discordias, non in gratiam veritatis. Insigne rei specimen præbet doctrina de immaculata conceptione B. V. quæ nunc, post definitionem Pontificis, irreformabile est fidei dogma, quum tamen vetitum aliquando esset opinionem contrariam censura notare. Cfr. etiam Lugo, l. c. n. 104.

alias prohibet doceri, quin intendat judicare de illarum veritate vel de harum falsitate.

255. Tandem aliud est quod doctrina aliqua censura afficiatur, aliud quod proferenda prohibeatur; hoc enim alterum fieri potest ob solas causas rationesve prudentiæ, scilicet, ut spectatis personarum vel rerum, locorum vel temporum adjunctis, nunc dissidia tollantur, nunc paci consulatur, nunc a scandalo caveatur; unde continget, ut, adjunctis illis cessantibus, cessare prohibitio ipsaque rei doctrina vel propositio tradi possit, vel proponi etiam debeat. Cfr. Viva, l. c. n. 2.

CAPUT II.

DE DEFECTU EXTERNÆ PROFESSIONIS FIDEI.

Peccat graviter

256. Contra præceptum externæ professionis fidei duplici modo peccari potest, nempe per *commissionem*, quando fides exterius negatur, vel per *omissionem*, quando fides debito tempore non manifestatur : de quibus nonnulla in specie jam sunt adnotanda.

qui fidem exterius negat,

257. *Nunquam christiano licet fidem exterius abnegare, quacumque de causa.* Constat imprimis ex disertissimis Christi verbis, Matth. X, 32, 33; Luc. IX, 26, etc. : « *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est. — Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua et Patris et sanctorum Angelorum.* Constat etiam ex perpetuo sensu fidelium ; siquidem his Christi verbis instituti innumeri cujusque ætatis, sexus, conditionis ac nationis christiani, potiusquam Christum abnegarent, non solum omnia vitæ incommoda, molestissimas privationes et calamitates pertulerunt, sed exquisita supplicia, et immanissimas mortes oppetierunt; quod profecto nunquam fecissent, nisi persuasum ratumque ipsis fuisset, non solum internam fidei constantiam, sed etiam externam professionem esse rebus omnibus ac ipsi vitæ anteferendam. Idem præterea luculenter patet ex modo quo Ecclesia se gessit cum iis, qui suppliciorum vel conspectu vel diuturnitate vel sævitia victi, tyrannorum postulatis, licet ad tempus tantum et specie tenus, cesserunt; nam exploratum est, eos tam gravi crimine reos habitos fuisse, ut nonnisi post longa durissimaque pœnitentiæ opera ecclesiasticæ communioni restituerentur. Ab intrinseco demum « probatur ex obligatione qua servus Christi tenetur non erubescere fateri dominum suum; est enim dedecus Domini quod servus dedignetur eum pro Domino fateri; nam eo ipso negat illi debi-

tum cultum; quare cum hæc obligatio tanto sit major in creatura ad creatorem, obligat etiam cum vitæ periculo ; ideo christiani, cum confirmantur, accipiunt in fronte signum crucis. » Lugo, disp. XIV, s. 2, n. 32.

vel simulat falsam religionem ;

258. *Consequenter nunquam christiano licet verbis, signis, factis, falsam religionem simulare.* Talis enim simulatio veræ fidei negationi æquivalet. Hinc ab Ecclesia gravissimæ culpæ rei habiti sunt *libellatici*, qui nimirum, quamvis non immolaverint idolis aut thus eis non adoleverint, ad se eximendos a persecutorum vexationibus, pecunia a magistratibus *libellos* impetrabant, quibus testatum facerent, se imperatoris mandata implevisse. Hos igitur Ecclesia damnavit, et licet mitius cum ipsis ageret quam cum *sacrificatis* et *thurificatis*, attamen impunitos esse minime passa est, sed publicæ pœnitentiæ addixit, qua propriæ ignaviæ veniam exposcerent, nec nisi post convenientem satisfactionem expletam fidelium juribus et prærogativis restituit.

non tamen qui fugit vel fidem occultat.

259. Attamen cum præceptum confitendi fidem, utpote affirmativum, non urgeat semper, *christianus potest, imo etiam quandoque tenetur, fidem dissimulare seu occultare.* A fortiori per se illi licitum est, vel etiam necessarium, tempore persecutionis, *fugam arripere ;* quod ulterius constat ex Matth. X, 23; Joann. VIII, 59, 2 Cor. XI, 32, 33. Ita S. Cyprianus, de lapsis : « Primus est victoriæ titulus, gentilium manibus apprehensum, Dominum confiteri. Secundus ad gloriam gradus est, cauta secessione subtractum Domino reservari. Illa publica, hæc privata confessio est. Ille judicem sæculi vincit, hic contentus Deo suo judice conscientiam puram cordis integritate custodit. Illic fortitudo promptior, hic sollicitudo securior. » Diximus autem *per se* licitum esse fugere ; quia in quibusdam circumstantiis aliter statuendum esset quoad eos qui curam animarum gerunt. De his plura apud Perrone, de Fide, n. 424 et sqq.

Solvuntur difficultates particulares

260. Magna sæpe difficultas habetur in determinando an *silentium*, *verba*, *vestes* et *signa*, *actiones* contineant tantum fidei dissimulationem, quæ permissa esse potest, an vero falsæ religionis simulationem ac fidei negationem, quæ semper prohibita est.

circa silentium,

261. Et quidem de *silentio* ejus qui interrogatus non negat fidem, sed tacet, et dicit se nolle respondere, hæc habet Lugo, l. c. n. 37 : « Aliqui absolute dicunt id non licere... Alii communiter distinguunt de interrogato a persona publica et interrogato a persona privata : illum dicunt non posse tacere, hunc vero posse ; quod alii etiam extendunt quando persona publica non interrogat in publico, sed in privato... Alii tamen melius dicunt has distinctiones materiales esse ad explicandam hanc obligationem, quæ, formaliter et universaliter loquendo, sumenda est ex circumstantiis omnibus, ex quibus debet judicari an silentium vel tergiversatio hic et nunc sit signum negationis vel erubescentiæ, quo casu non licebit tacere aut tergiversari ; secus vero si solum significet contemptum interrogantis, et non defectum fidei vel constantiæ, quo casu id licebit. Ita Suarez... Sanchez... Hurtado... Coninck... qui alios referunt, et tandem totum hoc reducunt ad circumstantias, ex quibus pendet, an hoc silentium tunc in ordine ad existimationem vel scandalum vel ad dedecus veræ religionis æquivaleat negationi, vel indiciis formidinis aut inconstantiæ vel erubescentiæ. Unde inferunt, quia id regulariter contingit in interrogatione facta ab homine habente potestatem publicam, ideo eam regulam et distinctionem fuisse ab aliis traditam, licet non sit universaliter vera. » Huc pertinet propositio 18ª ex damnatis ab Innocentio XI : « Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo et fidei gloriosum consulo ; tacere ut peccaminosum per se non damno. »

verba ambigua,

262. Docet etiam Lugo l. c. n. 36, non licere « in materia fidei respondere *verbis æquivocis*, quæ ab interrogante acci-

piantur pro negatione, licet a respondente alius verus sensus intendatur..... Colligitur ex verbis Christi supra adductis, *qui me erubuerit et meos sermones*, etc.; qui enim utitur verbis ambiguis, ut appareat infidelis, erubescit certe professionem evangelicæ doctrinæ... Non ergo desumitur hæc malitia ex mendacio, quod quidem vitaretur utendo verbis ambiguis.., sed desumitur ex scandalo, et ex erubescentia et injuria contra divinam auctoritatem, cujus doctrinam erubescimus, et ideo videri volumus ejus contemptores. Confirmarique potest a simili ex blasphemia, in qua non excusabitur culpa ex eo quod aliquis utatur verbis ambiguis, et quæ habere possunt bonum sensum, si tamen apud audientes non in eo sed in sensu blasphemo accipienda sint, et ad hunc finem proferuntur, ut proferens blasphemus reputetur; eadem enim est irreverentia externa contra Deum, cum ille alius sensus maneat in occulto. Idemque ex communi hominum sensu constat, qui merito de tali convicio et injuria querelam habebunt, quamdiu sensus ille alius non explicatur, præsertim si ad hunc finem verba æquivoca proferantur, ut in sensu contumelioso ab auditoribus accipiantur. »

263. Quod attinet ad *vestes* (et idem valet de aliis *signis*) eas theologi distinguunt in diversas species : aliæ enim sunt distinctivæ gentis et nationis non vero sectæ et religionis ; — aliæ distinctivæ sunt sectæ a secta, non tamen sectæ protestativæ, quatenus nempe solum institutæ sunt ad aliquem finem politicum ; — aliæ sunt non solum distinctivæ sectæ a secta, sed etiam sectæ protestativæ ; — demum aliæ sunt quæ cultum actualem alicujus sectæ continent. Cfr. Sporer, c. 2, s. 4, n. 32 et sqq. vestes et signa,

264. Jam vero circa vestes primæ speciei, consentiunt Doctores posse iis fidelem uti « quando transiens per infidelium regionem, occultari vult ad periculum vitandum : vestis enim illa nec explicite nec implicite continet negationem

fidei aut professionem alterius sectæ; et licet alii, putantes esse ex natione illa, decipiantur putantes esse ex eadem nationis secta, id tamen est per accidens et ex ignorantia. Advertunt tamen requiri ad hoc aliquam *justam causam* Sanchez... Suarez...; quia licet hæc actio per se non sit mala, habet tamen speciem mali, et ideo vitanda est. »

265. Quoad vestes etiam secundæ speciei, plures et graves auctores putant ex *gravi causa* licitum esse iis uti.

266. De vestibus vero tertiæ speciei, hæc statuitur regula generalis: « Quoties usus vestium talis fuerit, ut qui personam utentem noverint, eam omnino judicent fidem negare, et falsam religionem amplecti, usus ille nullo modo licitus erit; quando vero, qui personam norunt, poterunt dubitare, an ob alium finem diversum vestis usurpetur, poterit usus licitus esse ex *gravi causa*, quæ eo gravior debet esse, quo ex circumstantiis vestis illa magis accedat ad significandam negationem veræ fidei, quamvis non omnino determinate eam significet. Sensus et veritas hujus regulæ probari et explicari potest per analogiam vel comparationem ad voces, quas diximus nullo casu fideli licere, quia ex natura sua habent quod proferri debeant ad significandam mentem et non ob alios fines. Si ergo esset vestis, quæ, propter circumstantias vel institutionem, ita esset determinata ad significandam negationem fidei, sicut sunt verba vel voces ad significandam mentem, idem omnino dicendum esset de veste illa, quod de vocibus dicitur; atque ideo sicut nullo casu fideli licet proferre voces, quibus significetur ipsum esse alterius sectæ, ita nunquam licebit ei usus talis vestis habentis æque determinatam significationem ac habent voces. Non repugnat autem quod circumstantiæ tales sint, in quibus vestis possit habere significationem æque determinatam ac habent voces, et a qua non possit abstrahi: v. g. si princeps infidelis præcipiat subdito christiano negare fidem et in signum negatæ fidei

assumere et gestare imaginem idoli in veste ; non est dubium quod in iis circumstantiis gestatio illius signi vel vestis non posset præscindi a significatione negatæ fidei, atque ideo quod esset omnino illicita. Si ergo consuetudo recepta tribueret eamdem vim determinatam significandi negatam fidem, quam tribuit imperium principis infidelis præcipientis gestare tale signum, eodem modo dicendum esset de veste vel signo illo, non esse licitum, stante tali consuetudine. Quare totum judicium de hoc puncto reducendum est ad determinationem significationis, quæ optime colligitur a posteriori, si videntes signum illud et cognoscentes personam, quæ antea fidelis et christiana erat, inducuntur tamen omnino et determinate ad judicandum, quod priorem fidem reliquerit; tunc enim vestis illa in talibus circumstantiis habebit se sicut voces, cum non possit a tali significatione determinata separari. E contra vero contingit frequenter ut vestis aliqua, consuetudine vel etiam ex institutione principis determinata sit ad significandam professionem falsæ sectæ; et tamen quando christianus eam usurparet ad se occultandum et vitandum vitæ periculum, ii qui hominem antea agnoscerent et viderent in ea veste, non ideo judicarent eum negasse fidem, sed vel dubitarent vel fortasse putarent non ad id significandum, sed potius ad se occultandum et vitandum vitæ periculum assumptam fuisse vestem illam : quo casu ex gravi vel saltem gravissima causa licite assumeretur... »

267. Demum de vestibus quartæ speciei, verum est, « quod earum usus ex *gravissima causa* liceat, quando non sunt ita determinatæ ad cultum falsum significandum, ut, qui hominem antea christianum cum ea veste videt, eo ipso determinate judicet fidem reliquisse, sed possit dubitare, vel putare quod ad alium diversum finem tali veste utatur; secus vero quando ex institutione et circumstantiis determinata est ad eam significationem. »

268. Sunt autem in præsenti quæstione duo adhuc animadvertenda. « Primum est, quando dicimus vestes illas non esse in universum et in omni casu damnandas, quæ non sunt omnino determinatæ ad significandum, id est, quibus visis, ii qui hominem antea fidelem norunt, non statim judicabunt ipsum fidem reliquisse ; hoc, inquam, non ita esse intelligendum, ut sufficiat, si aliqui sciant eum non ex animo, sed ob alium finem, ea signa usurpare..., sed requiri quod vel omnes id sciant, vel certe signa ipsa talia sint, ut in iis circumstantiis, qui aliunde fictionem non noverunt, et sciunt ipsum antea fuisse fidelem, non possint ex vestibus vel signis illis determinate judicare quod fidem reliquerit, ita ut nec ipsi infideles, si nossent hominem antea fuisse christianum, possent ejusmodi fidei mutationem judicare. Secundum, quod advertendum est, et quod auctores communiter observant, est, tam prædictas vestes quam alia omnia signa, etiamsi ex se determinata non sint ad talem significationem, posse tamen esse illicita ratione *scandali*. » Ita Lugo, disp. XV, s. 4 et 1, passim.

actiones.

269. Tandem *actiones*, de quibus controverti potest an contineant fidei negationem vel tantum ejus dissimulationem, sunt præcipue *esus carnium prohibitarum, comestio idolothytorum, aditus templi, exercitium rituum et participatio in cæremoniis falsi cultus.*

270. Et quidem quoad esum carnium prohibitarum duplex hypothesis fieri debet. Prima est, quando tyrannus, in contemptum legis ecclesiasticæ, præcipit earum carnium esum, et, nisi comedas, mortem minatur : hoc casu ex omnium sententia illicita est talis comestio, quia est cooperatio principi religionem contemnenti, seu, quia continet obedientiam expressam tyranno præcipienti religionis contemptum, adeoque negationi fidei æquivalet. Secunda hypothesis est, quando nullum urget tyranni præceptum cogentis carnes comedere,

sed tamen transiens per loca hæreticorum, ubi omnes eas comedunt, tu etiam comedis, ne, si abstineas, prodas teipsum catholicum, et ea de causa pericliteris : hoc autem casu, ex sententia communi, talis comestio licita est, quia nec secundum se, nec ex circumstantiis, est signum determinate significans fidei negationem vel formalem contemptum præcepti. Plura apud Lugo, l. c. § 2.

271. Comestio vero idolothytorum licita est, quoties non est species cooperationis ethnicæ vel cultus falsi dei, nec astantibus scandalum præbet : nam hujusmodi cibi de se indifferentes sunt, et extrinseca immolatio eos pravos non effecit : colligitur non obscure ex verbis S. Pauli 1 Cor. VIII, 10, X, 27. Cfr. Lugo, l. c. § 3.

272. Aditus templi hæreticorum et assistentia eorum cæremoniis, ex hoc capite, non prohibentur quando apparet hæc fieri vel ex curiositate vel ad reddendum debitum civile ; stricte vero prohibentur quando speciem cooperationis præ se ferunt, et fidei negationem continent, prout contingebat in Anglia ea infelicissima ætate qua catholici, edicto regio, sub gravissimis pœnis confiscationis bonorum et carceris diuturni, cogebantur adesse precibus et concionibus protestantium. Unde sic ad eos scripsit Paulus V, 10 kal. Oct. 1606, ac rursus 10 kal. Oct. 1607 : « Accepimus namque, compelli vos, gravissimis pœnis propositis, templa hæreticorum adire, cœtus eorum frequentare, concionibus illorum interesse.... Cogimur monere vos atque obtestari, ut nullo pacto ad templa hæreticorum accedatis, aut eorum conciones audiatis, vel cum ipsis in ritibus communicetis, ne Dei iram incurratis. Non enim licet vobis hæc facere sine detrimento divini cultus ac vestræ salutis. » Cfr. Lugo, l. c. § V. Diximus autem supra *ex hoc capite* hujusmodi aliquando non prohiberi, quia illicita esse possunt aliunde, nempe propter scandalum, perversionis periculum, aliosque malos effectus.

273. Postremo usus rituum et cæremoniarum falsi cultus illicitus est, si hujusmodi actiones ex se vel ex circumstantiis habent determinatam significationem negatæ fidei: hujusmodi sunt thus adolere, genu coram idolo flectere, sacrificare, cœnæ hæreticorum communicare, circumcisionem adhibere, etc. Lugo, l. c. § IV. Difficultates autem quæ tum ex sacris litteris, v. g. IV Reg. V, 18, X, 19, Gal. II, 13, tum ex historiis Sanctorum petuntur, solutæ legi possunt apud auctores passim : cfr. Lugo, l. c., Perrone, De fide, spe et charitate. n. 405-417.

PARS IV.

DE COMMUNICATIONE ET CONSERVATIONE FIDEI.

274. Cum fides tantæ dignitatis simul sit ac necessitatis, patet eam esse instanter diffundendam et sedulo retinendam. Quæ autem ad hunc finem pertinent jam breviter explicabimus vel saltem indicabimus ac innuemus.

CAPUT I.

DE FIDEI COMMUNICATIONE.

Ecclesia jus proprium habet

275. *Ecclesia jus habet proprium ac nativum, sc. independens a quacumque humana auctoritate, fidem ubique et omnibus prædicandi.* Colligitur ex ps. II, 6, Matth. XXVIII, 18, Marc. XVI, 16, 2 Cor. V, 19, etc.: *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. — Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra: euntes ergo docete omnes gentes. — Pro Christo ergo legatione fungimur.* Cfr. Suarez, disp. XVIII, s. 1, Lugo disp. XIX, s. 2, § 1, n. 35 et sqq.

fidem prædicandi

276. Quod autem attinet ad *personas* per quas Ecclesia prædicto jure utitur, distinguendum est inter prædicationem *privatam* et prædicationem *publicam*. Prædicatio *privata* omnibus competit; quilibet enim fidelis eruditus potest, data sibi commoda occasione, alios infideles instruere et ad notitiam fidei adducere. Prædicatio vero *publica* et ex officio iis competit qui missionem ad hoc receperunt a pastoribus legitimis, ut constat ex Rom. X, 15, quem locum Innocentius III,

relatus in c. *Cum ex injuncto*, de hæreticis, affert ad probandum quod « non debet sibi quisquam indifferenter prædicationis officium usurpare. » Porro potestas mittendi fidei prædicatores residet in Summo Pontifice pro universo orbe, nec non in singulis episcopis pro territorio unicuique subjecto. Cfr. Suarez et Lugo, ll. cc.

ac propugnandi;

277. Ad fidei prædicationem referri potest *disputatio cum infidelibus*. Hujusmodi disputatio sane licita est per se et commendanda, ut constat ex sacris litteris, v. g. Tit. I, 9, et 1 Pet. III, 15; Matth. XXII, 41-46; Joan. VIII, 41; Act. VI, 9, 10, XVII, 17, etc. Hinc S. Augustinus, enarr. in ps. CVI, n. 14 : « Cum respondetur hæreticis ex necessitate, ædificantur catholici ex utilitate. » Et S. Bernardus, serm. LXIV in cant. n. 8 ; « Capiantur hæretici non tam armis quam argumentis, quibus refellantur errores eorum. »

278. Ad hoc tamen ut legitime disputatio instituatur, conditiones quædam sunt necessariæ. Et quidem imprimis ex parte *personæ*, requiritur ut ille, qui disputationem aggreditur, par sit muneri suo, sc. *firmus in fide, doctus*, et, ex lege ecclesiastica, *clericus*, ut constat ex S. Leonis M. epist. CIX ad Maximum Antioch. c. VI, ex conc. Carthag. IV, c. 98, et ex c. *Inhibemus* de hæreticis, in 6. Hæc tamen lex non obligat in casu necessitatis, puta, si nullus præter laicum adsit, qui fidem defendere valeat ; imo consuetudine videtur abrogata iis in regionibus in quibus impune grassantur hæreses, saltem quoad privatas et familiares conferentias : illæ enim in curribus, navibus, ab iter agentibus, et in mensis absque scrupulo fieri solent, sciuntque hoc nec contradicunt prælati; manet tamen obligatio legis naturalis, ubi periculum est ne quis fidelis vacillet aut fides vilipendatur. Deinde ex parte *modi*, requiritur ut disputans abstineat a conviciis, contumeliis, injuriis, quæ valde dedecent catholicum virum grave munus exercentem, ac proinde fructum impedirent ; cfr. S. Chrysos-

tomus, hom. VI in 2 ad Tim.; — ut ostendat, non adversarium vincendi causa susceptam disputationem esse, sed ut veritas eluceat, ac triumphus de errore sit, non de persona; quod recte S. Hieronymus expressit dicens : « Non de adversario victoriam, sed contra mendacium quæramus veritatem, » lib. I contra Pelag., n. 21 ; — ut, quemadmodum monuit S. Gregorius Nazianzenus, or. XXVI (al. XXXV), n. 6, «nec tarditate nimia, nec nimio furore agatur, ex utroque extremo sumendo id quod utile ac fructuosum est, ex illa mansetudinem, et ex hoc zelum.» Demum ex parte *effectus*, requiritur ut sit spes fructus, saltem in audientibus, sive ex nonnullorum conversione, sive ex catholicorum confirmatione, sive etiam ex minori hæreticorum audacia ; cfr. S. Thomas, 2, 2, q. 10, a. 7. Cæterum hujusmodi fructus raro habebitur in eo quocum disputatur ; hinc 2 Tim. II, 14 : « *Noli contendere verbis ; ad nihil enim utile est ; nisi ad subversionem audientium.* Et S. Aug. lib. XV, contra Faust. « Non disputationem amant hæretici, sed quoquo modo superare impudentissima pertinacia, ut congregent quæ non pepererunt. » Item S. Chrysostomus, hom. VI in cap. III epist. ad Tit. n. 1 : « Contentiones contra hæreticos dicit esse vitandas, ut ne frustra laboremus, cum nihil hinc lucri proveniat ; finis enim in nihilum vertitur. Cum enim quis ita perversus est, ut, quidquid evenerit, sententiam non mutare decreverit, cur frustra laboras, in petram semen jaciens?» Et S. Bernardus, serm. LXVI in cant. n. 12 : « Nec rationibus convincuntur, quia non intelligunt, nec auctoritatibus corriguntur, quia non recipiunt ; nec flectuntur suasionibus, quia subversi sunt. »

279. Porro inter disputationes cum hæreticis celebriores sunt : collatio S. Augustini cum donatistis anno 411 vel 412 per tres dies habita ; cfr. S. August. tom. 9 ; — collatio Carthaginensis anni 484 cum arianis ; cfr. Hard. tom. 2, p. 857 ; — collatio Lugdunensis anni 4-99 etiam cum arianis, in qua

egregiam operam navavit S. Avitus Viennensis; cfr. d'Achery, Spicilegium, tom. V, p. 100, et Hard. tom. 2, p. 663; — collatio Ananiensis anni 1256, in qua pro ordinibus religiosis coram Alexandro IV contra Gulielmum de Sancto Amore pugnarunt B. Albertus Magnus, S. Thomas et S. Bonaventura; — conferentia Lipsiensis anni 1519, inter Joan. Eckium et Lutherum, qui omnium judicio a doctissimo suo adversario victus est; cfr. Wouters tom. 3, p. 4; — colloquium Wormatiense anni 1557, in quo, contra Melanchtonem et Illyricum Flaccum, pro catholicis egerunt B. Petrus Canisius, Judocus Ravesteyn Thiletanus, Mart. Rythovius et Franciscus Sonnius; cfr. Orlandini, hist. Societatis Jesu, p. 2, lib. I, n. 100; — colloquium Poissiacum anno 1561 coram principibus et magnatibus Galliæ habitum, in quo partem catholicorum contra Bezam sustinuit Claudius Espencæus; cfr. Wouters, l. c. p. 49; — conferentia Parisiensis anni 1566 in qua Claudius de Sainctes et Simon Vigor quosdam ministros hugonottas debellaverunt; cfr. Prat, Maldonat et l'Université de Paris, p. 202; — conferentia Sedanensis anno 1572 a Maldonato habita cum iisdem hæreticis, cujus relatio ab ipso Maldonato conscripta legi potest apud Prat, op. mox citato, p. 295; — gloriosa disputatio card. Duperron contra Duplessis-Mornay Fontisbellaquei habita; cfr. Les diverses œuvres du card. Duperron (op. tom. 3) pag. 79 et sqq.; — colloquium Ratisponense inter Tannerum et Protestantes anno 1601 habitum, de quo legi potest relatio compendiaria ab ipso Tannero scripta; cfr. Debacker, Bibl. scriptorum Soc. Jesu; — conferentia quam cum Claudio habuit Bossuet anno 1678; cfr. œuv. de Bossuet, tom. 23, p. 234; — demum cum protestantibus sæpe disputavit Veronius.

quod jus vi tueri potest.

280. *Cum unicuique liceat jus suum tueri, sequitur esse in Ecclesia potestatem vi et armis defendendi fidei prædicatores seu coercendi eos qui fidei prædicationem modo iniquo*

impedirent. Ratio ulterius est, quia « princeps, mittens legatum ad aliquod munus obeundum, eo ipso censetur eum constituere independentem ab omni alio inferiori quoad executionem muneris commissi, atque ideo cum auctoritate et potestate coercendi quoslibet inferiores volentes eum ab executione sui muneris delegati impedire; Christus autem prædicatores mittens est princeps supremus ; ergo ejus legati possunt quoslibet prædicationem impedientes coercere, ex potentia imbibita in ipso legationis munere sibi commisso. Quælibet enim respublica, præsertim habens potestatem supremam, qualis est Ecclesia, potest tueri jura sua adversus eos qui ea violare et impedire injuste conantur. » Lugo, l. c. n. 38. Hæc autem prædicatorum defensio seu persecutorum coercitio communiter exequenda non est per ipsam Ecclesiam, sed, de ejus mandato, per principes sæculares et laicos. Cfr. S. Thomas, 2, 2, q. 10, a. 8. Suarez l. c. n. 4-9, Lugo, l. c. n. 47-53.

Infideles non baptizati a principe suo, non vero ab Ecclesia cogi possunt ad fidem audiendam ;

281. *Nequit tamen Ecclesia infideles non baptizatos cogere ad fidem audiendam*, siquidem coactio supponit jurisdictionem, nullam vero Ecclesia jurisdictionem temporalem vel spiritualem habet in infideles. *At infideles cogi possunt ad fidem audiendam per principem temporalem cui subditi sunt*, ut constat ex const. Gregorii XIII, 1584, *Sancta Mater*, et ex const. Clementis XI, 1704, *Propagandæ*, quibus judæi status Pontificii jubebantur assistere concioni de rebus fidei nostræ. Cfr. Suarez, l. c. s. 2; Lugo, l. c. n. 54-64.

a nemine autem cogi possunt ad fidem suscipiendam ;

282. *Omni jure prohibitum est, infideles non baptizatos vi compellere ad fidem sufficienter sibi propositam amplectendam*. Sic fert doctrina Ecclesiæ catholicæ, quæ nunquam non tenuit ac voluit, persuasione non coactione utendum esse ad ethnicos convertendos, prout constat ex c. *Qui sincera*, dist. 45, et ex c. *De Judæis*, ead. dist ; nec non ex. c. *Judæi*, de Judæis et Saracenis, ex. c. *Consuluit*, VII, etc. Cfr.

S. Thomas, 2, 2, q.10 a 8 et 12; Suarez, l. c. s. 3; Lugo, l. c. § 2, n. 70-92.

possunt tamen ad fidem induci spe alicujus boni;

283. *Nihilominus infideles isti aliquando possunt ad fidem amplectendam cogi indirecte, seu potius spe alicujus boni non debiti aut timore alicujus mali alias debiti ad eam induci.* Ita Lugo, l. c. n. 87 : « Dicitur autem indirecte cogere qui jure suo utitur, quod remittere non vult, sed toto rigore exequi; remittere tamen paratus et remissionem offerens, si debitor convertatur ad fidem: tunc enim non infert aut minatur pœnam vel malum.. sed solum negat liberalitatem, aut remissionem alterius debiti, quamdiu non convertitur, quod tamen debitum alio titulo juste potest exigere. Advertit autem Suarez,....debere id fieri semper intra terminos justitiæ; neque enim ad eum finem gravari possunt tributis vel oneribus, ad quæ alias non possent juste obligari, secluso etiam eo titulo.... Denique circa hanc indirectam coactionem advertunt, licet per se loquendo non posset exerceri nisi circa subditos, quia ii soli juste possunt gravari oneribus... per accidens tamen, posse aliquando exerceri circa non subditos, privando nimirum eos beneficiis gratuitis, et commodis non debitis, nisi fidem profiteantur vel ei opitulentur. Potest v. g. princeps christianus negare principi infideli commercium in suo regno, et milites ad bellum alioquin justum, nisi fidem profiteatur vel ei in suo regno favorem præstet : utitur enim jure suo negando ea ad quæ concedenda nullo jure tenetur.» Ex his suam habent explicationem ea qua leguntur apud S. Greg. Magn., epist. 26, lib. III, et epist. 6 lib. IV, nec non epist. 30 lib. VII.

imo cogi possunt ad relinquendos errores naturali rationi contrarios;

284. *Præterea possunt iidem infideles a principibus, quibus subduntur, cogi ut relinquant errores et ritus naturali rationi contrarios.* Ratio est, quia ad principem pertinet omnes subditos dirigere « in ordine ad pacem Reipublicæ, et ad morum probitatem, quæ necessaria sit ad convictum humanum et ad honestum Reipublicæ statum. Quare, sicut furta,

homicidia, fraudes et alia ejusmodi, sic etiam prohibere potest adulteria, cultum dæmonum, magiam, perjuria in judicio, blasphemias et similia peccata, quæ rempublicam maxime deturpant et legi naturali repugnant. Unde imperatores christiani, ubi primum fidem nostram amplexi sunt, idololatriam severissimis legibus prohibuerunt, quæ a conciliis et Patribus laudatæ et commendatæ, atque aliquando postulatæ etiam fuerunt. » Lugo, l. c, § 3, n. 114. Advertatur autem duplicem limitationem assertioni apponi : prima est, infideles cogi posse, non ab Ecclesia vel ab aliis, sed a solis suis principibus; altera, eosdem cogi posse ad relinquendos errores quatenus isti adversantur legi naturali, non præcise quatenus adversantur fidei; de quibus fuse agunt Suarez, l. c. s. 4, et Lugo, l. c. § 3.

eorum autem ritus absque gravissima causa permitti nequeunt.

285. *Quinimo principi fas non est eosdem infidelium ritus absque gravissima causa permittere*: ita cum S. Thoma cæteri theologi passim. « Et imprimis non posse sine gravissima causa permitti, constat clare, quia deesset princeps in præcipuo munere et debito sui principatus: si enim minora alia vitia permittere non potest, quanto minus ea quæ præcipuam religionis virtutem oppugnant? Unde in Scriptura reprehenduntur reges omnes qui *excelsa* non abstulerunt, hoc est, permiserunt populo sacrificia offerre ritu prohibito, quem sane totis viribus auferre debuissent; et in profanis etiam litteris commendantur qui religionis et pietatis studium politicis omnibus rationibus et negotiis in republica administranda præposuerunt... Quod vero ex gravissima causa liceat etiam aliquando ritus illos illicitos permittere, constat ex regula generali, quod, licet nunquam mala facienda sint ut sequantur bona, aliquando tamen mala permittenda sunt ad vitanda graviora mala. » Lugo. l. c. §. IV, n. 120.

Ad fidem suscipiendam

286. *Quamvis autem infideles non baptizati vi compelli nequeant ad fidem suscipiendam, possunt tamen ad id cogi*

hæretici formales et apostatæ. Hanc doctrinam sic exponit Lugo, disp. XXI. s. 1. n. 5 : « Veritas catholica constanter docet,posse hæreticos baptizatos compelli,et pœnis etiam cogi, ad fidem catholicam recipiendam, ac iisdem pœnis ob hæresis crimen puniri, non solum spiritualibus sed temporalibus etiam, eamque potestatem in Ecclesia ipsa reperiri, quæ quando oportuerit, per se vel per sæculares principes potest eam exercere. » Jam hæc paulo accuratius sunt evolvenda, licet quæstio non unice pertineat ad præsentem materiam; pœnarum enim inflictio non solum medicinalis est sed etiam defensiva et vindicativa.

legitime coguntur

287. Et quidem hujusmodi coactionem esse *legitimam*, patet imprimis exconcilio Toletano IV,can.57 et can 59,ex lib. V Decr.tit.VI de hæreticis, c. *Ad abolendam* et c.*Excommunicamus*, ex art. 14 Joannis Hus in conc. Const. damnato, ex art. 34 Lutheri a Leone X proscripto, etc. Idem constat ex communi doctrina SS. Patrum, inter quos præsertim legi possunt S. Augustinus, epist. XCII (al. XLVIII) ad Vincentium, epist. CLXXXV (al. L) ad Bonifacium, lib. I contra epist. Parm. c. VIII, lib. II retract. c. V ; S. Leo M. epist. VIII ad episcopos per Italiam, epist. XCI ad Marcianum, epist. XCIII ad Julianum Coensem episc.; S. Greg. M. lib. 2, epist. LXXIV (al. LXXII) ad Gennadium; S. Bernardus, serm. LXVI in cant. etc. Cfr. Bellarminus, de Laicis, c. XXI et XXII, Suarez, de fide, disp. XX, s. 3, Lugo, disp. XXI, s. 1, etc.

pœnis spiritualibus ac temporalibus

288. Cogi vero possunt hæretici et apostatæ pœnis tum *spiritualibus* tum *temporalibus*. Et quod attinet ad pœnas spirituales, hæ potissimum enumerantur : a) excommunicatio speciali modo Summo Pontifici reservata : cfr. bulla *Apostolicæ Sedis*, et Gury, tom. 2, n. 972 et 981 ; plura habet Lugo, disp. XXIII, s. 1 — 3; — b) irregularitas, de qua Lugo, l. c. s. 4, n. 119 et sqq.; Suarez, disp. XXI, s. 5. n. 1 et 2 ; — c)

privatio beneficii et officii acquisiti : cfr. Lugo l. c. s. 4. § 2, n. 139-146 ; — d) negatio sepulturæ ecclesiasticæ; cfr. Lugo, l. c. n. 118; tandem e) infamia : cfr. Lugo, l. c. n. 135. Quod deinde pertinet ad pœnas temporales, istæ sunt quæ aliquando inflictæ fuerunt : a) bonorum confiscatio, quæ statuitur lib. V. Decr. tit. 7 de hæreticis, c. *Vergentis* et 6 Decr. lib.V, tit. 2. de hær. c. *Cum secundum leges*, item c. *Manichæos*, etc. Cfr. Lugo. disp. XXIV, s. 1; — b) incarceratio, de qua c. *Excommunicamus ;* cfr. Lugo, l. c. n. 71-73 ; — c) exilium, de quo agit Lugo, l. c. n. 74 ; — d) verberatio et mutilatio ; — imo e) ipsa mors, cujus supplicii legitimitas multis ostendunt Bellarminus, l. c. ; Lugo, disp. XXIV, s. 2 ; Suarez, disp. XXIII, s. 1. etc.

hæretici

289. Ad incurrendas prædictas pœnas non requiritur solum hæresis vel apostasia *formalis*, sed necessaria etiam est hæresis *interna externe verbo vel signo manifestata;* cfr. Lugo, disp. XXIII, s. 1, n. 6 et seqq., nec non s. 2 ; item Suarez, disp. XXI, s. 2, n. 4. Quandonam autem unaquæque ex his pœnis infligatur vel inflicta fuerit, in particulari explicant auctores citati, et, præter eos, Sanchez, de præc. Dec. lib. II, c. 8 et sqq., Castropalao, tr. IV, disp. 3-6, etc. Advertendum adhuc est, puniri ab Ecclesia tum hæreticos ipsos tum eorum *complices*; cfr. bulla *Apostolicæ Sedis*, I, et Lugo, disp. XXV, s. 1 et Castropalao, l. c. disp. 3, pu. 5, ubi exponitur quinam dicantur hæreticis *credentes*, eorumve *receptatores, defensores, fautores*, etc. Advertendum etiam est, latam esse excommunicationem Summo Pontifici reservatam in eos qui docent vel defendunt propositiones ab Ecclesia damnatas, etsi non hæreticas ; cfr. bulla *Apostolicæ Sedis*, I, et Gury, tom. 2, n. 975.

per Ecclesiam et principes seculares.

290. Potestas cogendi hæreticos et apostatas *primario et eminenter competit pastoribus Ecclesiæ, secundario autem principibus etiam sæcularibus.* Ita Suarez, disp. XX, s. 3, n. 22 : « Dico potestatem puniendi hæreticos, etiam tempora-

libus et corporalibus pœnis, jure divino esse in pastoribus Ecclesiæ, et præsertim in Romano Pontifice, quamvis secundario etiam pertineat ad catholicos principes, præsertim ut Ecclesiæ protectores, et juxta ejusdem Ecclesiæ determinationem. » Et rursus, disp. XXIII, s. 1, n. 7, hæc habet in specie de pœna mortis : « Interrogandum occurrit, quis habeat in Ecclesia hanc potestatem, an magistratus civilis vel ecclesiasticus? Nam cum hoc crimen ecclesiasticum sit, omnis potestas illud puniendi ad Ecclesiæ pastores pertinere videtur. Aliunde vero pœna sanguinis et præsertim mortis ab ecclesiasticis viris aliena videtur... Dico ergo hanc potestatem aliquo modo pertinere ad utrumque forum. Verumtamen in magistratu ecclesiastico et præsertim in Pontifice esse principaliter, et eminenti quodam modo; in regibus autem et imperatoribus eorumque ministris esse quasi proxime et cum subordinatione ad spiritualem potestatem. Prior pars constat ex usu Ecclesiæ, quia hæc pœna legibus civilibus lata est et per canones approbatur... Item ratione probatur, quia punitio talis delicti, et correctio hæreticorum, non tantum ad spirituale bonum, sed etiam ad temporalem pacem Reipublicæ christianæ necessaria est, et ideo utraque potestas in ordine ad finem suum hujusmodi pœnam ferre potest. Et ex hac ratione altera pars confirmatur; nam temporalis pax subordinata est spirituali bono Ecclesiæ, et ideo etiam hæc potestas, ut est in principe sæculari, subordinata est spirituali potestati, et in principe temporali est tanquam in exequente et movente, juxta decisionem Bonifacii papæ in Extravagante *Unam sanctam* de majorit. et obedientia, et doctrinam Bernardi de duplici gladio Ecclesiæ et Pontificis, spirituali et temporali; nam spiritualem habet ut per se exercendum, temporalem vero per alium. Et hoc etiam ostenditur ex modo qua jura hujusmodi pœnam ferunt; nam leges civiles illam expresse imponunt et executioni mandare imperant; leges autem canonicæ solum jubent ut hæretici

in casibus ab ipsis designatis sæculari curiæ tradantur. Unde et in hoc limitant leges civiles, principesque sæculares obligare possunt, ut condignam pœnam contra hujusmodi reos ferant, et judices etiam cogere possunt, ut in eis exequendis justitiam servent. » Eodem sensu loquitur Lugo, disp. XIX, s. 2, n. 89: « Princeps sæcularis non habet potestatem cogendi illos (hæreticos) ad fidem, quia non potest judicare de vera fide ; habet tamen potestatem ad hoc sibi communicatam ab Ecclesia, quæ, postquam judicavit de causa fidei et de crimine hæresis, implorat auxilium principis sæcularis, ut hæreticum ab Ecclesia damnatum puniat. Et ex hac eadem potestate leges condit, approbante Ecclesia, statuens pœnas debitas huic crimini ; quæ leges non procedunt a potestate propria ipsius principis, sed ab altiori potestate communicata sibi ab Ecclesia, quæ in hoc negotio utitur principibus tanquam suis ministris; sicut quando prælatus ecclesiasticus, qui simul est princeps temporalis, committit aliquam causam sanguinis alicui judici laico, qui, potestate a prælato accepta, judicat in causa in qua, sine tali potestate, nihil potuisset propria auctoritate decernere. » Item, disp. XXIV, s. 2, n. 38, agens de pœna capitali, fatetur, « hanc potestatem, licet principaliter in Ecclesia ejusque ministris resideat, decentius tamen et convenientius executioni mandari per judices et magistratus laicos, ad quos, licet non spectet cognoscere et judicare de ipsa hæresi (hoc enim spectat ad Ecclesiam, cujus est examinare fidei doctrinam et quæ ei opponi possunt), postquam tamen Ecclesia judicat et damnat hæreticum, eumque tradit sæculari curiæ, ut juxta leges contra ipsum procedat, tum judex laicus, ex consensu Ecclesiæ, damnat eumdem hæreticum ultimo supplicio, et sententiam hanc executioni mandat.» Horum confirmatio sumi potest ex concilio Lateranensi III sub Innocentio III, ubi ita loquitur Pontifex : « Si vero dominus temporalis requisitus et monitus ab Ecclesia suam terram

purgare negligeret ab hæretica fœditate, excommunicationis vinculo innodetur; et si satisfacere contempserit intra annum, significetur hoc Summo Pontifici, ut ex tunc ipse vasallos ab ejus fidelitate denuntiet absolutos, et terram exponat catholicis occupandam, qui eam, exterminatis hæreticis, absque ulla contradictione possideant. »

Ecclesiæ est judicare de crimine hæreseos.

291. Sicut hæreticorum coactio ad Ecclesiam pertinet, ita *eidem competit causæ eorum cognitio seu judicium de crimine hæreseos.* Tale judicium Ecclesia exercuit sive per Episcopos, sive etiam per judices delegatos, qui dicti fuerunt *Inquisitores*, et tribunal constituerunt cui nomen est *Inquisitio*, seu *S. Officium*. Inquisitio vario modo pro variis temporibus et regionibus viguit; et licet ab Ecclesia primario penderet, in ea tamen non minimam aliquando, ex concessione Pontificum et vi specialium conventionum, partem obtinuit auctoritas sæcularis. Cfr. Castropalao, tr. IV, disp. VIII, Lud. de Peramo, de origine et progressu officii Inquisitionis, Héfélé, Histoire du Card. Ximenès, c. 7. Van Espen, Jus eccl. univ. p. 1, tit. 22, et p. 3, tit. 4 c. 2. etc.

292. Relate ad ea quæ de pœnis temporalibus hæreticorum historice potius et speculative quam practice diximus, quædam adhuc remanent adnotanda. Primum, Ecclesiam potestate sua puniendi hæreticos. non uti quando majora mala inde provenirent, puta quia discerni non possunt mali a bonis vel quia extirpatio malorum rixas et pericula probis ipsis excitaret, etc. Cfr Lugo, disp. XXI, s. 1, n.17. — Alterum, Ecclesiam contra hæreticos novas pœnas non excogitasse, sed pœnas contra alia delicta gravia statutas applicasse huic crimini, quod est omnium gravissimum. Cfr. Balmès, le Protestantisme comparé au Catholicisme, tom. II, c. 34. — Tertium, in processibus contra hæreticos adhibitas fuisse regulas in cæteris causis criminalibus usitatas apud diversos populos. — Quartum, abusus qui aliquando in hac materia locum habuerunt,

tribui non posse Ecclesiæ, sed tribui debere vel passionibus hominum vel potestati sæculari, quæ non semper in suis limitibus se continuit.

CAPUT II.

DE FIDEI CONSERVATIONE.

Fidei conservandæ causa

293. Commercium cum infidelibus, sive non baptizatis sive hæreticis, utpote periculosum, Ecclesia semper, quantum fieri potuit, dissuasit; in quo secuta est monita Apostolorum, v. g. Tit. III, 10; 2 Tim. II, 17; 2 Joan. 10 etc.

Ecclesiæ filii avertuntur vel etiam lege positiva prohibentur a conversatione cum infidelibus,

294. Imo non pauca in hac materia positive Ecclesia determinavit. Imprimis matrimonium cum non baptizato contrahendum annullavit, contrahendum cum hæretico prohibuit; matrimonio vero contracto, permisit separationem a conjuge lapso in hæresim vel apostasiam. Cfr. Lugo, disp. XXII, S. 2 et 3, et passim auctores qui de matrimonio scripserunt. Deinde filios baptizatos a consortio patris judæi subtraxit, ut patet ex conc. Tol. IV, c. 59, relato in cap. *Judæorum filios*, XXVIII, q. 1, his verbis: « Judæorum filios vel filias, ne parentum ultra involvantur erroribus, ab eorum consortio separari decernimus. » Cfr. Lugo, disp. XIX, s. 3, n. 68. Præterea prohibuit ne fideles cum Judæis habitarent, c. *Nullus*, et c. *Judæi*, quod est Alexandri III in concilio Læteranensi; — ne ad convivium Judæi accedant, vel Judæum ad sua invitent, c. *Omnes*, ex concilio Agathensi, cap. 40; et conc. Aurel. III, c. 13; — ne azyma Judæorum comedant, c. *Nullus*; — ne in infirmitate Judæos curationis causa advocent, vel ab iis medicinam accipiant, c. *Nullus*, nec non ex bullis Pauli IV, S. Pii V, Gregorii XIII; — ne Judæis famulentur; l. c. — ne mulieres christianæ lactent Judæorum infantes sive in eorum domo sive in domo propria. Cfr. Lugo, disp. XXII, S. IV, n. 112 et sqq. Suarez, disp. XVIII, s. 6, etc.

295. Simili præservationis fine avertuntur fideles a *lectione*

et a lectione librorum de religione perverse tractantium.

librorum de Religione perverse tractantium. Hujusmodi enim lectio perniciosa esset multis, qui verum a falso non satis distinguunt, nec adversus omnis generis sophismata valent se tueri. Hinc multa Ecclesia sapienter statuit de operum revisione, licentia edendi, indice, etc. de quibus alibi agitur; consuli interim possunt Bellarminus lib. III de laicis, c. XX; Suarez, disp. XX, s. 2 ; Lugo disp. XXI, s. 2 ; Perrone, de Fide, n. 578 et seqq. ; Gretzerus, de jure et more prohibendi libros ; Th. Raynaudus, erotemata de bonis ac malis libris ; Zaccaria, historia polemica prohibitionis librorum; Scotti, theoremata politicæ christianæ ; S. Alphonsus, Heymans, etc.

Rejicienda est libertas pro libitu loquendi et docendi

296. Propter eamdem rationem in republica christiane constituta stricte prohibendum est ne verbo, scripto aliove quocumque medio fides impugnetur vel errores contra eam propagentur : adeoque *omnino rejicienda est prætensa libertas pro libitu loquendi et docendi.* Auctoritas enim civilis non minus quam domestica, protegere ac defendere tenetur omnia subditorum bona, ac præ cæteris fundamentale illud et præstantissimum fidei donum. Ita S. Augustinus, contra Cresconium, lib. III, n. 57 : « In hoc reges, secundum quod divinitus eis præcipitur, Deo serviunt in quantum sunt reges, si in regno suo bona jubeant, mala prohibeant, non solum quæ pertinent ad humanam societatem, verum etiam quæ ad divinam religionem. Frustra dicis : relinquar libero arbitrio. Cur enim non in homicidiis et in stupris, et in quibuscumque aliis facinoribus et flagitiis, libero arbitrio dimittendum esse proclamas ? Quæ tamen omnia justis legibus comprimi utilissimum et saluberrimum est. » Ita etiam S. Hieronymus, ad Gal. V, in verba *Modicum fermentum totam massam corrumpit*, scribit : « Doctrina perversa ab uno incipiens vix duos aut tres primum in exordio reperit auditores ; sed paulatim ut cancer serpit in corpore, et juxta vulgare proverbium, unius pecudis scabies totum commaculat gregem. Igitur et scintilla

statim ubi apparuerit extinguenda est, et fermentum a massa vicina semovendum, secandæ putridæ carnes, et scabiosum animal a caulis ovium repellendum, ne tota domus, massa, corpus et pecora ardeat, corrumpatur, putrescat, intereat. Arius in Alexandria una scintilla fuit, sed quia non statim oppressa est, totum orbem ejus flamma populata est. »

297. Exigit etiam fidei necessaria conservatio ac defensio ut populis catholicis, absque gravissima causa, non præficiantur in civilibus ethnici vel hæretici; possent enim tales sua auctoritate abuti, sicut factum esse experientia constat, ad subditos suos seducendos. Huc pertinent c. *Nulla officia* dist. LIV, ex conc. Tol. III, et c. *Constituit* XVII, qu. IV, ex conc. Tol. IV, item c. *Cum sit nimis*, de Judæis. Cfr. Suarez, de Censuris, disp. XV, s. 6, Defensio Fidei, lib. VI, c. 6. Lugo, disp. XIX, s. 3, n. 155 et sqq. Duperron, Harangue au tiers Estat etc.

necnon omnimoda jurium æqualitas inter cives, absque respectu adreligionem.

298. Consequenter nedum admitti possit illa *æqualitas* inter omnes cultus, quam nunc prædicant, nec mera falsarum religionum *tolerantia* licita est nisi ex gravissimis motivis. Motiva autem illa sunt, præter impotentiam aliter agendi, *spes majoris boni* ex tolerantia obtinendi vel *timor mali majoris* ex severitate secuturi; quod bonum vel malum intelligitur non civile et politicum sed religiosum. Ita Becanus, in Manuali controversiarum, lib. V, c. 16, n. 10-13 : « Concludo, principem catholicum in tribus casibus posse permittere seu tolerare hæresim in sua civitate vel provincia. Primo, quando non potest impedire. Secundo, quando ex permissione speratur majus bonum. Tertio, quando ex permissione evitatur majus malum, quod aliter evitari non potest. Aliquando concurrunt hi tres casus, aliquando separati sunt. Singulos explicabo. Primus est, quando princeps non potest impedire hæresim; ut si in aliqua civitate aut provincia sint multo plures et potentiores hæretici quam catholici; et sint tam pertinaces ut

imo et mera sectarum tolerantia, nisi gravissimæ causæ aliter fieri postulent.

non possint, nisi vi coacti ab exercitio cohiberi. — Secundus est, quando ex permissione speratur majus bonum; ut si princeps catholicus posset quidem vi coercere hæreticos, sed tamen putet mitius agendum esse, ex duplici capite. Primo, quia videt catholicos, qui vivunt inter hæreticos, ex pia quadam æmulatione fieri quotidie ferventiores in sua fide ac religione; et non solum in moribus et observatione mandatorum Dei proficere, sed etiam magis ac magis ad doctrinam fidei nostræ explicandam et propugnandam excitari. Secundo, advertit etiam ipsos hæreticos ex illo catholicorum fervore paulatim accendi et catholicis aggregari... — Tertius est, quando ex permissione et tolerantia hæresis, evitatur majus malum, quod aliter evitari non potest; ut si princeps catholicus vellet quidem impedire vel coercere hæreticos in sua provincia, sed, si tentaret, ipsi cum vicinis populis ac principibus hæreticis conspiraturi essent, et, impetu facto, catholicos oppressuri. Tunc enim esset consultius permittere seu tolerare hæreticos permixtos cum catholicis quam cum tanto dispendio et jactura, illos irritare. Recta ratio hoc exigit. Extra hos casus non potest catholicus princeps permittere seu tolerare hæreticos in sua provincia vel civitate. Itaque peccant illi gravissime, qui, vel ex mera negligentia permittunt illos sensim irrepere, vel spe lucri temporalis libenter eos tolerant, ut fieri solet in quibusdam magnis emporiis, ubi et Hæretici et Turcæ et Mauri tolerantur ratione mercaturæ; vel qui propter favorem, cognationem, affinitatem, aut similem respectum humanum non volunt eos offendere aut impedire, quod vitium late diffusum est. » Cfr. ejusdem summa theologiæ, de fide, c. XVI, et Lugo, disp. XIX, S. 2, s. IV, n. 120 et sqq.

299. Non solum ex gravibus motivis tolerari possunt ethnici et hæretici ac apostatæ, sed etiam quandoque licet de hac tolerantia cum illis *pacisci, eamque promittere,* imo et *jurare,*

quod tamen fieri nequit nisi magna cum circumspectione et cautela, et de consensu Ecclesiæ. Cui promissioni semel præstitæ emissoque juramento, fideliter standum est. « Ratio autem est, quia totum id quod sine peccato fieri potest, potest etiam promitti, et servari debet, si promissum sit. Potest autem sine peccato impunitas dari hæreticis, imo expedit et necesse est plerumque ita fieri et promitti promissione obligante: alioquin spe omnino abjecta, non auderent unquam hæretici fidere Ecclesiæ, ut ad concilia vel loca catholica accederent ad examinandam suam fidem, et conferendam cum nostra, quo remedio ablato, occluditur aditus eorum reductioni. Necesse ergo est ad bonum commune religionis quod Ecclesia possit se obligare ad fidem hæreticis servandam, quam semel datam violare non liceat. » Lugo, disp. XIX, s. 2, n. 124 et sqq. Cfr. Hurtado, de Fide, disp. LXXIX, s. 5, Tanner, disp. I de Fide, q. IX, dub. III et IV ; J. Marquez, de Gubernatore christiano, c. XXIV ; Molanus, Swertius, et Rosweydus, de fide hæreticis servanda; Becanus Man., l. c. c. XIV et XV, et in Theologia, l. c. aliique apud Tanner relati ibid. n. 65.

Pactum de tolerantia et libertate cum hæreticis initum fideliter servandum est.

300. Ex præcedentibus satis refelluntur errores quibus constat hodiernus liberalismus. Huc pertinent propositiones Syllabi 77-79 : « Ætate hac nostra non amplius expedit religionem catholicam haberi tanquam unicam status religionem, cæteris quibuscumque cultibus exclusis. » — « Hinc laudabiliter in quibusdam catholici nominis regionibus, cautum est, ut hominibus illuc immigrantibus liceat publicum proprii cujusque cultus exercitium habere. » — « Enimvero falsum est civilem cujusque cultus libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos, ac indifferentismi pestem propagandam. » Et in encycl. *Quanta Cura* confixit Pius IX propositiones eorum qui docent: « Optimam societatis

Falsitas liberalismi catholici.

publicæ rationem, civilemque progressum omnino requirere, ut humana societas constituatur et gubernetur, nullo habito ad religionem respectu ac si ea non existeret, vel saltem nullo facto veram inter falsasque religiones discrimine.» — «Optimam esse conditionem societatis, in qua imperio non agnoscitur officium coercendi sancitis pœnis violatores catholicæ religionis, nisi quatenus pax publica postulet.» — «Libertatem conscientiæ et cultuum esse proprium cujuscumque hominis jus, quod lege proclamari et asseri debet in omni recte constituta societate, et jus civibus inesse ad omnimodam libertatem, nulla vel ecclesiastica vel civili auctoritate coarctandam, quo suos conceptus quoscumque manifestare ac declarare valeant.» Præiverat Gregorius XVI in encycl. *Mirari vos*, hisce verbis : « Atque ex hoc putidissimo indifferentismi fonte absurda illa fluit ac erronea sententia seu potius deliramentum, asserendam esse ac vindicandam cuilibet libertatem conscientiæ. Cui quidem pestilentissimo errori viam sternit plena illa atque immoderata libertas opinionum, quæ in sacræ ac civilis rei labem late grassatur, dictitantibus per summam impudentiam nonnullis, aliquid ex ea commodi in religionem promanare. At quæ pejor mors animæ quam libertas erroris ? inquiebat Augustinus. » Idem inculcaverat Pius VI in epistola ad cardinalem la Rochefoucault cæterosque prælatos conventus Constitutionis in Gallia.

Monita Pii IX. 301 Conclusionis loco liceat referre gravissima verba a Pio IX die 8 maii 1873 directa ad fœderationem circulorum catholicorum in Belgio : « Illud maxime commendamus, quod, uti fertur, aversemini prorsus principia *catholico-liberalia*, eaque pro viribus e mentibus eradere conemini. Qui enim iis sunt imbuti, licet amorem præferant et observantiam in Ecclesiam, licet ei tuendæ ingenium operamque impendere videantur; doctrinam tamen ejus et sensum pervertere nituntur, et, pro diversa animorum cujusque compa-

ratione, inclinare in obsequium vel Cæsaris vel assertorum falsæ libertatis jurium, rati hanc omnino ineundam esse rationem ad auferendam discordiarum causam, ad conciliandum cum Evangelio præsentis societatis progressum, ad ordinem tranquillitatemque restituendam; perinde ac si lux cum tenebris copulari valeret, et veritas natura sua non privaretur vix ac violenter inflexa nativo rigore suo exuatur. Profecto si oppugnare nitamini insidiosum hunc errorem, eo periculosiorem aperta simultate quo speciosiore zeli caritatisque velo obducitur, et simplices ab eo retrahere sedulo curetis, funestam extirpabitis dissidiorum radicem, efficacemque dabitis operam compingendæ fovendæque animorum conjunctioni. Hisce profecto monitis vos non indigetis, qui adeo obsequenter et absolute adhæretis documentis omnibus hujus Apostolicæ Sedis, a qua liberalia principia toties reprobata vidistis; sed ipsum desiderium expeditioris et uberioris proventus laborum vestrorum, nos compulit ad refricandam vobis rei adeo gravis memoriam. »

LIBER II.

DE SPE.

PROŒMIUM.

DE SIGNIFICATIONE VOCIS.

Spes in sensu proprio est

302. Spes generatim a S. Thoma 1. 2. q. 40, a. 2, definitur *motus appetitivæ virtutis, consequens apprehensionem boni futuri, ardui, possibilis adipisci, scilicet extensio appetitus in hujusmodi objectum.*

303. Juxta hanc definitionem theologi plerique, ad spem constituendam, varias in objecto *conditiones* et in actu *formalitates* exigunt.

boni futuri, ardui, et possibilis

304. Et quidem conditiones sunt ut objectum sit a) *bonum*, quia spes est actus prosecutionis ; b) *absens* seu *futurum*, quia spes non habet se per modum quietis in bono possesso, sed per modum tendentiæ ad bonum possidendum ; c) *arduum* ac *difficile ;* quia, sicut non timetur malum quod nullo negotio evitare vel depellere licet, ita nec sperare quis dicitur res minimas ac facillimas, quas obtinere, statim, ut voluerit, in potestate habet ; d) obtentu *possibile* et *probabiliter* obtinendum, quia, quod quis cognoscit a se vel nullatenus obtineri posse vel certo non obtentum iri, id sperare nisi imprudenter nequit. Ita S. Thomas 1. 2, q. 40, a. 1. « Circa objectum spei quatuor conditiones attenduntur. Primo, quod sit bonum ; non enim proprie loquendo est spes nisi de bono ; et per hoc differt spes a timore, qui est de malo. Secundo, ut

sit futurum ; non enim spes est de præsenti jam habito, et per hoc differt spes a gaudio, quod est de bono præsenti. Tertio requiritur, quod sit aliquid arduum, cum difficultate adipiscibile ; non enim aliquis dicitur aliquid sperare minimum, quod statim est in sua potestate ut habeat ; et per hoc differt spes a desiderio, vel cupiditate, quæ est de bono futuro absolute. Quarto, quod illud arduum sit possibile adipisci ; non enim aliquis sperat id quod omnino adipisci non potest ; et secundum hoc differt spes a desperatione. »

desiderium efficax

305. His autem objecti conditionibus quadruplex etiam formalitas in actu spei correspondet. Imprimis nempe spes supponit vel involvit *amorem concupiscentiæ*, quo sperans fertur in objectum tanquam in bonum proprium ac beatificans ; nam, ut recte S. Thomas 2. 2. q. 17, a. 7 : « Spes et omnis appetitivus motus ex amore derivatur... Amor autem quidam est perfectus, quidam imperfectus. Perfectus quidem amor est, quo aliquis secundum se amatur, ut puta cum aliquis secundum se vult alicui bonum, sicut homo amat amicum. Imperfectus amor est, quo quis amat aliquid, non secundum ipsum, sed ut illud bonum sibi proveniat, sicut homo amat rem quam concupiscit. Primus autem amor pertinet ad charitatem, quæ inhæret Deo secundum seipsum. Sed spes pertinet ad secundum amorem : quia ille qui sperat, aliquid sibi obtinere intendit. » Deinde comprehendit *desiderium*, cum spes sit motus voluntatis tendens ad consecutionem boni nondum habiti. Præter hæc ad spem requiritur quædam *erectio animi*, seu efficacia volitionis et conatus voluntatis, non obstante difficultate prosequendi bonum et media ad illud consequendum adhibendi : « Spes enim, ait S. Thomas, supra desiderium addit quemdam conatum, et quamdam elevationem animi, ad consequendum bonum arduum, » 1. 2. q. 25, a. 1. Tandem spes dicit *fiduciam* seu *alacritatem animi* conjunctam cum certitudine aut

et exspectatio fiducialis;

quiete saltem et exclusione timoris inordinati, ne difficultates reipsa non superentur, et bonum desideratum non obtineatur ; quia absque fiducia eaque prudenter concepta spes in temeritatem vel audaciam degeneraret, vel certe languida foret ac prorsus excideret. Cfr. Wirceburgenses, n. 229, Platel, n. 302. Hæc omnia alii sic brevius complexi sunt : « Sperare est optare sibi aliquod bonum, et confidere se illud obtenturum. Hinc spes dicit duos actus, desiderium efficax, et confidentiam sive erectionem animi sibi quasi spondentis, quod bonum illud sit obtenturus. Cfr. Lacroix, lib. II, n. 118.

improprie autem et secundario nomine spei significatur, vel res sperata,

306. Cum hac significatione propria ac primaria connexæ sunt quædam aliæ significationes impropriæ et secundariæ. Videlicet nomine spei aliquando intelligitur res sperata, quo sensu scribit Apostolus, ad Tit. II, 13 : *Exspectantes beatam spem* ; aliquando autem causa sive primaria sive secundaria cui spes innititur, juxta ps. LX, 4 : *Quia factus es spes mea turris fortitudinis* ; interdum vero quævis exspectatio futuri, quo sensu Tullius, lib. I ad Atticum, dicit *spem malorum*, et Virgilius *sperare dolorem*. Cfr. S. Augustinus, Ench. c. VIII.

vel causa spei, vel quævis exspectatio futuri.

Tractationis partitio.

307. Quæ hic a nobis disserenda sunt, versantur circa solam spem theologicam ; inquiremus autem de ejus natura, honestate et necessitate, nec non de vitiis ipsi oppositis.

DE SPE THEOLOGICA.

PARS I.

DE NATURA SPEI THEOLOGICÆ.

308. Spes theologica est *virtus supernaturalis qua, propter divinam bonitatem respectivam, omnipotentiam auxiliatricem, et fidelem promissionem, certa cum fiducia a Deo exspectamus tum æternam beatitudinem, quæ in Dei fruitione consistit, tum media ad eam consequendam ;* dici etiam posset virtus supernaturalis qua voluntas fertur in Deum quatenus est beatitudo nostra, ex fidelissima promissione divina per media ordinata obtinenda. Cfr. Perrone, de Spe, n. 7-11. Quæ in hac definitione continentur, distinctius nunc explicabimus agendo de spe, primum quatenus est *actus* et deinde quatenus est *habitus*. Definitio virtutis spei.

—

CAPUT I.

DE NATURA ACTUS SPEI THEOLOGICÆ.

309. Actus spei theologicæ est efficax desiderium et fiducia certa perveniendi ad perfectam Dei possessionem per media a Deo obtinenda, eo quod Deus sit summum bonum nostrum, auxiliator omnipotens, et fidelis in promissis. Quibus verbis breviter indicantur actus fidei *subjectum*, *objectum materiale*, *motivum* seu *objectum formale* et *proprietates*, de quibus successive aliquid dicemus. Actus spei definitio.

ARTICULUS I.

DE SUBJECTO ACTUS SPEI.

Spes non est formaliter actus intellectus

310. *Spes ex nullo capite dici potest actus intellectus* : non quidem ratione *desiderii*, utpote cujus modus tendendi, scilicet prosecutivus, et objectum formale, nempe bonitas, plane discrepat a modo tendendi expressivo et motivo intellectionis seu veritate ; nec ratione *erectionis animi*, utpote quæ actus est appetitus irascibilis generose assurgentis contra arduitatem boni, et oppositus tam timori quam desperationi : qui actus duo postremi, cum, omnibus fatentibus, ad voluntatem pertineant, spem quoque illuc referri necesse est ; nec denique ratione *fiduciæ* aut *firmitatis*, tum quia prior spei formalitas non est intellectualis, sive vivax tantum persuasio aut fides de bono possibili, sed affectiva et alacris volitio boni illam intellectualem persuasionem præsupponens ; tum quia firmitas spei ac certitudo non est formalis, seu affirmandi et negandi, sed illativa, aut, ut S. Thomas 2. 2. q. 18, a. 4 ait, participata, et competens voluntatis actibus, quatenus his et ad bonum immobiliter ferimur, et contra difficultates in eo consequendo erigimur. Cfr. Wirceburgenses, n. 232.

sed voluntatis;

311. *Igitur spes theologica proxime pertinet ad voluntatem*, prout explicat S. Thomas. 2. 2. q. 18, a. 1. « Actus spei est quidam motus appetitivæ partis, cum sit ejus objectum bonum. Cum autem sit duplex appetitus in homine, sc. appetitus sensitivus, qui dividitur per irascibilem et concupiscibilem, et appetitus intellectivus, qui dicitur voluntas.., illi motus qui sunt in appetitu inferiori sunt cum passione, in superiori autem sine passione... Actus autem virtutis spei non potest pertinere ad appetitum sensitivum, quia bonum, quod est objectum principale hujus virtutis, non est aliquod bonum

sensibile, sed bonum divinum. Et ideo spes est in appetitu superiori qui dicitur voluntas sicut in subjecto, non autem in appetitu inferiori ad quem pertinet irascibilis. » Cfr. Suarez, de Spe, disp. I, S. 2.

312. Itaque perperam doctores quidam catholici arbitrati sunt spem esse vel actum solius intellectus vel saltem potentiæ hujus non minus quam voluntatis. In eorum scilicet sententia, quæ cæteroquin differt ab errore protestantium, spem cum fide confundentium, «fides fundatur in veritate Dei, spes in fidelitate : sicut autem hæc duo attributa distinguuntur in Deo, ita virtutes et judicia quæ illis nituntur : unde ad fidem spectat judicare Deum non mentiri in his quæ affirmat, quia est prima veritas ; spei vero est judicare Deum futurum fidelem in suis promissionibus. » Suarez, l. c. n. 3.

error quorumdam catholicorum.

ARTICULUS II.

DE OBJECTO MATERIALI ACTUS SPEI.

313. Materiale spei objectum, seu res quæ speratur, bifariam secernitur, *primarium* nempe ac principale, et *secundarium*.

Objectum spei

314. *Primarium et principale spei objectum materiale est Deus tanquam summum bonum ab homine possidendus illumque perfecte beatificans.* Id constat imprimis ex sacris litteris; v. g. Gen. XV, 1 ; Tob. II, 18 ; Math. VI, 33 ; Rom. V, 2, Tit. II, 13 ; Heb, VI, 19, 1 ; Joann. III, 2, etc : *Ego merces tua magna nimis. — Filii sanctorum sumus, et vitam illam exspectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo. — Quærite ergo primum regnum Dei. Exspectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei.* Constat etiam ex doctrina SS. Patrum, inter quos ita S. Augustinus, lib. XXII de Civitate Dei, c. 30 : « Præmium virtuti erit ipse qui virtutem dedit, eique seipsum, quo melius et

primarium est Deus possidendus;

majus nihil possit esse, promisit. » His autem consonant Scholastici cum S. Thoma 2. 2. q. 17, a. 2: « Non enim minus aliquod ab eo sperandum est quam sit ipse, cum non sit minor ejus bonitas, per quam bona creaturæ communicat, quam ejus essentia; et ideo proprium et principale objectum spei est beatitudo æterna. » Ratio autem est, quia illud dici debet objectum spei nostræ primarium, quod est præcipuum bonum nobis promissum, et ad quod opera omnia nostra ordinantur; tale autem sine ulla controversia est Deus et nostra beatitudo : ergo, etc.

secundarium autem media ad beatitudinem ordinata.

315. *Secundarium spei objectum materiale sunt omnia adjumenta quæ ad Dei possessionem æternamque beatitudinem ordinantur;* ejusmodi autem imprimis sunt supernaturalia gratiæ auxilia quibus mens hominis illustratur, excitatur, corroboratur ad veritatem cognoscendam, ad exercendam virtutem, ad vincendas cupiditates, ad peccata declinanda; tum etiam temporalia subsidia ad hanc vitam sustentandam ac tuendam necessaria, quatenus ad eumdem beatitudinis æternæ finem aliquomodo referuntur. Cfr. Suarez, disp. 6, s. 1, n. 7.

316. Ex quibus recte infertur, Deum, ut est beatitudo nostra, posse quadantenus dici objectum adæquatum materiale spei, quatenus scilicet reliqua omnia ad consecutionem hujus boni referuntur; etsi sub alia etiam ratione omne bonum supernaturale, vel quod ex supernaturali providentia nobis a Deo confertur, possit quodammodo dici materia adæquata spei. Cfr. Suarez, l. c. n. 8 ; Perrone, op. cit. n. 18.

ARTICULUS III.

DE MOTIVO ACTUS SPEI.

Motivum spei adæquatum reponendum est

317. Cum actus spei sit virtualiter seu æquivalenter multiplex, inde sequi videtur posse ac debere ei assignari *diversas rationes formales*, quæ *unum motivum completum et ædæquatum* constituant.

318. *Imprimis ad objectum formale seu motivum spei theologicæ pertinet partialiter bonitas Dei respectiva.* Ideo enim Deum appetimus ut beatitudinem nostram, quia ipsum infinite bonum agnoscimus, atque ea quidem bonitate quæ diffusiva est, communicabilis, constituitque creaturarum rationalium perfectionem. Hoc clare docet S. Thomas 1. 2. q. 25, a. 3, ubi sic habet : « Spes est motus in bonum secundum rationem boni, quod de sua ratione est attractivum ; » item 2. 2. q. 17, a. 4 : « Bonum quod aliquis sperat habet rationem causæ finalis. » in bonitate Dei respectiva,

319. *Virtus Dei auxiliatrix, seu potius Deus, ut auxiliator omnipotens et misericors, etiam pertinet ad objectum formale spei theologicæ.* Colligitur manifestissime ex sacris litteris, v. g. Gen. XV, 1. ps. XII, 6, XVII, 3, LI, 10; Is. XXVI, 4, 2 Reg. XXII, 3 etc : *Deus meus adjutor meus et sperabo in eum. — Ego autem in misericordia tua speravi. — Sperastis in Domino Deo forti*; etc. Et sane hæc virtus, ratione omnipotentiæ præstat ut victoria difficultatum sit absolute possibilis, ratione misericordiæ autem, ut illa etiam sit nobis proxime possibilis ; unde interogatus quis, cur speret beatitudinem obtentu quantumvis difficilem, respondet : quia Deus potens valet auxilium ferre, et misericors paratus est ad ferendum auxilium ; sicut æger ad quæstionem, cur sanitatem vehementer afflictam reparandam nihilominus speret, reponit : quia præsto est medicus peritus et ad medicinam salubrem dandam paratus. Ita S. Th. in quæst. disp., q. unic. de spe, art. 1 : «Sicut formale objectum fidei est veritas prima, ita etiam formale objectum spei est auxilium divinæ potestatis et pietatis, propter quod tendit motus spei in bona sperata, quæ sunt materiale objectum. » Et a. 4 : « Spei autem, secundum quod est virtus theologica, objectum formale est auxilium divinum, cui inhæret. » virtute auxiliatrice

320. *Demum ad objectum formale spei theologicæ pertinet*

et fideli promissione.

fidelitas Dei in promissis, seu omnipotentia ac misericordia Dei per promissionem obligata. Spes enim, ratione fiduciæ, dicit firmitatem et certitudinem, indeque ad Heb. VI,19 vocatur *anchora tuta ac firma;* Tridentinum vero docet «omnes debere in auxilio Dei spem firmissimam ponere »: sed hujus firmitatis motivum in Scriptura assignatur fidelitas Dei in promissis, ibid. X, 23 : *Teneamus fidei nostræ confessionem indeclinabilem ; fidelis enim est qui repromisit ;* et ad Tit.:I,2 : *In spem vitæ æternæ, quam promisit, qui non mentitur, Deus.*

321. *Hinc objectum formale spei adæquatum est Deus ut bonus, ut auxiliator omnipotens ac misericors et ut promissor fidelis :* sicut enim pro fidei motivo auctoritatem Dei et revelationem simul statuimus, sic, præter fidelitatem, etiam promissionem divinam hic in complementum motivi fiduciæ adjungendam censemus.

Qua ratione spes nostra innitatur in meritis Christi,

322. Licet Deus solus, modo explicato, sit objectum formale spei nostræ, ad eam tamen etiam conferunt, tanquam *fundamentum mediatum, merita Christi ;* siquidem eorum intuitu nobis dentur quæcumque dantur, et in ipsius nomine jubeamur petere, quidquid petimus. Cfr. Suarez, de gratia, lib. VIII, c. 18, n. 4.

precibus Sanctorum,

323. Præterea *causam aliquam secundariam confidentiæ præbere possunt ac debent intercessio sanctorum in cœlis et mutuæ justorum in terris preces.* De qua re ita S. Thomas 2. 2. q. 17, a. 4 : « Spes respicit beatitudinem æternam, sicut finem ultimum ; divinum autem auxilium sicut primam causam inducentem ad beatitudinem. Sicut ergo non licet sperare aliquod bonum præter beatitudinem, sicut ultimum finem, sed solum sicut id quod est ad finem beatitudinis ordinatum ; ita etiam non licet sperare de aliquo homine vel de aliqua creatura sicut de prima causa movente in beatitudinem. Licet autem sperare de aliquo homine vel de aliqua creatura sicut de agente secundario et instrumentali, per quod aliquis adjuvatur ad quæcumque bona consequenda in beatitudine ordinata.

Et hoc modo ad Sanctos convertimur, et ab hominibus etiam aliqua petimus. »

et bonis operibus nostris.

324. Demum « *confidere aliquo modo possumus in nostris bonis operibus*, quatenus nempe ea ex Dei gratia proficiscuntur, ideoque et ipsa Dei dona sunt et media misericorditer ordinata ad vitam æternam, sicuti docet S. Augustinus, de gratia et libero arbitrio, c. VI, et Tridentinum sess. VI, c. 16 : « Licet bonis operibus in sacris litteris tanta tribuantur, absit tamen ut christianus homo in seipso vel confidat vel glorietur, et non in Domino, cujus tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita quæ sunt ipsius dona ; » si quidem id magis exaltat Dei misericordiam et Christi merita, quod eorum virtute consequamur, ut et ipsi salutem nostram ministerialiter operemur. Qua simili ratione egregie notavit S. Thomas, 2. 2. q. 25, a. 1 ad 3, in homine justo aut beato sperare nos posse, « non sicuti in principali auctore salutis sed sicuti in adjuvante ministerialiter sub Deo. » Qui enim ita confidit in creatura, quatenus est instrumentum, sive medium salutis nostræ a Deo assumptum, is in Deo potius confidit ; sicuti qui homines amat propter Deum, et in eorum salute lætatur propter gloriam Dei, is Deum ipsum potius amat. » Laymann, de Spe, c. 1, n. 7 ; cfr. Valentia, dis. II, q. 1 de Spe, pu. 1 ; Wirceburgenses, n. 284.

ARTICULUS IV.

DE PROPRIETATIBUS ACTUS SPEI.

325. Inter actus spei proprietates una tantum est quæ hic explicanda occurrit, scilicet *certitudo* ; cæteræ enim, v. g. *supernaturalitas* et *libertas* nullam difficultatem præbent. Cfr Ripalda, disp. XXV, s. 1.

Quænam certitudo et firmitas actui speiconveniat

326. Advertendem autem est, certitudinem duplicem distingui : aliam, *infallibilitatis* seu indefectibilitatis a vero, alteram *firmitatis* seu indubilitatis. Prior *formaliter* nequit haberi in actu spei et ratione sui, sed denominative tantum et

participative ab actu intellectus, a quo dirigitur, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 18, a. 4, hisce verbis : « Certitudo invenitur in aliquo dupliciter, scilicet essentialiter et participative : essentialiter quidem invenitur in vi cognoscitiva; participative autem in omni eo, quod a vi cognoscitiva movetur infallibiliter ad finem suum. » Atque hæc spei certitudo participata vocari etiam potest *infrustrabilitas*. Posterior, quantum *præcise* dicit firmitatem et adhæsionem actus ad suum objectum, non actibus duntaxat intellectus sed et voluntatis convenit, cum hoc uno discrimine, quod *firmitas intellectus* excludat *dubium* et fluctuationem intellectus, *voluntatis* autem *firmitas*, *timorem* ac voluntatis fluctuationem. Præterea, cum spei certitudo ex actu intellectus prævio dependeat, adverti debet, circa objectum materiale spei duplicem Dei promissionem haberi, alteram *absolutam* de auxiliis supernaturalibus saltem sufficientibus, alteram *conditionatam* de beatitudine adultis conferenda, si nempe hi serio et efficaciter auxiliis ejusmodi cooperentur; atque hinc illam promissionem essentialiter esse infrustrabilem, hanc vero sæpius frustrari, non quidem ex defectu infallibilitatis et virtutis divinæ, sed ex hominis defectu, nec positæ ab eo conditionis. Porro secundum hæc, catholici omnes distinguunt tum inter objectum spei, tum inter ejus certitudinem, quantum respicit vel Deum vel nos ; cum e contra Novatores, qui existimant fidem esse certam animi fiduciam, qua unusquisque indubitanter sibi applicat promissiones futuræ beatitudinis generatim factas, statuant unicuique firmiter esse sperandum, seu in erronea eorum phrasi, credendum, se esse ex numero prædestinatorum ac certo salvandum.

Spes firma ac certa exparte Dei

327. Asserimus itaque, *actum spei theologicæ, quantum ex parte Dei, esse summe certum seu infrustrabilem, et summe firmum seu excludentem omnem timorem.*

328. Prima pars assertionis, scilicet actum spei, quantum ex

parte Dei, esse summe certum seu infrustrabilem, colligitur evidenter ex sacris litteris, v. g. Ps. XXIV, 3; Eccli. II, 11; Rom. V, 5 ; 2 Tim. I, 12, etc. : *Qui sustinent te, non confundentur. — Scitote, quia nullus speravit in Domino, et confusus est. — Spes non confundit.— Scio cui credidi, et certus sum, quia potens est, depositum meum servare.* Unde sic arguere licet : si spes ex parte Dei non foret summe certa, suo quandoque frustraretur effectu aut saltem frustrari posset, casu nempe quo Deus creaturis suis deesset, adeoque spes confunderet, et confunderentur ii qui sperant in Domino, nec Apostolus certus esse potuisset : quod repugnat citatis textibus ; ergo, etc. Confirmatur : actus voluntatis est denominative et participative certissimus, qui dirigatur ab actu intellectus summe certo ac infallibili; sed actus spei theologicæ, in ordine ad Deum spectatus, dirigitur ab ejusmodi actu intellectus, scilicet a fide divina, qua sperans credit Deum absolute quidem collaturum auxilia sufficientia, et conditionate beatitudinem; tum quia spes supernaturalis ab eadem fide connaturaliter dependet, secundum illud Heb. XI, 1 : *Est autem fides sperandarum substantia rerum;* tum quia hoc ipso quod Deus aliquid promisit, potest homo ac tenetur credere rem promissam esse futuram, vel absolute vel conditionate, prout sensus est promissionis ; ergo, etc.

329. Altera pars assertionis, scilicet actum spei, quantum ex parte Dei, esse summe firmum, seu excludentem omnem timorem, etiam colligitur ex sacris litteris, v. g. ps. CXXIV, 1; Heb. VI, 18 : *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion : non commovebitur in æternum. — Per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut ancoram habemus animæ tutam ac firmam.* Unde concilium Tridentinum Sess. VI, c. 13, inquit : « in Dei auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes debent;»

firmitas autem ejusmodi deliberatum saltem timorem non compatitur. Confirmatur : ille actus est « affective et appretiative super omnia firmus, qui habet motivum formale super omnia infallibile; desumit enim firmitatem a motivo cui innititur ; sed actus spei theologicæ habet tale motivum formale, ergo, etc. Adde paritatem cum fide, de qua S. Thomas 2. 2. q. 17, a. 6 : « Spes autem et fides faciunt hominem inhærere Deo, sicut cuidam principio, ex quo aliqua nobis proveniunt. De Deo autem provenit nobis et cognitio veritatis et adeptio perfectæ bonitatis.Fides ergo facit hominem Deo adhærere,in quantum est nobis principium cognoscendi veritatem : credimus enim ea vera esse quæ nobis a Deo dicuntur. Spes autem facit Deo adhærere, prout est nobis principium perfectæ bonitatis, in quantum scilicet per spem divino auxilio innitimur ad beatitudinem obtinendam. »

non ex parte nostra.

330. Asserimus deinde, *actum spei theologicæ, quantum ex parte nostra, et prout involvit absolutam exspectationem beatitudinis, seclusa speciali revelatione divina, nec esse summe certum vel participative infrustrabilem, nec summe firmum vel excludentem timorem.*

331. Prior pars assertionis, nempe spem, quantum ex parte nostra, non esse summe certam, colligitur ex sacris litteris, v. g. Eccles IX, 1, 1 Cor. X, 12 : *Nescit homo utrum amore, an odio dignus sit : sed omnia in futurum servantur incerta. — Qui se existimat stare, videat, ne cadat.* Ergo cum absolutus nostræ salutis eventus dependeat ex fidei et gratiæ perseverantia, aliisque nostris meritis per modum *conditionis* ad coronam gloriæ requisitis, sicut de his certi et infallibiles non sumus, sic nec spes nostra est infrustrabilis. Unde conc. Trid. sess.VI, c. 12, ita habet : « Nemo, quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinæ prædestinationis mysterio usque adeo præsumere debet, ut certo statuat se omnino esse in numero prædestinatorum... Nam, nisi ex speciali revela-

tione, sciri non potest quos Deus sibi elegerit. » Et can. 16 : « Si quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certo habiturum, absoluta et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, anathema sit. » Confirmatur : promissio divina de danda nobis beatitudine, seclusa speciali revelatione, est solum conditionata, et quidem sub conditione fallibili; quia facta duntaxat est a Deo sub conditione præsertim perseverantiæ finalis, ut ex innumeris Scripturæ testimoniis liquet; hæc autem non est certo, sed solum probabiliter futura; ergo spes, prout includit exspectationem beatitudinis absolute futuræ, nequit esse summe certa et infrustrabilis; tum quia spes, secundum præsens objectum, dirigitur duntaxat per judicium probabile de absoluta futuritione beatitudinis, a quo denominari nequit certa; tum quia, licet præsupponatur actus fidei de futuritione conditionata beatitudinis, conditio tamen est incerta et frustrabilis.

332. Altera pars assertionis, sc. actum spei, quantum ex parte nostra, non esse summe firmum vel excludentem timorem, manifeste docetur iis omnibus Scripturæ locis, in quibus dicitur spem obtinendæ beatitudinis non solum posse sed debere componi cum timore supernaturali de ea non obtinenda, Rom. XI, 20; 1 Cor. IV, 4 ; Phil. II, 12 : *Tu autem fide stas : noli altum sapere, sed time. — Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum ; qui autem judicat me, Dominus est. — Cum metu et tremore vestram salutem operamini.* Unde conc. Trid. sess. VI, c. 9 scribit : « Sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque sacramentorum virtute et efficacia dubitare debet ; sic quilibet, dum seipsum, suamque propriam infirmitatem, et indispositionem respicit, de sua gratia formidare et timere potest. » Et c. 13 : « Formidare enim debent, scientes quod in spem gloriæ, et nondum in gloriam renati sunt, de pugna quæ superest cum carne, cum mundo, cum dia-

bolo. » Item c. 16 : » Quia in multis offendimus omnes, unusquisque sicut misericordiam et bonitatem, ita severitatem et judicium ante oculos habere debet, neque seipsum aliquis, etiamsi nihil sibi conscius fuerit, judicare, quoniam omnis hominum vita, non humano judicio examinanda et judicanda est, sed Dei » etc. Ergo hoc ipso spes ista, quantum ex parte nostri, et prout involvit expectationem absolutam beatitudinis, nequit esse summe firma, speciali revelatione absente.

333. Quamvis autem spes respectu nostri summe certa dici nequeat, eam tamen simpliciter et absolute certam esse dicendam, constat tum ex auctoritate S. Thomæ 2.2, q.18, a.4 ad 2 et 3, tum quia res quælibet æstimari et denominari debet ex iis quæ sunt ei propria, non vero ex his quæ ipsi per accidens adveniunt; certa autem est spes in ordine ad suum motivum formale, et sic secundum suam substantiam, cui non repugnant timor, incertitudo, ac fluctuatio quæ nostram spem comitantur, cum non ex ipsa spe, sed ex pravitate cordis et defectu liberi arbitrii humani vel ex anxietate nascantur. Quin timor iste adeo non remittit spem nostram, quasi sit incerta, ut illam potius acuat, et ad Deum confugere impellat; quia dum timemus ne ipse nos deserat, aut propter peccata a se rejiciat, pronum est recurrere ad eumdem, cujus natura est bonitas omnipotens, et opus misericordia, juxta ps. CXIII, 11 : « *Qui timent Dominum, speraverunt in Domino : adjutor eorum et protector eorum est.*

COROLLARIUM.

Utrum actum spei elicere possint sancti,

334. Præ oculis habita notione actus spei theologicæ, non valde difficile est intelligere quænam sint personæ *capaces* eliciendi hunc actum.

335. Doctores satis conveniunt a *Sanctis* in cœlo elici non posse actum spei circa beatitudinem *essentialem*, qua jam fruuntur; utrum vero elicere possint actum spei circa beati-

tudinem *accidentalem*, quæ consistit in gloria corporis, non omnino constat; cfr. S. Thomas 2. 2, q. 18, a. 2; Suarez, disp. I, s. 6, n. 8; Æg. De Coninck, disp. XIX, dub. 10, n. 130; Ripalda, disp. XXVII, s. 3; Perrone, n. 54.

animæ purgantes,

336. Actum spei elici ab *animabus adhuc in purgatorio degentibus*, communis est sententia theologorum; etenim respectu ipsarum, beatitudo habet rationem boni futuri, possibilis ac ardui, cum nequeant ad illam nisi per tolerantiam passionum, quas sustinent, pervenire. Nec refert quod ejusdem beatitudinis assequendæ certitudinem habeant. Nam certitudo spem non evertit : alioquin B. Virgo, perinde ac illi quibus forte revelatio de futura beatitudine facta est, sine spe vixissent, aut sperare desinerent. Ex hoc tantum fit ut earum spes certissima sit, nullamque secum ferre possit ejus amittendæ formidinem. Idipsum, ob paritatem rationis, sentiendum videtur quoad Patriarcharum reliquorumque justorum Veteris Testamenti animas pro tempore quo in limbo detinerentur. Cfr. Perrone, op. cit. n. 52, 53.

damnati,

337. *Damnatos* vero actum spei elicere non posse omnino liquidum est, siquidem isti sciant beatitudinem sibi esse impossibilem et pœnas suas fore perpetuas. Cfr. Ripalda, l. c. s. 5, n. 46.

peccatores,

338. Actum spei elicere possunt fideles non solum justi, sed etiam *peccatores* : peccatum enim, si excipias desperationem et forte præsumptionem, spei non opponitur ut contrarium contrario; unde concilium Tridentinum, sess. VI, c. 6, describens justificationis modum seu ordinem, ait de peccatoribus : « Dum peccatores se esse intelligentes, a divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore. » Ubi supponitur, in peccatoribus fidelibus inesse spem, antequam ad justificationem seu ad statum justitiæ perveniant.

hæretici.

339. Quoad *hæreticos formales*, doctrina communis theologorum est, eos, sicut nequeunt elicere actum veræ fidei, ita nec posse actum spei elicere. Atque hoc est quod docuit S. Augustinus, in Ench. c. VII: « Fides credit, spes et charitas orant, sed sine fide esse non possunt. » Ac rursus c. VIII: « Nec amor sine spe est, nec sine amore spes, nec utrumque sine fide. » Eadem proinde ratione qua non credunt formales hæretici fide theologica, sed naturali et acquisita, seu sibi conficta, sic neque sperant spe theologica, sed spe quadam naturali et acquisita, quæ ad vitam æternam nihil confert, et a qua præterea, utpote debili et infirma, in desperationem facile decidunt. Quod si formales hæretici spe theologica destituti sunt, quia carent fide, a fortiori eadem spe destituti dicendi sunt *increduli* omnes, deistæ, athæi practici, aliique hujusmodi, qui non solum fidem omnem abjiciunt ac dedignantur, verum etiam acriter eam impugnant et execrantur. Infelix istorum conditio, qui tamen adeo tumescunt, comparari debet cum illorum conditione de quibus scribebat Apostolus, Eph. II, 12: « *Promissionis spem non habentes et sine Deo in hoc mundo.* Cfr Perrone, op. cit. n. 50, 51.

—

CAPUT II.

DE NATURA VIRTUTIS SPEI THEOLOGICAE.

Datur supernaturalis habitus spei in adultis justificatis et in pueris baptizatis.

340. Certum est dari spei habitum, per se infusum et permanentem, distinctum ab actu sperandi et illius cum auxilio divino elicitivum; cfr. Suarez, disp. I, s. 6, n. 1. Hujusmodi habitum esse in adultis justificatis, fide tenendum videtur; esse autem etiam in parvulis baptizatis, omnino certum est, quamvis fortasse non sit de fide. Cfr. supra, n. 130-132.

341. Infunditur ille habitus cum gratia sanctificante, et forte, ante gratiam, quando actus spei elicitur; excluditur autem per peccatum infidelitatis, desperationis et præsumptionis, non vero per aliud quodcumque peccatum mortale; non retinetur a damnatis, nec etiam a beatis, saltem sub ratione spei: Cfr. Suarez, disp. I, s. 8, n. 3; Æg. De Coninck, disp. XIX, dub. X, n. 131 et sqq; supra, n. 133-136.

Ille habitus infunditur cum gratia sanctificante, excluditur per infidelitatem, desperationem et præsumptionem; cessat in damnatis.

342. Porro spei habitum permanentem esse virtutem theologicam, inde manifestum est, quod Deum habeat pro objecto materiali et formali, illumque attingat modo supernaturali. Ita S. Thomas 2. 2, q. 17, a. 5: « Spes habet rationem virtutis ex hoc quod attingit supremam regulam actuum, quam attingit et sicut primam causam efficientem, in quantum ejus auxilio innititur, et sicut ultimam causam finalem, in quantum in ejus fruitione beatitudinem exspectat. Et sic patet quod spei, in quantum est virtus, principale objectum est Deus. Cum ergo in hoc consistat ratio virtutis theologicæ, quod Deum habeat pro objecto, manifestum est quod spes est virtus theologica. »

Habitus spei est virtus theologica

343. Spem theologicam juvat *donum scientiæ*, per quod supernaturaliter hominis intellectus illuminatur ad recte et certe judicandum de iis quæ requiruntur vel conducunt ad beatitudinem æternam assequendam. S. Thomas quidem 2. 2, q. 9, donum scientiæ ad fidem, et 2. 2, q. 19, donum timoris ad spem refert. S. Bonaventura autem, Brev. p. V, c. 5, scientiam ad prudentiam, consilium ad spem expedire dicit. Secuti sumus hac in re sententiam Suarezii ita scribentis, lib. II, de gratia, c. XX, n, 8: « Non improbabiliter dici potest, sicut sapientia annectitur charitati, et intellectus fidei, ita scientiam annecti virtuti spei. »

ad quam refertur donum scientiæ;

344. Virtus spei theologicæ ad beatitudinem *luctus* dispo-nit, quatenus ille qui felicitatem æternam adipisci desiderat,

virtus spei et donum scientiæ disponunt ad beatitudinem luctus.

errata sua pœnitentia delet, ad illam secure obtinendam. Altiori modo ad luctum movet donum scientiæ, per quod homo, cognoscens gloriam vitæ æternæ ac miseriam vitæ temporalis, lucide ad patriam suspirat, gemendo et flendo in hac lacrymarum valle. Cfr. S. Thomas 1. 2, q. 69, a. 3 ad 2.

PARS II.

DE HONESTATE PRÆSTANTIA ET NECESSITATE SPEI THEOLOGICÆ.

345. Vera spei theologicæ notione præstituta, inquirendum est quousque hæc sit licita, utilis ac necessaria ad justificationem et salutem consequendam.

—

CAPUT I.

DE HONESTATE SPEI THEOLOGICÆ.

Spem a charitate sejunctam nonnulli illicitam docuerunt, quia amorem concupiscentiæ et mercedis intentionem reprobabant.

346. Quæstio non est utrum honesta sit et virtuosa spes theologica generatim et quocumque modo intellecta; nemo enim omnem spem absolute damnare ausus est. Sed tota difficultas eo revocatur *an licita sit spes seorsim ac formaliter sumpta et a caritate separata, quæ scilicet unice derivetur ab amore concupiscentiæ ;* seu, ut loquitur Ripalda, disp. XXII, s. 1, « an effectus mercenarius et puræ concupiscentiæ aliqua turpitudinis labe infectus sit, quin spes ab ea emundari et omnino honestari possit nisi in effectum puræ benevolentiæ et charitatis convertatur et assurgat. » Calvinus enim, lib. III, Inst. c. 16, § 3, et c. 18, § 2 ; Baius, lib. de charitate, c. 6 ; de virtutibus impior. c. 5 et 6 ; postea vero Janseniani, adversus amorem concupiscentiæ insurgentes, malum esse dixerunt opus intuitu æternæ mercedis exercitum, adeoque spem a charitate divulsam tanquam inhonestam reprobarunt.

Amorem concupiscentiæ erga Deum honestum ac licitum esse

347. Asserimus ergo *desiderium beatitudinis, seu amorem concupiscentiæ, quo Deum ut summum nostri bonum prosequimur, esse honestum et licitum.*

demonstratur ex sacris litteris,

348. Colligitur manifeste hæc veritas ex sacris litteris. Namque prædicti amoris ac desiderii utilitatem honestissimam ostendit S. Joan. in 1 epist. III, 2 : « *Nondum apparuit quid erimus. Scimus, quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus : quoniam videbimus eum, sicuti est. Et omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut et ille sanctus est.* Eorum vero cognitionem S. Paulus Ephesiis etiam orando impetrare studet non alio sane ex fine quam ut illis ipsi utantur ; sic enim ad eos scribit I, 16 :« *Non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis, et Deus... det vobis... illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis quæ sit, spes vocationis ejus, et quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in sanctis.* Tandem Christus ad ea nos adhortatur, dum Matth. VI, 33 ait : « *Quærite ergo primum regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis;* et Luc. XVI, 9 : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Quæ vero in contrarium aliquando afferuntur, v. g. Matth. XVI, 24 ; Luc. XIV, 26 ; 1 Cor. XIII, 5, etc., non respiciunt castam concupiscentiam, qua tendimus in Deum summum bonum nostrum, sed inordinatam cupiditatem, qua temporalia bona prosequimur. Cfr. Perrone, de Spe., n. 110 et 111.

traditur a SS. Patribus,

349. Eamdem doctrinam cum cæteris Patribus tradit S. Augustinus, in ps. CII, n. 8 : « Ubicumque peccas, quasi bonum quæris, quasi refectionem desideras. Bona sunt ista, quæ quæris, sed mala tibi erunt, deserto illo a quo bona facta sunt. Bonum tuum quære, o anima ! est enim bonum aliud alteri et omnes creaturæ habent quoddam suum bonum, integritatis suæ et perfectionis animæ suæ ; interest quid cuique rei imperfectæ necessarium sit ut perficiatur. Quære tuum bonum. Nemo bonus nisi unus Deus. Summum bonum, hoc est tuum bonum ; quid ergo deest, cui summum bonum est ? Sunt enim et inferiora bona quæ aliis et aliis bona sunt...

erige spem tuam ad bonum omnium; ipse erit bonum tuum, a quo omnia in suo genere facta sunt bona. »

docetur a concilio Tridentino,

350. Hinc concilium Tridentinum, sess. VI, c. 16, postquam retulisset Scripturæ testimonia præmium meritorum confirmantia, sic pergit: « Atque ideo bene operantibus usque in finem, et in Deo sperantibus, proponenda est vita æterna, et tanquam gratia filiis per Jesum Christum misericorditer promissa, et tamquam merces ex ipsius Dei promissione... fideliter reddenda. »

ratione explicatu.

351. Intrinseca autem ratio est, quia actus, quo dirigimur tanquam medio a Deo præstituto ad obtinendum finem supremum et ultimum, ad quem conditi sumus, non potest esse nisi bonus et honestus; talis autem est amor concupiscentiæ quo in Deum ferimur. Inepte autem objiciunt hunc amorem esse malum, quia per eum Deum referimus ad nos tanquam finem, Deoque utimur: in quo utroque, aiunt, ordo pervertitur et summa est perversitas. Inepte, inquam; nam, ut explicat Suarez, disp. I de Spe, s. 3, n. 7: « Hoc amore nos non referimus Deum ad nos, ut ad finem, sed proprie amamus Deum nobis, quod potius est amare conjunctionem nostri cum Deo, tanquam cum ultimo fine supernaturali nostri; quamvis in hoc amemus commodum nostrum, id est, felicitatem et ultimam perfectionem. Verum est tamen, hunc amorem, quia non est fruitio Dei, sed in fruitionem tendit, solere interdum dici usum, ut patet ex Aug. lib. VI de Trinit. c. 10 et lib. X, c. 11. Quo sensu et lato modo loquendi, non omnis usus Dei vel potius amoris Dei malus est: si tamen totus ad fruitionem Dei ordinetur. Proprie vero loquendo ille amor non est usus, quia usus, proprie loquendo, est actus circa medium ortus ex amore finis et ad illum ordinatus; hic autem amor non est hujusmodi, quia proxime versatur circa ipsum finem, et ipsum et ejus fruitionem amat ipsi diligenti, non tanquam fini, sed tanquam subjecto. Unde totus hic amor natura sua

non tendit nec sistit in homine, tanquam in ultimo fine, sed de se tendit in Deum ; nam quod creatura jungatur Deo, ut ultimo fini, per se est quid referibile in Deum, et in gloriam ejus, quæ ratio quasi virtualiter continetur in hoc actu ex natura sua, formaliter vero addi potest per charitatem. » Eodem modo Sylvius, in 1. 2, q. 109, a. 3 : « Licet amore concupiscentiæ sibi ipsi tanquam subjecto, ac etiam propter seipsum, hoc est propter suam perfectionem ab eo consequendam Deum diligat; non tamen propter se tanquam finem Deum diligit ; sed ipsum Deum, tanquam finem ultimum amat, quem cupit adipisci, et quo desiderat frui ; unde et seipsum in Deum ordinat, velut in suum ultimum finem. » Cfr. Platel, n. 315-318; Wirceburgenses, n. 161 ; Viva, in prop. X ab Alexandro VIII damnatam ; S. Franciscus Salesius, Theotim. lib. II, c. 17.

Licitam etiam esse mercedis intentionem

352. Asserimus deinde, quod in præcedentibus jam continetur, *licitum esse operari opus bonum intuitu mercedis æternæ.*

colligitur ex scripturis,

353. Veritas hujus assertionis aperte colligitur ex sacris litteris ; ibi enim merces æterna proponitur tanquam motivum et incitamentum ad operandum, v. g. Eccli. XII, 2 : *Benefac justo, et invenies retributionem magnam, et si non ab ipso, certe a Domino ;* et 1 Cor. IX, 25 : *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant : nos autem incorruptam ;* ad Gal. VI, 9 : *Bonum autem facientes non deficiamus : tempore enim suo metemus non deficientes ;* ad Coloss. III, 23 : *Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino et non hominibus : scientes, quod a Domino accipietis retributionem hæreditatis.* Præterea commendantur Sancti intuitu mercedis æternæ operantes, v. g. Heb. XI, 25 : *Magis eligens, affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem ; majores divitias æstimans thesauro Egyptio-*

rum, improperium Christi : aspiciebat enim in remunerationem.

354. Consonant unanimiter Sancti Patres. Præter alios plures præsertim in commentariis ad ps. 118, et ad Heb. c. XI legendos, S. Cyprianus, epist. ad Thibaritanos, de exhortatione martyrii, exposita magnitudine præmii cœlestis, sic pergit : « Hæc, fratres dilectissimi, hæreant cordibus nostris. Hæc sit armorum præparatio, hæc diurna ac nocturna meditatio, ante oculos habere, et cogitatione ac sensibus volvere iniquorum supplicia, et præmia ac merita justorum, quid negantibus Dominus comminetur ad pœnam, quid contra confitentibus promittat ad gloriam. » Cfr. etiam liber seu epist. ad Fortunatum, c. 12. S. Hieronymus, lib. II adversus Jovinian., disserens de quarta propositione, ait: « Apostolus autem laborat manibus suis, ne quem gravet, et die ac nocte operatur... utique ideo hoc facit, ut plus laborans, plus aliquid mercedis accipiat. » Et S. Augustinus, in ps. CXX, n. 10 : « Noli facere nisi propter vitam æternam : ideo fac et securus facies. « Cfr. Perrone, l. c. n. 114-116, ubi ostenditur, a sanctis Patribus, quando gratuitum Dei amorem extollunt, unum intendi, scilicet non aliam nobis esse proponendam retributionem præter eam quæ in Dei possessione consistit, prout decet hominem perfectum. traditur a SS Patribus,

355. Tridentinum vero concilium decernit opus bonum intuitu mercedis æternæ esse licitum, sive adjunctum habeat motivum nobilius, sive non. Prius patet ex sess. VI, c. 11, ubi dicitur : « Unde constat eos orthodoxæ religionis doctrinæ adversari qui... statuunt... justos peccare, si.... suam ipsorum socordiam excitando, et sese ad currendum in stadio exhortando, cum hoc, ut imprimis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur æternam. » Posterius vero ex can. 31 : « Si quis dixerit, justificatum peccare dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema sit. » docetur a concilio Tridentino,

confirmatur decreto Sanctæ Sedis,

356. Huc etiam pertinent propositiones X et XIII ex damnatis ab Alexandro VIII: « Intentio qua quis detestatur malum et prosequitur bonum, mere ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens. » — « Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, caritate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur. »

ratione declaratur.

357. Tandem ratio est « quia ille finis est bonus: ergo additus actui non communicabit illi malitiam; quæ ratio procedit sive finis sit proximus sive remotus, sive integer sive partialis, et maxime probat de fine beatitudinis, et revelationis æternæ: nam opera nostra quasi natura sua sunt media ad talem finem: ergo illum intendere per hæc opera non est malum. Tandem illa beatitudo est quid excellentius nostris operibus: ergo merito potest per hoc intendi » Suarez, disp. I, de Spe, s. 5, n. 2.

CAPUT II.

DE PRÆSTANTIA SPEI THEOLOGICÆ.

Error quietistarum

358. Contenderunt *Quietistæ*, duce Michaele Molinos, spem christianam, quæ respicit proprium bonum et commodum, haud posse cum puro amore et perfectione summa componi. Juxta ipsos scilicet talem vel in hac vita fidelis attingere potest statum, ut, posthabito quovis amore sui, seu, quemadmodum vocant, proprii interesse, totus sic afficiatur Dei caritate, ut indifferens etiam sit circa propriam beatitudinem aut damnationem, ac, in Dei voluntatis resignatione plenissime constitutus, nihil a Deo optet, nihil petat, nihil speret, nullamque plane de se ac de propriis sollicitudinem gerat, passive se prorsus habendo in manu Dei.

359. Cum exitiales ac immorales exinde deducerentur

consecutiones, factum est ut universum hunc errorem Romanus Pontifex Innocentius XI apposita constitutione solemniter proscripserit. Inter cæteras propositiones confictas ad rem nostram, hæ potissimum faciunt, nempe VII: « Non debet anima cogitare nec de præmio, nec de punitione, nec de paradiso, nec de inferno, nec de morte, nec de æternitate.» — XII : « Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de inferno nec de paradiso : nec debet desiderium habere propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ sanctitatis, nec propriæ salutis, cujus spem expurgare debet. » Ex quibus principiis practica corollaria deducta sunt quæ præsertim exprimuntur propositionibus XIII, XIV, XVII, XXI, XXIV, XXXVII, XLI, XLII, XLVII, LII, etc.

et semiquietistarum

360. Longe quidem ab hujusmodi turpitudinibus abfuit Fenelonius; idealis tamen cujusdam puri amoris dulcedine captus, eo progressus est, ut spem a perfectorum statu excluserit, absolutumque æternæ salutis sacrificium admiserit atque ita extiterit *quietismi* instaurator. Hujus doctrinæ summa ad tres insequentes propositiones, ab Innocentio XII proscriptas una cum aliis viginti, revocari potest, scilicet 1 : « Datur habitualis status amoris Dei, qui est charitas pura, et sine ulla mixtione motivi proprii interesse : neque timor pœnarum, neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem : non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam. » — VI : « In hoc sanctæ indifferentiæ statu nolumus amplius salutem ut salutem propriam, ut liberationem æternam, ut mercedem nostrorum meritorum, ut nostrum interesse omnium maximum; sed eam volumus voluntate plena, ut gloriam et beneplacitum Dei, ut rem quam ipse vult, et quam nos vult velle propter ipsum. » — VIII : « Omnia sacrificia, quæ fieri solent ab animabus quam maxime

disinterassatis circa earum æternam beatitudinem, sunt conditionalia. Sed hoc sacrificium non potest esse absolutum in statu ordinario. In uno extremarum probationum casu hoc sacrificium fit quodammodo absolutum. »

refutatur

361. Plenius hæc refutata habebuntur ex sequenti capite, in quo directe probabimus omnimodam necessitatem spei theologicæ. Hic unum affirmamus, scilicet *spem theologicam ita omnibus, etiam perfectis, convenire, ut nullus detur status in quo hæc tanquam imperfecta locum non habeat.*

ex sacra Scriptura

362. Communis ista Ecclesiæ doctrina inde clare colligitur quod Deus Sanctis ad summam perfectionem evectis vel ad eamdem vocatis aut seipsum tanquam mercedem proposuerit, aut assecutionem æternæ beatitudinis inculcaverit, aut eam a se petere jusserit. Ita v. g. Math. V, 12, XIX, 21, 29, etc : *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres aut sorores.... propter nomen meum, centuplum accipiet et vitam æternam possidebit. — Si vis perfectus esse, vade, vende, quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo.* Jam vero nemo in animum inducet suum, Christum per propositam retributionem æternæ vitæ discipulos et cultores suos a perfectione retraxisse. Idem porro colligitur ex facto sanctorum, qui beatitudinem sibi promissam sæpissime contemplabantur, ejusque exspectatione sese confortabant. Sic, v. g. de Abraham scribit Apostolus, Heb. XI, 9, 10, quod *fide demoratus est in terra repromissionis, tanquam in aliena... Exspectabat enim fundamenta habentem civitatem, cujus artifex et conditor Deus.* Ac de Moyse pariter, ibidem v. 26, ait, quod *majores divitias* æstimaverit *thesauro Egyptiorum improperium Christi : quia aspiciebat in remunerationem.* Et de seipso, 2 Tim. IV, 7, 8 : *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus,.... justus judex ; non solum autem mihi sed et iis, qui diligunt adventum ejus.*

363. Unanimes sunt sancti Patres in hac doctrina inculcanda. Ita S. Joannes Chrysostomus, hom. XXXVI in Genesim, loquens de promissione a Deo Abrahæ facta, ait : « Vidisti, quomodo excitavit pietatis athletam ? Ipse enim, qui arcana cordium novit,sciebat justo illi opus esse hujusmodi verborum consolatione. » S. Augustinus sæpissime docet, Deum gratis esse amandum, ita scilicet ut nulla merces, præter ejusdem possessionem et fruitionem, inquiratur : cfr. tr. LI in Jo. n. 11, Enarr. in ps. CXXXIV, n. 11, etc. Et aliis omissis, S. Bernardus, tr. de diligendo Deo, C. XIV: « Nunquam erit caritas sine cupiditate, sed ordinata. » SS. Patribus

364. Ratio demum theologica ex eo desumitur, quod homo nequeat, quin neget seipsum, parvi pendere, imo nec appetere ultimum finem suum ; id enim perinde esset ac suam exuere ac destruere naturam. Jam vero in utroque ordine, sive naturali sive supernaturali, licet diversa ratione, Deus summum hominis bonum est ac supremus finis : ergo impossibilis est et fictitius ille amor, in quo et per quem Deus possidendus non appetitur. Cfr. Perrone, n. 82-98. et ratione theologica.

—

CAPUT III.

DE NECESSITATE SPEI THEOLOGICÆ.

365. *Supernaturalis spei habitus a Deo infusus, omnibus tum adultis tum parvulis, omni tempore necessitate medii necessarius fuit et est ad salutem.* Hæc est doctrina catholica, quæ quasi expressis verbis traditur in concilio Tridentino, sess. VI, cap. 7 : « Fides nisi ad eam spes accedat et charitas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit. » Cfr. supra, n. 172. Necessarius est necessitate medii tum habitus spei,

366. *Aliquis etiam actus spei theologicæ, juxta legem ordinariam, adultis necessitate medii necessarius est et semper fuit* tum aliquis ejus actus.

ad justificationem consequendam. Colligitur hæc veritas ex sacris litteris, v. g. Rom. VIII, 24; 1 Joan. III, 3 etc: *Spe salvi facti sumus.— Qui habet hanc spem in eo, sanctificat se.* « Quanquam enim in his locis utilitas spei ad justificationem magis quam necessitas doceri videatur, nihilominus in eis tradunt Apostoli ordinariam ac necessariam viam obtinendæ salutis e Salvatore sperando et exspectando. » Suarez, de gratia, lib. VIII, c. 18, n. 2. Idem probatur ex auctoritate SS. Patrum, v. g. S. Gregorii M. lib. II in Ezech. hom. V, n. 16: « Sine quibus tribus virtutibus (fide, spe et charitate) quisquis jam uti ratione potest, ingredi ad cœleste ædificium non potest. » Præprimis vero demonstratur ex concilio Tridentino, sess. VI, c. 6, ubi inter dispositiones ad justificationem adultorum post fidem illico subditur spes. Diximus autem: *juxta legem ordinariam*, quia, « si Deus velit subito hominem movere ad fidem immediate operantem per charitatem, sine recordatione spei, poterit quidem id facere, quia non implicat contradictionem; tamen non est modus ordinarius nec ita consentaneus naturæ hominis et ipsius justificationis » Suarez l. c. c. 19, n. 6. Porro hac necessitate medii necessarium est sperare aliquam retributionem supernaturalem, ut desumitur ex Heb. X et XI, item remissionem peccatorum,et quidquid requiritur ad salutem. Cfr. Suarez, de Spe, disp. II, s. 1, n. 5; Perrone, op. cit. n. 93.

Actus spei præcipitur jure naturali

367. *Præterea spei actus necessarius est necessitate præcepti naturalis*, tum quia media ad salutem necessaria, cujusmodi spem esse modo probavimus, sunt obligatoria, tum etiam quia recta ratio postulat ut divinæ promissioni respondeat ex parte nostra fiducialis exspectatio boni promissi; diffidentia enim injuriam contineret erga divinam misericordiam et potentiam.

et jure divino positivo.

368. *Tandem actus spei necessarius est necessitate præcepti divini positivi.* De hoc præcepto nos dubitare non

sinunt sacræ litteræ, v. g. Rom. VIII, 24; Coloss. I, 4, 5; 1 Tim. VI, 17; Heb. VI, 18, 19, X, 23, XIII, 6; 1 Pet. I, 13 etc. Verum est in his et similibus locis non esse verbum quod expresse videatur continere vim præcepti, tamen, ut S. Thomas 2. 2, q. 22, a. 1, notavit, pro ratione materiæ satis proponitur præceptum illo modo; nam quia spes, ait, post fidem est quasi fundamentum spiritualis vitæ, seu potius principium, præceptum ejus est quodammodo præambulum ad legem, et fundamentum aliorum præceptorum, et ideo non tam proponitur per modum præcepti quam per modum promissionis. Cfr. Suarez, l. c. de Spe, n. 1. Hinc S. Augustinus, tr. LXXXIII in Joan.: « Præceptum est nobis sperare multa, scilicet, quæ promissa sunt. » Et rursus, ibid.: « De fide nobis quam multa mandata sunt, quam multa de spe. »

Præceptum fidei urget aliquando per se,

369. Hoc præceptum urget per se tum in initio usus rationis, seu quando æterna beatitudo sufficienter proposita est tanquam finis ad quem unusquisque tendere debet; tum in periculo mortis, ut homo in Deum suum finem ultimum consequendum erigatur; ac præterea sæpius in vita, quin tempus hujus obligationis adimplendæ magis determinari queat. Ita Suarez, l. c. n. 3: « Dico, ut de charitate et de pœnitentia resolvi solet, hoc tempus non posse designari positive, et omnino determinate, sed quasi negative et confuse; tenetur enim homo aliquando in vita spem exercere; quod vero illud sit nunc vel postea, relinquitur hominis arbitrio. Item negative possumus dicere, teneri hominem non diu differre hujusmodi actus post perfectam propositionem beatitudinis vel ejus apprehensionem. Denique ita tenetur exercere hos actus, ut ratione illorum sit bene dispositus ad bene operandum et vitandum peccata: quod moraliter præstari recte non potest nisi ab homine bene sperante. » Per accidens vero urget idem præceptum, quando tentatio aliqua

aliquando per accidens.

contra spem occurrit cui per spei actum contrarium resistere necesse sit, aliisque circumstantiis hujusmodi.

Obligatio spei ex aliis præceptis orta.

370. Præterea obligatio eliciendi actum spei aliquando oritur ex vi aliorum præceptorum, ad quorum scilicet adimpletionem spes necessaria est, v. g. ut digne oretur, ut agatur pœnitentia, etc.; nam, quod monet S. Ambrosius, lib. I de pœn. c. 1, n. 4: « Nemo potest bene agere pœnitentiam, nisi qui speraverit indulgentiam. »

371. Nihil diximus de extrinseca spei manifestatione, quia, ut notavit Suarez, hæc virtus nullum proprium habet exteriorem actum, sed omnino operatur interius. Quod si aliquando influit in actum exteriorem, est juvando alias potentias seu virtutes, ut v. g. patientiam in tolerando, et sic de aliis; quare nullum habet proprium præceptum quod cadat in actum exteriorem. »

PARS III

DE DEFECTU SPEI THEOLOGICÆ.

372. Nomine defectus spei hic non tam significatur mera ejus absentia quam peccatum ipsi oppositum : committitur autem hujusmodi peccatum, quando vel spei actus debitus *omittitur*, de quo nihil amplius dicendum remanet, vel spes *abjicitur* per desperationem, aut *pervertitur* per præsumptionem ; etenim ista duo, ut loquitur S. Augustinus, Serm. LXXXVIII, de verbis evang. Matth. c. VIII, n. 10, occidunt animas, aut desperatio, aut perversa spes.

Peccatur contra spem, per omissionem, desperationem et præsumptionem.

—

CAPUT I.

DE DESPERATIONE.

373. *Desperatio* proprie dicta est *actus voluntatis quo quis efficaciter renuit æternam beatitudinem prosequi, eo quod appareat obtentu nimis ardua, aut nunquam futura, aut impossibilis.* « Videlicet, ut sperare est animo tendere in beatitudinem, tanquam in bonum quoddam arduum, quod possit quis divina ope consequi, et quod proinde procurare et assequi enitatur; sic e contrario desperare est animo refugere eamdem beatitudinem tanquam bonum arduum quod quis nequeat ope divina assequi, et ideo segnis reddatur ad ejus boni procurationem. » Valentia, disp. II, q. 3, pu. 1.

Desperatio, seu diffidentia obtinendi beatitudinem,

374. Ad desperationem reduci debet *beatitudinis supernaturalis contemptus et nolitio* sive *formalis* et expressa, prout reperitur in rationalistis, sive *æquivalens*, consistens nimirum in nimio hujus sæculi affectu, quo terrena cœlestibus præferuntur, in iisque finis ultimus ponitur. At non potest cum ea

et beatitudinis supernaturalis nolitio,

confundi motus diffidentiæ involuntarius ex nimio timore, complexione melancholica, dæmonis tentatione procedens : de viris enim etiam sanctissimis legitur, eos ita gravibus angustiis propter salutis incertitudinem quandoque afflictos fuisse, ut viderentur quasi desperati; cæterum hujusmodi, ut plurimum, in fine vitæ tranquilli ac sereni evaserunt, solatium a Domino accipientes.

est peccatum mortale, odio Dei et infidelitate levius, cæteris gravius;

375. Manifestum est desperationem esse peccatum *mortale ex toto genere suo;* nam formali objecto spei directe opponitur, ideoque spem ipsam omnino destruit. Imo gravius est peccatis quæ contraria sunt virtutibus moralibus, ob majorem nobilitatem virtutis spei, licet, ob eamdem rationem, minus grave sit peccatis quæ contraria sunt charitati. Si vero comparetur cum infidelitate, censet S. Thomas 2. 2. q. 20, a. 3, hanc pejorem censendam esse, quamvis ex parte nostra sit perniciosior desperatio ac magis irremediabilis.

potest existere absque infidelitate;

376. Conjungitur quidem sæpe desperatio cum infidelitate; potest tamen absque ea reperiri; ut si quis, divinorum mandatorum observationis difficultate exaggerata, vel spectatis propriorum peccatorum multitudine et excessu, etc. animum prorsus despondeat. « Optime intelligitur, ait Suarez, quomodo desperatio possit haberi sine hæresi. Nam, si oriatur ex hoc judicio : Deus non remittet mihi peccata, quidquid ego faciam, tunc judicium est hæreticum, et committuntur simul duo peccata; si vero oriatur ex hoc judicio : ego de facto non salvabor, sive id judicetur practice sive speculative, desperatio esse potest sine infidelitate, quia illud judicium formaliter non est contrarium fidei, quamvis practice videatur contrarium promissionibus spei, et efficacitati gratiæ. » Disp. II, s. 2, n. 2.

oritur ex luxuria et acedia;

377. Præter fidei defectum ejusve imbecilitatem, duo sunt præcipuæ causæ desperationis, *luxuria* scilicet et *acedia*. Luxuriæ enim deditus ita venereis voluptatibus abripitur, ut

cœlestia bona præ illis nihili ducat ; cum vero resipiscere velit, diffidit de libidinis refrænatione, ac proinde de beatitudinis assecutione. Acedia autem, quæ est fastidium, languor et tædium in exercitio virtutis, efficit ut, qui ea laborat, virtutis exercitio valedicat, utpote nimis difficili, ita ut bonum sperandum ceu impossibile reputet. Quum vero possibilitas beatitudinis obtinendæ sit de essentia spei, exinde sequitur, per ejusmodi dispositionem illam plane destrui. Cfr. S. Thomas 2. 2. q. 20, a. 4.

vitatur amore castitatis et studio rerum cœlestium.

378. Necesse ergo est ut utrique causæ desperationis occurratur per contrariam affectionem ; atque luxuriæ opponatur *castitatis amor*, acediæ vero *studium rerum cœlestium*, in quarum comparatione terrena omnia in nihilum computantur ; et sic acuatur desiderium illas assequendi per diligentem bonorum operum virtutumque, excusso torpore, acquisitionem, prout admonentur fideles 2 Pet. I, 10 : *Fratres, magis satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis ;* et Rom. XII, 11, 12 : *Sollicitudine non pigri, spiritu ferventes, Domino servientes, spe gaudentes.* Alia remedia indicantur apud Gury, n. 215.

—

CAPUT II.

DE PRÆSUMPTIONE.

Præsumptio vario sensu significat actum intellectus vel voluntatis ;

379. *Præsumptio* quadam significatione refertur ad intellectum, alia ad voluntatem. Prout refertur ad intellectum præsumptio aliquando significat quamdam æstimationem de propria excellentia ; — aliquando autem judicium circa facta aliorum ex conjecturis sumptum, vel temere datum, vel ex timore conceptum, quo sensu Sap. XVII, 10, legitur : *Semper, præsumit sæva perturbata conscientia ;* — nonnunquam vero significat conjecturas ipsas, seu probabilitatem, quæ est in ali-

quo facto ad ferendum judicium, quæ significatio præsumptionis est valde usurpata a Jurisperitis, et hoc modo distinguunt triplicem præsumptionem, *vehementem* seu *violentam*, *probabilem* et *levem*. Cfr. Theologia nostra fundamentalis, n. 151. Prout refertur ad voluntatem, præsumptio, licet subinde sumatur in bonam partem ad designandam excellentem quamdam fiduciam. v. g. Judith. VI, 15, IX, 17, ordinarie usurpatur in malam partem et designat *quemdam animi motum ad aliquid agendum quod excedit agentis facultatem*. Et quidem si excessus sit non respectu potestatis quasi executivæ, sed respectu *legis et juris debiti*, præsumptio consistit in hoc quod quis, *cognita voluntate superioris vel cognita lege, eam transgredi audet*, quo modo dicitur sæpe in jure positivo : si quis præsumpserit, etc.; et sic non est speciale vitium, sed circumstantia quædam generalis ad legis contemptum pertinens, quam quis sciens et volens, sine metu aut vi, transgreditur; quæ significatio notanda est ad intelligenda multa jura ; sed ad præsens nihil spectat. Alio modo præsumptio dicitur *motus quo aliquis aggreditur id quod superat vires suas*. Et si hoc sit in materia virtutum moralium, solet assignari vitium præsumptionis, de quo non est hic agendi locus; nam quodammodo videtur illud vitium generale ; si enim sit in materia fortitudinis, videtur coincidere cum audacia et temeritate ; si in materia honoris videtur specialiter opponi magnanimitati : de quo S. Thomas, 2. 2. q. 130. Si vero hic excessus sit in materia spei theologicæ, ut est beatitudo, gratia, supernaturale auxilium, ponitur speciale vitium contrarium huic virtuti, et ideo nomine præsumptionis significatur *inordinatus motus circa bona supernaturalia*.

proprie est futilis exspectatio beatitudinis ;

380. Itaque præsumptio proprie dicta, de qua nunc agimus, definiri potest *futilis et temeraria exspectatio beatitudinis*, seu *inordinata fiducia bona supernaturalia a Deo obtinendi aliter quam ipse statuerit*.

381. Multiplici autem modo locum habet hæc præsumptio. Primus est, si quis speret consequi beatitudinem vel remissionem peccatorum *propriis viribus*,quæ fuit præsumptio Pelagianorum. — Secundus est, si quis *indebito ordine* speret aut velit supernaturalia,ut remissionem peccatorum sine pœnitentia, gloriam sine meritis; et hæc est lutherana præsumptio.— Tertius est, si quis in Dei misericordia et bonitate confidens, ideo *liberius peccet*, et diu in peccatis permaneat ; secus tamen dicendum, si spes ad peccatum solummodo se habeat concomitanter vel consequenter, non vero causaliter. Ita S. Thomas 2. 2. q. 21. a. 2, ad 3 : « Dicendum quod peccare cum proposito perseverandi in peccato, sub spe veniæ ad præsumptionem pertinet. Et hoc non diminuit, sed auget peccatum. Peccare autem sub spe veniæ quandoque percipiendæ, cum proposito abstinendi a peccato et pœnitendi de peccato, hoc non est præsumptionis, sed hoc peccatum diminuit; quia per hoc videtur habere voluntatem minus firmatam ad peccandum. » Et Suarez l. c. n. 2 : « Huc spectat spes illorum qui, cum diu in peccatis perseverent, tam facilem sperant futuram veniam, et tam certam ac si nihil peccarent : hoc etiam est contra debitum ordinem spei ; nam licet interdum, ex fragilitate delinquere ob spem veniæ, possit non esse præsumptio, imo aliquantulum minuere peccatum, inde tamen occasionem perseverandi in peccato sumere, quoddam est præsumptionis genus. » Tandem quartus modus addi potest, si quis speret a Deo supernaturalia bona *præter ordinem divinæ providentiæ*, v. g. se habiturum tantam gloriam quantam Beata Virgo, etc. Cf. Suarez, l. c.

multiplici modo committitur ;

382. Præsumptio, si committatur primo vel secundo modo supra indicato, peccatum est gravissimum, et quidem ex toto genere mortale, cum perfectissimæ virtuti opponatur, magnumque afferat detrimentum. Imo S. Thomas docet esse peccatum in Spiritum Sanctum, quia directe ponit impedi-

peccatum est gravissimum;

mentum gratiæ; addit tamen esse minus peccatum desperatione, si quidem desperatio sit magis contra divinam misericordiam, quæ Deo potissimum attribuitur, præsumptio magis contra justitiam ; cfr. 2. 2. q. 21. a 2.Communius etiam admittitur istiusmodi peccato habitum spei corrumpi, quoniam talis actus videtur destruere modum tendendi in objectum spei, qui est ut beatitudo et æternæ vitæ bona expectentur per auxilium gratiæ Dei, et per merita quæ in nobis operatur Deus. Cf. Suarez, l. c. n. 4 ; Sylvius, 2. 2. q. 21, a. 2, concl. 3 ; Tanner, disp. 2 de spe, q. 1, dub. 4, n. 80 ; Illsung, tr. III, disp. unic. art. 2, n. 62; contra alios, v. g. Æg. De Coninck, disp. XX, dub. 15, n. 148. Si vero committatur peccatum tertio modo vel quarto, parvitatem materiæ admittere potest, nec destruit spei habitum. Cf. Suarez, l. c. n. 3 et 4.

oritur ex inani gloria et superbia ; vitatur autem humilitate et meditatione judiciorum Dei.

383. Ostendit S. Thomas 2. 2. q. 21, a. 4, præsumptionem oriri præsertim ex *inani gloria* et *superbia*. Illi autem obsistendum est per *profundam humilitatem*, nec non per *meditationem inscrutabilium Dei judiciorum*. Deus siquidem non irridetur,ac, dum se exorabilem præbet, cum quis sua peccata detestans tempestive a malis suis viis convertitur, sic justo judicio de se nimium præsumentes punit. Hac autem occasione gravissime monet Perrone, in nota ad 159, carpendos esse nonnullos « qui hac nostra ætate scelestissimos homines reipublicæ non minus quam religionis christianæ seu Ecclesiæ catholicæ hostes vaferrimos, sub excommunicationis pœna detentos, quam publice contempserunt, ac justo Dei judicio aut repentino morbo aut subita morte perculsos, exhibent veluti mortuos in osculo Domini, ob nonnulla incerta resipiscentiæ signa, quæ ipsi præbuerint ; imo et interdum etiam sine illis signis vita functos, absque sacramentis, absque retractatione ulla errorum gravissimorum, quos publicis editis libris disseminarunt; tamen ob possibilem internam resipiscentiam,

perinde ac si certo adepti fuerint salutem, prædicant. Idque viri etiam pii ac religiosi quandoque in vulgus spargere non verentur...Hi non advertunt se hac ratione scandala serere, vim omnem minis ac terroribus a Deo intentatis in ejusmodi perditos homines penitus tollere, quibus plena sunt scripturarum oracula, et a sanctorum principiis abscedere. Sane 1 Pet. IV. 18: *Et si justus vir salvabitur : impius et peccator ubi parebunt ?*

LIBER III.

DE CHARITATE.

PROŒMIUM.

DE SIGNIFICATIONE VOCIS.

Charitatis nomine proprie intelligitur

384. Nomine charitatis proprie intelligitur *amor amicitiæ*, seu *amor honestus in eos, qui et per se amentur gratuito, et vicissim redamare possint:* tali sensu ea vox usurpatur non solum in sacris litteris, v. g. Jerem. XXXI, 3; Rom. XII, 10; Eph. II, 4; Colos. III, 14 etc., et in scriptis SS. Patrum, sed etiam apud auctores profanos, quo modo Tullius, de amicitia, ait: « Charitatem quæ est inter parentes et liberos dirimi nisi detestabili scelere non posse; » et lib. 1, de natura deorum: « Hominum charitas et amicitia gratuita est. » Cfr. Valentia, disp. III, q. 1, pu. 1.

amor benevolentiæ

385. Cum autem charitas pertineat ad genus *amoris*, sciendum est *amare* nihil aliud esse quam *voluntate ferri in aliquod objectum;* quod contingere potest duplici modo: nempe ita ut amans voluntate feratur in objectum tanquam bonum proprium ut illud possideat ejusque possessione fruatur: et hoc casu habetur amor *concupiscentiæ;* vel ita ut amans voluntate feratur in objectum tanquam bonum in se et ut illi bene sit; hoc autem casu habetur amor *benevolentiæ*. Ita S. Thomas, 2. 2. q. 23, a. 1: « Non quilibet amor habet rationem amicitiæ, sed amor qui est cum benevolentia, quando scilicet sic amamus aliquem ut ei bonum velimus. Si autem rebus

amatis non bonum velimus, sed ipsum eorum bonum nobis velimus, sicut dicimur amare vinum aut equum, aut aliquid hujusmodi non est amor amicitiæ, sed cujusdam concupiscentiæ. » Eodem modo 1 p. q. 20, a. 1, ad 3 : « Actus amoris semper tendit in duo, scilicet in bonum quod quis vult alicui, et in eum cui vult bonum. Hoc enim est proprie amare aliquem velle ei bonum. Unde in eo quod aliquis amat se, vult bonum sibi, et sic illud bonum quærit sibi unire, in quantum potest. Et pro tanto dicitur amor vis unitiva... In hoc vero quod aliquis amat alium vult bonum illi. Et sic utitur eo tanquam se ipso, referens bonum ad illum, sicut ad seipsum. Et pro tanto dicitur amor vis concretiva... » Ita etiam Suarez, de spe, disp. I. s. 3, n. 5 : « Uno amore ita amatur res in se et propter se ut,quidquid amatur, illi rei ametur, ut ipsa sit perfecta, ibi sistendo ; qui modus est proprius amoris amicitiæ ; alio vero actu amatur eadem res non sibi sed amanti : in commodum et perfectionem ejus, qui modus est concupiscentiæ. »

386. Hinc ratio formalis ultima amoris concupiscentiæ est rei quam volumus *bonitas respectiva*, seu ejus *aptitudo ad beatificandum ;* amoris vero benevolentiæ ratio formalis ultima est *dignitas personæ* seu *perfectio qua redditur amabilis*. « Nam, quemadmodum recte arguit Æg. De Coninck, sicut Petrum nullo modo amarem, nisi prius apprehenderem ac amarem in eo aliquod bonum, quo ipse fiat dignus amore ; ita quamvis illam rem judicarem ei bonam, nunquam tamen illam ipsi optarem, nisi prius eum propter aliam ipsius bonitatem amarem... Ex quo fit, quod actus quibus diversa omnino bona opto amico, præcise quia ipsi bona sunt, pertineant ad eamdem virtutem, et sint ejusdem speciei præsertim moralis : nam sunt omnes actus charitatis, si ea opto Deo, aut amicitiæ virtutis moralis, si homini, quem honeste amo, ea opto. Cujus tamen contrarium accidit in actibus, quibus mihi

aliquid opto præcise quia mihi bonum est, qui variant suam speciem et honestatem, ratione diversæ bonitatis quam mihi propter se opto ; nam secundum rationem tam physicam quam moralem, sunt diversæ omnino speciei actus, quibus mihi ita opto scientiam, et quibus mihi opto honestatem alicujus virtutis. Quorum ratio est, quia in priore casu omnes illi actus habent idem objectum formale, scilicet, bonitatem sive dignitatem personæ, qua digna est amari ; secus est in secundo : nam pro diversitate objecti boni, quod mihi propter se concupisco, variatur objectum formale mei actus, cum ipsa bonitas intenta sit ultima ratio formalis mei actus. Et hinc rationem reddimus, cur actus quo mihi opto beatitudinem præcise quia mihi bona est, sit potius virtus theologica, quam is quo eam opto alteri, præcise quia huic bona est. » Disp. XIX, dub. 1, n. 6-13.

387. Hæc autem dignitas, qua persona redditur amabilis, aliquando potest esse omnino idem cum essentia personæ amatæ : ut si aliquem ames, quia homo rationalis est, ad imaginem Dei creatus ; — alias est accidens inhærens personæ, v. g. bonitas virtutis, scientia, etc.,— alias vero oritur ex denominatione extrinseca, ut si ames aliquem, quia Christi sanguine redemptus est. Cæterum semper consistit vel in aliqua perfectione amati vel in ejus conjunctione cum amante : cfr. Æg. De Coninck l. c. n. 9.

gratuitus,

388. Dignitas illa personæ, propter quam ipsi bonum volumus, aliquando movet amantem præcise quatenus est ipsi utilis et commodum qualecumque afferens, aliquando cum movet per se et absque respectu ad proprium commodum et utilitatem ; in priori casu amor non est puræ benevolentiæ, sed potius, saltem indirecte, concupiscentiæ ; in casu autem posteriori amor est puræ benevolentiæ et gratuitus. Ita Æg. De Coninck l. c. n. 7 et 8 : Nota ejusmodi bonum, quo alius nobis redditur amabilis, quandoque esse tale

cum aliquo respectu ad nos, ita ut ipsius bonum apprehendamus nostrum, aut cum nostro conjunctum, et sic amamus bonum nostrorum servorum.... ; et hoc ipso actu quo eos ita amamus magis amamus nos quam ipsos, quia totus hic amor ex amore nostri oritur, et commodum nostrum ultimo respicit. Alias vero ejusmodi bonum,ob quod alius amatur, nullo modo cum bono nostro conjunctum est, aut saltem nullo modo amatur qua tale ; sed secundum se præcise et per se placet, et ratione ipsius placet ipsa persona, ac judicatur digna quæ per se et propter se ametur, ita ut velimus ei bonum, præcise quia ei bonum est, nullo modo hoc ulterius in nostrum aut alterius bonum referendo, et hic est proprie amor amicitiæ. » Adverti autem hic debet, quamvis amore puræ benevolentiæ velimus bonum personæ amatæ propter ipsam et non propter nos, in hoc tamen actu quærimus nostram felicitatem quam in unione per amorem reperimus ; videlicet, vi hujus amoris, nedum amans bonum personæ amatæ ad se referat, potius seipsum refert ad bonum personæ amatæ, suam propriam felicitatem in illius felicitate constituens, ita ut quandoque totaliter se ei devoveat. Cfr. S. Thomas 1. 2. q. 28 a. 1 et 2.

389. Porro « nec benevolentia sufficit ad rationem amicitiæ, sed requiritur quædam mutua amatio, quia amicus est amico amicus. Talis autem mutua benevolentia fundatur super aliquam communicationem. » S. Thomas, 2. 2. q. 23, a. 1. Amicitia enim a Tullio, quem citat S. Augustinus lib. III contra Acad. c. 6,et epist. CLX (al. CCLVIII) ad Mart. definitur rerum humanarum et divinarum cum benevolentia et charitate consensio ; adeoque ejus conditiones sunt mutua benevolentia, mutuæ hujus benevolentia notitia, communio seu mutua bonorum communicatio. et mutuus ;

390. Cum igitur charitas consistat in volitione boni, sequitur plures esse actus ejus tum internos tum externos. Et

qui plures actus complectitur;

quidem actus interni charitatis sunt *gaudium* de felicitate præsenti personæ amatæ, *desiderium* felicitatis futuræ, tristitia de malo quod adest, timor ne malum contingat. Ita S. Thomas : « Amor est prima affectio appetitivæ potentiæ, ex qua sequitur et desiderium et gaudium. Et ideo habitus virtutis idem est, qui inclinat ad diligendum et ad *desiderandum* bonum dilectum, et ad *gaudendum* de eo. » 2. 2. q 28, a. 4. Cfr. 1. 2. q. 25, a. 2, q. 28, a. 6. Externi autem charitatis actus sunt quibus amans amato bonum non solum vult, sed etiam *operatur*, seu, ex iis quæ habet et potest, amato communicat.

impropriе vero intelligitur amoris benevolentiæ signum, vel amor concupiscentiæ, vel etiam amor inhonestus.

391. Cum hac modo explicata significatione primaria connexæ sunt aliæ significationes impropriæ et secundariæ. Nempe nomine charitatis aliquando designatur amoris gratuiti signum aliquod et symbolum, prout est Eucharistia, qua christiani inter se et cum Christo uniti esse debent ; aliquando etiam designatur amor concupiscentiæ, imo et forte amor inhonestus. Cfr. Valentia, l. c.

Tractationis partitio.

392. Jam oportet ut de charitate theologica distincte agamus ; inquiremus autem successive de ejus natura, necessitate, et efficacia, necnon de peccatis ipsi oppositis.

DE CHARITATE THEOLOGICA.

PARS I.

DE NATURA CHARITATIS THEOLOGICÆ.

393. Charitas theologica est *virtus supernaturalis qua Deum ex toto corde diligimus propter seipsum, nos vero et proximum sicut nosmetipsos propter Deum.* Definiri etiam potest cum S. Augustino, de doct. christ. lib. III, C. X, n. 16 : « Motus animi ad fruendum Deo propter ipsum et se atque proximo propter Deum ; » vel cum S. Thoma, 1, 2. q. LXV, a. 5 : « Amicitia quædam ad Deum, quæ quidem super amorem addit mutuam redamationem cum quadam communicatione mutua. « Quæ in his definitionibus continentur, jam distinctius explicabimus agendo de charitate theologica, primum quatenus spectatur ut *actus*, deinde quatenus spectatur ut *virtus*. Definitio virtutis charitatis.

CAPUT I.

DE NATURA ACTUS CHARITATIS THEOLOGICÆ.

394. Actus charitatis theologicæ est amor benevolentiæ quo Deum super omnia propter se, et nos metipsos ac proximum sicut nos propter Deum efficaciter diligimus. Quibus verbis, præter charitatis subjectum, indicantur ejus *objectum materiale, motivum* seu *objectum formale*, et præcipuæ ejus *proprietates*, de quibus in specie nunc agemus. Actus charitatis definitio.

ARTICULUS I.

DE OBJECTO MATERIALI ACTUS CHARITATIS.

Charitatis objectum materiale

395. Objectum materiale charitatis in præsenti non intelligitur *bonum quod alicui volumus*, sed *persona cui bonum volumus*. Duplex autem hujusmodi objectum distinguitur, nempe primarium seu principale, ac secundarium seu minus principale, ex quorum coalitione, tanquam ex partibus, adæquatum seu plenum objectum exurgit.

primarium est Deus;

396. *Deus est objectum materiale charitatis primarium et principale.* Deus enim ita diligendus proponitur propter se ipsum, ut cætera nonnisi propter ipsum et in ordine ad ipsum diligere debeamus : quo spectat primum ac maximum mandatum a Christo Domino inculcatum, Matth. XXII, 37, Luc. X, 27 : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua.* Præterea primarium ac principale charitatis objectum censendum est, quod est in se summum bonum, imo et per essentiam ipsum est formale bonum : quod profecto non est nisi solus Deus.

secundarium nos ipsi et proximus;

397. *Objectum materiale charitatis secundarium est tum proximus relate ad unumquemque, tum homo quilibet relate ad seipsum.* Colligitur ex sacris litteris, v. g. Matth. XXII, 39, 1 Joan. IV, 12 : *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* — *Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, et charitas ejus in nobis perfecta est.* Et quidem imprimis proximus est quid Dei, particeps beatitudinis et bonitatis ejus ; perfectæ autem amicitiæ est non solum diligere eum cum quo primario et per se amicitia contrahitur, sed etiam ratione illius ea quæ ad ipsum spectant, ut amicos, filios, etc. Deinde si amor, quo diligimus proximum, exigi debet, tanquam ad regulam et normam, ad amorem quo nos ipsos diligimus, evidens est unum-

quemque relate ad seipsum objectum esse charitatis; unde S. Augustinus, de doct. christ. lib. I, c. 26 : « Cum dictum est, diliges proximum tuum tanquam teipsum, simul et tui abs te dilectio non prætermissa est. »

sc. omnis creatura rationalis re aut spe beata.

398. Porro nomine *proximi* venit omnis creatura rationalis re aut spe beata, hoc est, quæ æternam beatitudinem vel actu est consecuta vel saltem consequi potest ac est in via ad ipsam. Cfr. S. Augustinus de doct. christ. lib. I, c. 23, 25 et 30. Hinc inter proximos connumerantur angeli boni, sancti in cœlo regnantes, animæ beatorum in purgatorio detentæ, quilibet homo viator, etiam peccator, non autem angeli mali, nec homines damnati.

399. Cum objectum materiale charitatis sit *persona*, proprie dici nequit charitate diligendum esse corpus proprium vel corpus proximi, licet ea nosmetipsos et proximos diligamus non solum secundum animam, sed etiam *secundum corpus* ; homo enim diligi debet qualis est, scilicet prout animal rationale. Ex quo etiam patet, quomodo sit loquendum de Christo, quatenus est homo. Cfr. Perrone, de charitate, n. 18 et 19.

ARTICULUS II.

DE MOTIVO ACTUS CHARITATIS.

Objectum formale charitatis est bonitas Dei absoluta.

400. Objectum formale charitatis, seu motivum propter quod Deum ex toto corde, proximum vero sicut nosmetipsos amore benevolentiæ prosequimur, est *Dei bonitas absoluta et propter se amabilis.*

Deum charitate diligi propter bonitatem suam absolutam

401. Asserimus itaque *charitate* Deum *diligi propter bonitatem ejus absolutam, non vero propter commodum aliquod proprium.* Exprimitur hæc veritas Deut. VI, 4, 5 : « *Audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus unus est. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua.* Quibus verbis Moyses profecto est com-

colligitur ex Scripturis,

traditur a SS. Patribus,

docetur a Scholasticis,

plexus validius motivum ad diligendum Deum, perfectissimam scilicet ac simplicissimam Dei essentiam. Idem docent communiter SS. Patres, inter quos primo loco occurrit S. Augustinus, in celebri sua definitione charitatis, jam a nobis superius relata, n. 390; ubi animadvertendum sedulo est, verbum *fruendum* a sancto Doctore in sensu adhæsionis Deo adhibitum fuisse, juxta notionem quam ejusdem vocis præmiserat, eodem opere de doctrina christiana lib. I, c. 4, scribens : « Frui est amore inhærere alicui rei propter seipsam, » et alibi passim. Clarius adhuc S. Bernardus, de diligendo Deo, c. VII, n. 17 : «Non enim sine præmio diligitur Deus, etsi absque præmii intuitu diligendus sit; » et rursus ibid. c. XII, n. 34 : « Est, qui confitetur Domino, quoniam potens est; et est, qui confitetur, quoniam sibi bonus est; et item, qui confitetur, quoniam simpliciter bonus est. Primus servus est, et timet sibi; secundus mercenarius, et cupit sibi; tertius filius, et defert Patri. Itaque et qui timet et qui cupit, utrique pro se agunt. Sola, quæ in filio est, charitas non quærit quæ sua sunt. » Unanimes etiam sunt scholastici cum S. Thoma, 2. 2, q. 23, a. 5 ad 2 : « Dicendum quod charitate diligitur Deus propter seipsum. Unde una sola ratio diligendi attenditur principaliter a charitate, scilicet, divina bonitas, quæ est ejus substantia. » Hæc thesis est, cui perpetuo insistit, quin oporteat ejusdem S. Doctoris plura congerere testimonia. Ita etiam Suarez, de charitate, disp. I, s. 2, n. 1 : « Primo constat, Deum sub ratione boni esse objectum charitatis, quia charitas ad voluntatem spectat, et est amor. Constat secundo, Deum sub ratione summi boni propter se amabilis esse objectum charitatis... Ratio est, quia in hoc differt charitas et ab omni alia dilectione boni creati, et a dilectione ipsius Dei, quæ est concupiscentiæ vel spei : nam hæc diligit Deum ut summum bonum diligentis, charitas vero amat Deum propter se. » Et Lessius, de summo bono, lib. II, c. 5 : « Amor amicitiæ in Deum est affectus, quo cu-

pimus Deo omne bonum, tam intrinsecum quam extrinsecum, nulla commodi nostri ratione habita, sed solum ut ipsi Deo bene sit. » Tandem confirmatur hæc doctrina auctoritate Catechismi Romani, part. VI, de prima petit. oration. Dominicæ, n. 2 : « Monet nos vera charitas, totum ut animum ac studium conferamus in Deum ; qui, quoniam solus est in seipso summum bonum, jure est præcipuo quodam ac singulari amore diligendus. » Quibus verbis verum ac formale charitatis objectum nobis exhibet catechismus, scilicet summam Dei et absolutam bonitatem. Exinde eruta est instructio, quæ addita est concilio Romano sub Benedicto XIII, in qua notio traditur contritionis perfectæ, quæ scilicet charitate illa informatur, quæ ex solo Dei amore propter se dilecti concipitur. Hinc rejicienda omnino videtur opinio eorum qui, cum Vincentio Bolgeni contenderunt, verum objectum formale seu motivum charitatis theologicæ, qua ante actualem sacramentorum susceptionem justificamur, esse Deum, prout est bonum nostrum, non autem prout est bonum in se ; adeoque charitatem theologicam consistere in amore concupiscentiæ, minime vero in amore benevolentiæ, prout hactenus in scholis traditum fuerat. Cfr. Muzzarelli, in opusculo De motivo formali actus charitatis ; et Perrone, De charitate, n. 29 et sqq.

confirmatur auctoritate cathechismi Romani.

402. *Controvertitur inter doctores catholicos utrum formale charitatis objectum sit sola Dei bonitas supernaturalis, an etiam bonitas naturalis.* Esse solam bonitatem supernaturalem docuerunt plures, præsertim ex antiquioribus, quibus non obscure suffragari videtur S. Thomas, 1 p. q. 60 a. 5 ad 4 : « Deus, secundum quod est universale bonum, a quo dependet omne bonum naturale, diligitur naturali dilectione ab unoquoque ; in quantum vero est bonum beatificans universaliter omnes supernaturali beatitudine, sic diligitur dilectione charitatis. » Et rursus 1. 2, q. 190, a. 3, ad 1 : « Charitas diligit Deum super omnia eminentius quam natura ; natura enim

Controvertitur utrum motivum charitatis sit sola bonitas supernaturalis, an etiam bonitas naturalis ;

diligit Deum super omnia prout est principium et finis naturalis boni ; charitas autem secundum quod est objectum beatitudinis, et secundum quod homo habet quamdam societatem spiritualem cum Deo. » Eodem modo Suarez, de charitate, disp. I, s. 2, n. 5 et 6 : « Dico, formale objectum charitatis esse summam Dei bonitatem, quæ est quoddam bonum ita excedens humanæ naturæ ordinem, ut nullam habeat cum tali natura connexionem, sed ut est prorsus alterius ordinis ; unde amoris naturalis objectum erit Deus, ut est summum quoddam bonum naturæ accommodatum et habens cum illa necessariam connexionem et communicationem. Hanc conclusionem probo primo ex distinctione illorum amorum ; distinguuntur enim tanquam amor accommodatus naturæ, et excedens naturam : ergo objecta formalia eorum eadem ratione distinguuntur. Secundo id variis considerationibus de Deo declaratur. Nam, licet quidquid est in Deo, superet omnem naturam creatam, et ut sic, possit dici supernaturale, tamen Deus sub quadam ratione habet necessariam connexionem cum natura hominis sub ratione proportionati principii et finis, et hoc modo dicitur bonum naturale seu accommodatum naturæ ; tamen ultra hoc est in Deo infinita quædam bonitas et perfectio, quæ cum natura hominis, ut sic, nullam habet connexionem, quia, ut sic, nihil communicat illi naturæ, neque est principium ejus, et hoc modo Deus est bonum superans omnem naturam. Præterea ex hac differentia oritur alia, nam licet benevolentiæ amor non tendat in objectum ut bonum amantis (alioquin jam non esset benevolentiæ, sed concupiscentiæ) requirit tamen conjunctionem aliquam inter amatum et amantem..; hinc igitur fit, ut quando communicatio et unio est diversi ordinis, etiam ratio diligibilis et boni, quæ in objecto apparet, distincti sit ordinis ; Deus igitur aliam conjunctionem et communicationem habet cum natura, ut tantum dat illi esse naturale, aliam vero ut dat illi esse supernaturale, et propriam

participationem suæ beatitudinis. Secundum has ergo diversas rationes habet diversam rationem objecti. » Cfr. etiam pro hac sententia, Valentia, de charitate, q. I, p. 1, n. 4 ; Amicus, disp. XXIV de charitate, s. 2 ; Tanner, disp. II, q. 2, dub. 2; Wiggers et Sylvius in 2. 2, q. 23, a. 5, etc. Nihilominus formale objectum charitatis esse etiam bonitatem Dei naturalem, multis defendit Ripalda, disp. XXIV de charitate, s. 3 et sqq., quem sequntur Herinckx, de gratia, disp. II, q. 4, n. 37. Platel, n. 393 et sqq.

403. Quidquid autem circa præcedentem quæstionem statuatur, saltem tenendum est *objectum formale charitatis non esse nisi Dei bonitatem supernaturaliter manifestatam lumine fidei* : secus enim haberetur amor tantum naturalis. Cfr. Perrone, de charitate, n. 37.

juxta omnes est saltem bonitas supernaturaliter cognita per fidem.

404. *Disputatur præterea utrum per bonitatem divinam, quæ est objectum formale charitatis, intelligi debeat solummodo cumulus omnium perfectionum collective, an vero intelligi possit etiam quævis perfectio seorsim sumpta abstrahendo ab aliis*, sic ut amari queat Deus amore charitatis, non tantum quia est infinite perfectus in omni genere excellentiæ, sed præcise propter infinitam justitiam, misericordiam, sapientiam etc. Multi existimant motivum charitatis esse complexionem omnium perfectionum, seu ipsum esse divinum absolute et in omni genere infinite perfectum : huic sententiæ patrocinari videtur S. Thomas, tum 2. 2, q. 23, a. 5, et quæst. unic. de charitate, a. 8 ad 3, tum in illis locis in quibus docet charitate Deum diligi in quantum est objectum beatitudinis, v. g. 1. 2, q. 65, a. 5 ad 1 ; q. 109, a. 3 ad 1; eamdem vero expresse tradit Suarez, disp. I, s. 2, n. 2 : « Dices : Deus non solum est amabilis, quia bonus est, sed quia sapiens, justus, misericors, etc. Respondeo, dupliciter intelligi posse hanc summam bonitatem : primo, ut attributum distinctum ab aliis, et importans summam perfectionem in operando ; et

Controvertitur etiam utrum motivum charitatis sit bonitas consistens in collectione omnium perfectionum, an bonitas consistens in singulis perfectionibus.

hoc modo non est adæquata ratio dilectionis Dei : sicut neque illa est ratio adæquate beatificans hominem. Alio modo bonitas significat absolutam perfectionem in omni genere excellentiæ seu absolutam excellentiam in omni genere perfectionis, et hoc modo est ratio formalis objecti charitatis propria et specialis, quia, licet sit universalis in continendo perfectionem omnem, propter quod sufficiens est ad explendam capacitatem et appetitum hominis, tamen in se est simplicissima ratio : quæ specialem modum dilectionis requirit. » Cfr. Caietanus, Bannez, Sylvius, in 2. 2, q. 23, a. 4; Æg. De Coninck, disp. XXI, dub. 2, n. 12; Salmanticenses, tr. XIX de charitate, disp. II, dub. 2, § 3, n. 18 et sqq. qui fuse omnino ea de re tractant. Nihilominus non desunt theologi qui defendunt quamlibet perfectionem divinam seorsim acceptam esse sufficiens objectum formale charitatis theologicæ : ita, præ cæteris, Ripalda, disp. XXV de charitate, s. 1 et 2; Platel, n. 390-393, Wirceburgenses, n. 287 : Herinckx, disp. XI de charitate, q. VI, n. 37, Voit. n. 397, Reuter, p. 2. n. 75. Sic autem ratiocinantur : propter quamlibet perfectionem divinam, etiam seorsim sumptam, Deus imprimis est amabilis propter se, quia quælibet perfectio ejusmodi supponitur Deo intrinseca et realiter identificata, ac ipse Deus; deinde est etiam amabilis super omnia quæ non sunt ipse Deus, quia cum quælibet perfectio divina rursus supponatur essentialiter infinita in suo genere, et Deum summe bonum formaliter constituens, etiam propter eamdem Deus est infinite et super omnia amabilis.

Charitas non excludit omnem respectum ad Deum quatenus est summum bonum nostrum ;

405. *Quamvis charitas solam Dei bonitatem absolutam pro motivo proprie dicto habeat, ab ea tamen non excluditur necessario omnis respectus ad Deum prout est bonum nostrum.* Beneficia scilicet a Deo vel recepta vel recipienda ad charitatem conferunt non solum quatenus manifestant infinitas Dei perfectiones, justitiam, misericordiam, sanctita-

tem, ob quas Deus est super omnia amabilis, sed etiam quatenus nos impellunt ad Deum propter se amandam ; adeoque eadem beneficia recte vocantur *dispositiones* ad charitatem, vel ejus *conditiones*, aut *ratio remota et extrinseca*, aut causa *impulsiva* et *voluntatem applicans* ad actum. Ita S. Thomas 2. 2, q. 27, a 3 : « Potest (Deus) diligi propter aliud, quia scilicet ex aliquibus aliis disponimur ad hoc, quod in Dei dilectione proficiamus, puta per beneficia a Deo suscepta, vel per præmia sperata, vel per pœnas quas per ipsum vitare intendimus. » Ad quem locum egregie notat Sylvius, « charitatem esse amorem benevolentiæ principaliter ; nihil tamen vetare quin secundario includat aliquem amorem concupiscentiæ : vera enim amicitia non excludit respectum ad bonum aliquod ab amico accipiendum, modo primo et principaliter diligatur amicus propter se, bonum autem illud solum secundario exspectetur. Hinc S. Bonaventura, de disp. 27 : « Duplex, inquit, est motus in charitate : motus amicitiæ et motus concupiscentiæ ; motus amicitiæ est ille quo quis desiderat Deo placere et servire non attendendo scilicet an merces aliqua inde sit proventura, an non. Motus concupiscentiæ est quo desiderat Deum habere et videre. » Quamvis ergo charitas secundum se, et prout dicit amorem amicitiæ, non spectet præmium, sed velit bonum Deo, sine intuitu alicujus retributionis, per hoc tamen non excluditur quin eadem charitas amore concupiscentiæ desideret Deum habere et videre : quandoquidem illam suam comprehensionem et visionem ad Dei etiam gloriam referat. » Eodem modo Herinckx, l. c, n. 39 : « Beneficia non sunt proprium motivum amoris, sed causant debitum rependendi amorem benefactori ; diligendus enim est ob suam bonitatem tantus benefactor, beneficiaque exigunt ut amemus illum propter se. Gratitudo itaque erga Deum imperat amorem eliciendum ob increatam bonitatem. Quod si considerentur non tam beneficia quam bonitas tanta benefacientis, jam non itur extra increa-

tam bonitatem Dei, quæ est motivum amoris. Similiter amor increatus Dei erga nos est perfectio infinita ipsius. Adde beneficia seu communicationem Dei esse rationem quamdam secundariam, quæ nos allicit et provocat ad amorem : sicut amamus alterum ob doctrinam, virtutes, similesque perfectiones, qui tamen si noscatur esse benevolus et redamare amantes, accedet particularis ratio amabilitatis alliciens ad amandum. Ut tamen in præsenti amor noster perfectus sit, non tam debet esse propter beneficia quam propter bonitatem et amorem divinum, ex quo nobis communicantur, sic ut tunc magis ametur Deus, eo quod tam bonus sit ut nos dignetur amare, quam proprie ametur propter beneficium. » Tandem Wirceburgenses, n. 288 : « Sicut motiva credibilitatis sunt tantum ratio remota et extrinseca actus fidei divinæ, auctoritas vero Dei revelantis est ratio motiva proxima et extrinseca, sic et beneficia divina, quibus inducimur ad bonitatem Dei cognoscendam et amandam, sunt extrinseca duntaxat et remota motiva ratio actus charitatis, qui proxime et intrinsece ad bonitatem Dei absolutam terminatur. »

quin potius considerationem Dei beneficiorum exigit.

406. *Quinimo respectus ille ad Deum, quatenus est summum bonum nostrum, a charitate moraliter excludi nequit*, tum quia charitas est amor amicitiæ fundatus in mutua communicatione bonorum inter amantem et amatum, tum quia, propter humanam fragilitatem, amor benevolentiæ non diu perdurat, ubi spe bonorum non suffulciatur. Cfr. supra, n. 360 et sqq. In quem sensum merito scribit S. Bernardus, epist. XI, n. 8 : « Nescio si a quoquam hominum ille gradus (charitatis) in hac vita apprehenditur, ut se scilicet homo diligeret tantum propter Deum. Asserant hoc, si qui experti sunt. Mihi, fateor, impossibile videtur. » Atque hinc intelligitur cur, juxta communem doctorum sententiam, ordine generationis actus spei sit prior actu charitatis : ratio scilicet desumitur, ut bene explicat Suarez, disp. I de Spe, s. 7, n. 6,

« ex subjecti imperfectione et ex modo divinæ gratiæ, quo se accommodat subjecto, et illud sublevat ad supernaturalia, modo illi consentaneo atque adeo paulatim ascendendo ab imperfecto ad perfectum : quia ergo amor charitatis perfectissimus est, ideo prius inducitur homo ad amandum Deum ut bonum suum, et ad sperandum ab eo maxima bona, ut inde perveniat ad amandum illum per se ; nam amicabilia ad alterum ex amicabilibus ad se; et de hoc amore concupiscentiæ locutus est Augustinus in Enchiridio, c. VIII, ubi ait : « Spes sine amore esse non potest. Nam sine amore amicitiæ perfecto spem in peccatore reperiri constat. »

Unde amor benevolentiæ relate ad Deum bene stare potest cum amore concupiscentiæ.

407. *Quapropter amor benevolentiæ relate ad Deum bene stare potest cum amore concupiscentiæ, licet unus ab altero objecto formali penitus distinguatur ;* de qua re sic scribit S. Bonaventura, dist. 27, a. 2, q. 2 : « Amor concupiscentiæ non repugnat amori amicitiæ : imo quanto magis quis Deum desiderat recte, tanto magis ad honorem ejus anhelat. » Et S. Thomas, opusc. de dilectione Dei et proximi : « Duplex est dilectio : una concupiscentiæ, qua diligimus illud quod nobis volumus et desideramus ; alia amicitiæ, qua diligimus illud cui bonum volumus. Utraque dilectione diliges Dominum Deum tuum. »

408. Utrum autem in quibusdam actibus habeatur actus amoris benevolentiæ, an vero actus amoris concupiscentiæ, pendet sæpe ab intentione amantis. Exemplum imprimis est, quando Deus diligitur quia misericors, liberalis, etc. « Si enim considerentur et amentur hæ perfectiones respectivæ, quatenus cedunt in bonum termini respecti, qui sumus nos, eatenus quidem amantur amore concupiscentiæ. At si considerentur et amentur, quatenus Deum esse tam misericordem, tam liberalem et beneficum, etc. est pulchrum et perfectio ipsius Dei, qui est quasi subjectum, indubie terminant amorem benevolentiæ, et ad illum movent. » Herinckx, l. c. n. 37. Aliud

exemplum proponi solet de eo qui desiderat Dei conspectum; est enim hujusmodi desiderium actus amoris concupiscentiæ et spei, quatenus eo dirigitur ut per Dei conspectum beati efficiamur; est autem actus charitatis, quatenus eo dirigitur ut per claram Dei visionem disponamur ad Deum perfectissime amandum, qua ratione animæ perfectæ cupiunt dissolvi et esse cum Christo. » Cfr. Herinckx, l. c. n. 38 et 40, Platel, n. 389.

Charitate diligitur proximus propter Dei bonitatem

409. Asserimus deinde *eamdem Dei bonitatem esse objectum formale charitatis erga nosmetipsos et proximum.* Hæc est doctrina catholica, quæ innuitur in sacris litteris, v. g. 1 Joan. IV, 12, 21, V, 1, 2, etc.: *Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, et charitas ejus in nobis perfecta est. - Et hoc mandatum habemus a Deo, ut, qui diligit Deum, diligat et fratrem suum. - Et omnis qui diligit eum, qui genuit, diligit et eum, qui natus est ex eo. In hoc cognoscimus, quoniam diligimus natos Dei, cum Deum diligamus, et mandata ejus faciamus.* Sic autem exprimitur eadem doctrina a S. Augustino, lib. VIII, de Trin. c. 8 : « Ex una igitur eademque charitate Deum proximumque diligimus : sed Deum propter Deum, nos autem et proximum propter Deum. »

increatam

410. Itaque actus est charitatis, si proximus immediate diligatur *propter bonitatem increatam ipsi extrinsecam, sed ad quam relationem habet*, puta quia Dei filius est et amicus, quia ad ejus gloriam destinatus, quia imaginem ejus ac similitudinem gerit. Ita Suarez, disp. I de char. s. 3, n. 1 : « Sola bonitas quæ in Deo est, sufficienter movet ad amandum proximum, non considerata intrinseca bonitate proximi; sicut enim excellentia, quæ est in Christo, est sufficiens causa venerandi imaginem ejus, ita, quamvis nulla supernaturalis bonitas sit in proximo, imo summa malitia, charitas in bonitate Dei invenit sufficientem rationem amandi illum. » Triplici autem modo indicato nos et proximum diligi posse cum respectu ad

Deum, egregie evolvit Æg. De Coninck, disp. XXIV, dub. 1, n. 2 : « Primo igitur proximus amari potest, quatenus est quædam res et bonum extrinsecum ipsius Dei, ad ejus gloriam spectans, sicut amatur medium propter finem et mancipium amici propter amicum. Secundo, quatenus divina bonitas a proximo participatur, eumque afficit et in eo elucet, atque ita eum amabilem reddit. Et hac ratione fere eodem modo amamus proximum præsertim justum, propter Deum, quo amamus filios aut fratres amici propter amicum, quia justus est vere filius Dei. Peccatores autem etiam hoc modo amamus, quia, etsi actu non sint filii Dei, tamen sunt tales potentia, et quantum est ex Dei antecedente voluntate et destinatione, qui ideo eos creavit et redemit, ut filii Dei sint, et in hunc finem ex parte sua sufficientem iis gratiam confert, qua tales esse possint, si velint. Tertio possumus moveri ad aliquem amandum quia a Deo amatur, sive amore speciali, quo justos amat, sive generali, quo omnes homines vult salvos fieri, idque tanto affectu ut in hunc finem sanguinem suum fuderit. Amicitia enim, sicut efficit amicos unanimes sive unius voluntatis..., ita efficit, ut quidquid unus amat, alter etiam amet, quod videmus etiam inter homines fieri : nam eos quos videmus amari ab eo, quem valde amamus, ideo etiam amamus, etsi alias aversaremur. S. Thomas, 2. 2. q. 25, a 8. » Manifestum autem est, in his prædictis casibus, proprie Deum in proximo amari, sicut Christus adoratur in sua cruce et sancti honorantur in suis reliquiis.

vel etiam participatam.

411. Controvertitur tamen utrum actus charitatis sit, si proximus directe et immediate diligatur *propter bonitatem divinam ipsi inhærentem per participationem*, adeo ut ipsa bonitas increata indirecte tantum et mediate ad amorem moveat. Non desunt theologi qui docent non haberi in tali casu charitatem, sed amorem quemdam charitati inferiorem, licet forte supernaturalem, quemadmodum non habetur cul-

tus latriæ sed cultus inferior duliæ, quando sancti honorantur propter participatam a Deo excellentiam ipsis inhærentem. Ita Vasquez, in 3 p. tom. 1, disp. 98, c. 2; Lessius, de Just. et Jure, lib. 2, c. 36, n. 23; Æg. De Coninck, disp. 24, dub. 1, n. 19; Herinckx, l. c. n. 44; Platel, n. 344, qui hisce verbis hanc sententiam exponit : « Ad virtutem charitatis erga Deum non pertinet, sed ad quamdam inferiorem, amor quo proximus diligitur propter bona supernaturalia gratiæ et gloriæ, sic ut ista dona non placeant propter bonitatem Dei increatam, ad quam dicunt ordinem, tanquam conducentia ad ejus manifestationem, sed pure et præcise propter suam bonitatem creatam : quia talis actus pro objecto formali ultimo non habet bonitatem increatam sed creatam. » Quamvis hæc opinio, propter rationem allatam, multum nobis placeat, fateri tamen debemus, contrariam, qua scilicet tenetur in prædicto casu actum veræ charitatis reperiri, communius receptam videri ; eam enim propugnant Suarez, l. c. s. 3, n. 8 et sqq. ; Valentia, quæst. 1, pu. 2; Tanner, disp. 2, q. 2, dub. 2, n. 59 ; Amicus, disp. XXIV, s. 3, ac fusissime, more suo, Salmanticenses, l. c. dub. 4 per totum. Sic autem doctrinam suam exponit et vindicare conatur Doctor Eximius : « Objectum formale adæquatum charitatis est bonitas Dei increata, omnem excedens naturam, vel per se, vel per participationem ejusdem ordinis, seu quæ honestatem illius ordinis induat... De ratione virtutis theologicæ est ut ratio formalis ejus objecti sit increata vel simpliciter, vel secundum quamdam reductionem ; in quantum participatio ejusdem ordinis ad suam originem revocatur ; quod aliter dici potest, quod ratio increata debet esse adæquata vel in recto, vel in obliquo... Et patet a simili in spe : quia non solum desideramus beatitudinem objectivam, ut est bonum increatum, sed etiam alia bona, neque solum in Deo speramus, sed etiam in iis qui gratiam et virtutem Dei participant. In fide etiam quodammodo reperitur idem, quia

credimus Deo et iis qui spiritu Dei loquuntur; quodammodo vero non est idem, nam revera ratio formalis fidei est sola veritas Dei, alia sunt instrumenta; et rationem differentiæ colligo ex D. Thoma q. 26, a. 1 ad 2, quia charitas tendit in res prout sunt in se, fides vero non, sed ut extrinseca auctoritate affirmantur, quæ auctoritas æque cadit in omnia revelata; bonitas autem, quam amat charitas, non æque invenitur in omnibus, quæ ex charitate diligibilia sunt. »

ARTICULUS III.

DE PROPRIETATIBUS ACTUS CHARITATIS.

Charitas debet esse

412. Præter *supernaturalitatem*, de qua nulla moveri potest difficultas, præcipuæ charitatis proprietates sunt *efficacia*, *universalitas* et *ordo*.

efficax,

413. Et quidem imprimis amor sincerus non potest se continere in mero *affectu*, sed in actum necessario transit et *effectum* producit. Hæc veræ charitatis qualitas sæpe inculcatur in sacris litteris, v. g. Matth. XXV, 41, 1 Joan. III, 17, 18 : « *Non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate. — Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo : quomodo charitas Dei manet in eo?* » In eumdem sensum scribit S. Gregorius M. hom. XXX, in Ev. : « Amor Dei non est otiosus : magna enim operatur, si est. » Et rursus : « Probatio dilectionis exhibitio est operis. »

universalis,

414. Debet etiam amor affectivus et effectivus esse *universalis*, ita scilicet ut ab eo nulla excludatur persona quæ bonitate Dei sit amabilis. Hoc autem in specie intelligitur de inimicis, juxta doctrinam Christi Domini, Matth. V, 44 : *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos ;* quam doctrinam ita explicat S. Thomas 2. 2, q. 25, a. 8 : « Dilectio inimicorum tripliciter potest considerari. Uno modo, ut inimici

diligantur in quantum sunt inimici, et hoc est perversum et charitati repugnans, quia hoc est diligere malum alterius. Alio modo potest accipi dilectio inimicorum, quantum ad naturam, scilicet in universali, et sic dilectio inimicorum est de necessitate charitatis, ut scilicet aliquis diligens Deum et proximum, ab illa generalitate dilectionis proximi inimicos suos non excludat. Tertio potest considerari dilectio inimicorum in speciali : ut scilicet aliquis in speciali moveatur motu dilectionis ad inimicum ; et istud non est de necessitate charitatis absolute : quia nec etiam moveri motu dilectionis in speciali ad quoslibet homines singulariter est de necessitate charitatis ; quia hoc esset impossibile. Est tamen de necessitate charitatis secundum præparationem animi, ut scilicet homo habeat animum paratum ad hoc, quod in singulari inimicum diligeret, si necessitas occurreret. Sed quod absque articulo necessitatis homo etiam hoc actu impleat, ut diligat inimicum propter Deum, hoc pertinet ad perfectionem charitatis. Cum enim ex charitate diligatur proximus propter Deum, quanto aliquis magis diligit Deum, tanto etiam magis ad proximum dilectionem impendit, nulla inimicitia impediente. Sicut si aliquis multum diligeret aliquem hominem, amore ipsius filios ejus amaret, imo etiam inimicos sibi. »

et ordinata.

415. Præsertim vero amor charitatis *ordinatus* esse debet, ita ut nempe diverso modo in objecta feratur pro diversa eorum dignitate ; de quo sic scribit S. Augustinus, de doctrina christiana, lib. I, c. XXVII, n. 28 : « Ille juste et sancte vivit, qui ordinatam dilectionem habet, ne aut diligat, quod non est diligendum, aut non diligat, quod est diligendum, aut amplius diligat quod est minus diligendum, aut æque diligat, quod vel minus vel amplius diligendum est. »

416. Hic autem advertendum est, unum præ alio diligi posse tripliciter ; scilicet *intensive*, quando majori conatu

voluntas fertur in unum quam in alium, vel *objective*, quando majora bona uni desiderantur quam alteri, vel tandem *appretiative* seu *æstimative*, quando unus alteri præfertur, « ita ut amans magis refugiat separationem ab ejus dilectione, quam a dilectione alterius, et si necesse foret alterutrius amicitiam deserere, potius desereret amicitiam illius quem in sua dilectione minus æstimat quam alterius. Neque putandum est istas dilectiones semper esse sibi connexas: fieri enim potest quod quis extraneum magis diligat objective, volendo ei bonum majus, quem tamen minus vel intensive vel appretiative amat quam suum fratrem, cui quidem non vult ejusmodi bonum, sed majori affectu illum amat, ejusque amicitiam pluris facit quam amicitiam extranei. Fieri etiam potest quod appretiative magis diligat eum, quem intensive minus diligit, si ejus amicitiam pluris æstimet, magisque vereatur eam perdere, sed non tanto conatu nec tanta vehementia feratur in illum quam in quempiam alium. » Sylvius, 2. 2, q. 26, a. 2. Cfr. Suarez, disp. I, s. 4, n. 1; Tanner, disp. II, dub. 2, n. 17; Æg. De Coninck, disp. XXV, dub. 1, n. 2, etc.

Triplici modo unus præ alio diligi potest.

416. Jam in particulari explicandum est, quis sit debitus ordo charitatis inter Deum et creaturam, deinde inter nos et proximos, tertio, inter unum proximum et alium.

§ I.

De ordine charitatis inter Deum et creaturam.

417. *Ad essentiam charitatis requiritur ut Deus diligatur super omnia.* Colligitur hæc veritas ex sacris litteris, v. g. Deut. VI, 5, Matth. X, 37, XXII, 37 etc. : « *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua. — Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus, et qui amat filium aut filiam super*

De essentia charitatis est ut Deus diligatur super omnia

me, non est me dignus. Ratio autem intrinseca est, quia ad charitatis essentiam pertinet ut Deus eo diligatur modo qui respondeat divinæ bonitati, ob quam illum diligimus. Jam vero eo ipso quod divina hæc bonitas infinita sit, cæterasque bonitates omnes infinito intervallo excedat, sequitur Deum diligi super omnia debere. Hinc, juxta S. Thomam, 2. 2, q. 24, a. 12, propria ratio charitatis « consistit in hoc quod Deus diligatur super omnia. » Et rursus, 2. 2, q. 184, a. 3, ad 3 : « Sicut homo habet quamdam perfectionem suæ naturæ, statim cum nascitur, quæ pertinet ad perfectionem speciei ; est autem alia perfectio ad quam per augmentum adducitur : ita est etiam quædam perfectio charitatis pertinens ad ipsam speciem charitatis, ut scilicet Deus super omnia diligatur et nihil contra eum ametur. »

418. *Essentialis ista charitatis proprietas non consistit in majori affectus intensione, qua in Deum ferimur, sed in majori extensione bonorum quæ Deo volumus, et in majori æstimatione, qua Deum omnibus præferimus;* seu, aliis verbis, charitas erga Deum super omnia esse debet non *intensive* sed *objective* et *appretiative.*

non quidem intensive

419. Et imprimis quidem de essentia charitatis non esse ut Deus diligatur super omnia *intensive*, communiter a Theologis admittitur, paucissimis tantum refragantibus ; cfr. S. Thomas 2. 2, q. 26, a. 1 et 2, et Sylvius, Wiggers, Toletus, Malderus, etc. in h. l., item Valentia q. 4, p. 1, Tanner, q. 3, dub. 2, n. 23 et sqq., Æg. De Coninck, disp. XXV, dub. 1, n. 14 et sqq. Ripalda, de charitate, disp. XXXVII, s. 5, Becanus, c. 19, q. 1, contra Continuatorem Tournely, de char. q. 4, pu. 1. Ratio autem est, quia intensio amoris non tam respondet dignitati objecti quam naturali dispositioni ipsius amantis, et modo apprehensionis, atque vi impressionis, ita ut sæpe res aliqua eo vehementius diligatur quo vividius percipiatur, non quo dignior æstimetur. Cæterum omnes notant

maximopere convenire ut amor Dei etiam intensive major seu minor non sit amore creaturæ,

sed objective

420. De essentia autem charitatis esse ut Deus diligatur super omnia *objective*, unanimiter tenent theologi, ll. cc. Ratio est, « quia homo tenetur plus boni Deo velle quam aliis. Quod dupliciter intelligi potest. Primo, de bono infinito, quod revera in Deo est. Et sic certa est conclusio, quia homo tenetur ex charitate favere unicuique id bonum, quod habet. At Deus habet in se infinitum bonum, creatura finitum. Ergo tenetur Deo favere infinitum bonum, creaturis finitum. At hoc nihil aliud est, quam Deo plus boni velle per modum gaudii et complacentiæ, quam creaturis, et consequenter Deum magis objective amare quam creaturas. Secundo, potest intelligi de bono finito, quod Deus non habet, sed habere potest, cujusmodi est honor et gloria, quæ illi deferri potest ab iis a quibus hactenus delata non est. Et sic etiam certa est conclusio, quia homo tenetur majorem gloriam desiderare Deo, quam ulli creaturæ. » Becanus, l. c.

et appretiative :

421. De essentia charitatis etiam esse ut Deus diligatur super omnia *appretiative*, communis et omnino certa sententia est, quæ cæteroquin probatur omnibus argumentis superius n. 418 allatis. Sane infinita divinæ bonitatis eminentia exigit ut Deum affectu absoluto præferamus omnibus bonis creatis.

in qua dilectione super omnia varii gradus perfectionis accidentalis esse possunt.

422. Hæc dilectio Dei super omnia plures gradus habere potest. Primus gradus existit, quum Deus ita diligitur super omnia ut homo renuntiet iis omnibus quæ simul cum amicitia Dei retineri nequeunt. Secundus gradus est, quum Deus ita diligitur super omnia ut homo paratus sit renuntiare non solum iis quæ cum amicitia Dei sunt incompossibilia, sed etiam iis quæ eamdem amicitiam minuunt. Tertius gradus est, quum Deus ita diligitur super omnia ut homo vitet ea quæ Deo vel leviter displicent, et præterea in omnibus quærat

ea quæ sunt ipsi magis grata et accepta. Eodem fere sensu a S. Thoma distinguitur charitas *incipientium, proficientium* et *perfectorum*. Incipientium charitas consistit in recessu a peccato et resistentia concupiscentiæ; proficientium vero in virtutum exercitatione, quibus roboratur Christus; perfectorum denique in studio adhærendi Deo ac eo fruendi, cum nempe dissolvi cupiunt et esse cum Christo. Cfr. 2. 2, q. 24, a. 9. Huc etiam referri potest distinctio charitatis in *inchoatam* et *consummatam*. Charitas inchoata ea dicitur quæ, etsi jam attigerit gradum amoris Dei super omnia, adhuc tamen infirma est et debilis, ita ut facile ea amittatur, cujusmodi fuit illa Petri, cum diceret: *Ego paratus sum tecum in carcerem et in mortem ire*, qui nihilominus, ob ancillæ timorem, paulo post Christum negavit. Consummata autem charitas ea dicitur quæ firma est, et omnia contraria vincit ac superat.

§ 2.

De ordine charitatis inter nos et prôximos.

Ordo Charitatis postulat ut homo simpliciter magis diligat seipsum quam proximum:

423. *Postulat ordo charitatis ut generatim et simpliciter homo magis seipsum diligat quam proximum.* Ratio est, quia amor suiipsius a Christo Domino ponitur tanquam regula amoris ergo proximum, Matth. XXII, 39: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*; juxta quam doctrinam scribit S. Augustinus, de civitate Dei, lib. I, c. XX: « Regulam diligendi proximum a semetipso dilector accepit; » et de vera religione, cap. XLVI, n. 87: « Ea autem est regula dilectionis, ut, quæ sibi vult bona provenire, et illi velit; et quæ accidere sibi mala non vult, et illi nolit. » Jam vero regula prior et potior est quam regulatum. Hinc rursus S. Augustinus, lib. I retract. c. VIII: « Magis enim mihi debeo quam hominibus cæteris; » et hom. 37 ex 50 (al. Serm. 368) n. 5: « Primum dilige Deum, deinde te ipsum: post hæc dilige proximum tuum sicut teipsum. » Cfr. S. Thomas, 2.2, q. 26, a. 4.

424. Hæc tamen doctrina generalis non sic accipienda est, ut, in quibuscumque adjunctis et relate ad quæcumque bona, homo possit vel debeat seipsum omnibus aliis præferre ; nam amor sui non excludit amorem proximi, licet eum superet.

non tamen exigit ut in quibuscumque adjunctisquæcunque bona nobis velimus potius quam proximo

425. Ut ergo rite intelligatur et in specie determinetur quid importet dilectio sui supra proximum, comparatio nos inter et cæteros homines instituenda est, primum relate ad bona quæ nobis vel aliis velle possumus; deinde relate ad necessitatem in qua possumus versari. Bona enim sunt *spiritualia* vel *temporalia ;* eorum autem necessitas seu indigentia triplex distinguitur, nempe *extrema*, *gravis*, et *communis* vel *mediocris : extrema* existit, cum periculum damnationis, aut mortis vel alterius mali morti fere æqualis ita proximo imminet, ut moraliter loquendo sine alterius auxilio illud evadere non possit; *gravis* est, cum prædicta mala non tam certo imminent sed tamen probabili conjectura timentur : vel cum notabile aliquod damnum minus evidenter instat; *communis* demum dicitur, in qua quis sibi providere potest sine nimia difficultate ; in cujusmodi necessitate spirituali versantur vulgares peccatores, qui, si vellent conatum aliquem adhibere, e malo statu resurgerent ; in simili vero necessitate temporali versantur mendicantes, quibus, attenta eorum conditione, vita non nimis molesta et misera est. Cfr. Gury, tom. I, n. 220.

scilicet nobis potius quam proximo velle debemus bona spiritualia ;

426. *Imprimis itaque charitas semper nos inclinat ut bona spiritualia nobis potius quam proximo velimus*. Quod principium generale sequentibus conclusionibus explicamus. a) *Citra controversiam est, immunitatem a peccato nulli potius quam nobis diligendam esse, adeoque nullum peccatum proprium, etiam levissimum, optari posse, etsi salus totius orbis inde penderet.* Ratio est, quia charitas nunquam potest me inclinare, ut faciam aliquid quod necessario displiceat Deo ; omne autem peccatum Deo necessario displicet, quan-

tumvis ob bonum finem fiat. Cfr. Ægid. De Coninck, disp. XXV, dub. 5, n. 45 et sqq.—b) *Charitas nunquam inclinat hominem ut, ob quemcumque finem, absolute desideret vel omnino Deo non frui, vel minus eo frui, sed semper inclinat in contrarium.* Est autem hæc conclusio vera, non solum posito quod nemo sine sua culpa possit carere beatitudine, sed etiamsi hæc privatio sine nostra culpa posset contingere. Ratio est, quia illud ad nullum omnino finem potest esse utile, aut in Dei honorem cedere, atque ita nec potest Deo ullo modo placere; sed contra, cum major nostra beatitudo ex se ad majorem Dei gloriam spectet, ideoque Deo magis placeat, caritas nos semper ad eam desiderandam inclinat. Cfr. Æg. De Coninck l. c. n. 51. Quo sensu autem Moyses, Ex. XXXII, 31, 32, petierit deleri de libro vitæ, Paulus vero, Rom. IX, 3, optaverit esse anathema a Christo pro fratribus, legi potest apud interpretes: cfr. Perrone, de Spe n. 112.—c) *Contra inclinationem charitatis est, ob quemcumque finem, velle sibi minorem sanctitatem, vel eam sibi minus velle quam ipsi proximo.* Quia charitas inclinat semper suum subjectum, ut omnibus modis optet magis placere Deo, eumque magis amare, quod fit per majorem sanctitatem sive charitatem : cfr. Æg. De Coninck, l. c. n. 55 et sqq., ubi, ad objectionem, pium esse quod nobis placeat excellentior gradus sanctitatis et gloriæ quem B. Virgo et Apostoli præ nobis consecuti sunt, ita ut de eo gaudeamus, respondet, « esse quidem pium ut placeat nobis excellens illorum sanctitas, tamen non esse pium nobis placere nos non esse tam sanctos quam ipsi sunt, cum optimum sit contrarium desiderare, scilicet, nos tantum Deum amare eique placere, quantum illi eum amant eique placent; atque adeo (excepta saltem B. Virgine, respectu cujus, propter honorem Christi non facile hujusmodi comparationes instituendæ sunt, debemus appretiative magis non solum aliquam gratiam et gloriam, sed et majorem gratiam et gloriam optare nobis quam

Apostolis... Sicut enim charitas me inclinat, ut magis velim me quam Apostolos absolute placere Deo eumque amare, ita etiam me inclinat, ut velim me magis Deum amare, eique magis placere, et ut ad hoc toto conamine contendam. » — d) *Charitas nunquam inclinat ad opus ex quo per se sequitur perfectio operantis minor ea quæ sequitur ex opere quod hujus causa omittitur; quandoque tamen, ratione gravis necessitatis proximi, aut alterius alicujus obligationis, inclinat nos ad id ex quo per accidens, vitio operantis, sequitur minor perfectio.* Prima pars assertionis colligitur ex modo dictis; pars vero secunda probatur, quia charitas multos inclinat, ut, relicta contemplatione, iisque operibus quæ ordinantur ad propriam perfectionem, dent se concionibus, confessionibus audiendis etc.; imo quandoque ut, omissa religione, suscipiant dignitatem ecclesiasticam, cum tamen communiter homo plus proficiat studendo propriæ perfectioni quam studendo alienæ, et in religione quam in sæculo. » Cfr. Æg. De Coninck, l. c. n. 62 — 72. — e) *Charitas nunquam inclinat ut quis aliquid faciat, ad quod alias non obligatur, solum quia proximi salus speratur inde promovenda, si probabile sit suam fere tantumdem lædendam aut impediendam; sed semper contra nos inclinat ut, quantum in nobis est, eas actiones assumamus, quibus nostra perfectio magis promovenda est.* Cfr. Æg. De Coninck, l. c. n. 72—76. — f) *Attamen charitas inclinat ad præferendam salutem et perfectionem proximi omnibus donis animi naturalibus et gratiis gratis datis.* Est doctrina communis, et per se patet; quia salus et perfectio proximi per se Deo placent, et hominem meliorem efficiunt, alia vero illa solum per accidens, quatenus ad nostram vel aliorum perfectionem juvant. — g) *Porro ex præcedentibus haud ægre colligi potest ordini charitatis minime contrarium, sed potius omnino conformen esse actum quem vocant heroicum:* illa enim renuntiatio satisfactionibus, precibus, sacrificiis etc., facta in alio-

rum favorem, est aliunde causa majoris meriti et eminentioris perfectionis. Cfr. Maurel, Le chrétien éclairé sur la nature et l'usage des indulgences, n. 83; dubitationem ea de re expresserat Platel, n. 462.

e contra bona spiritualia potius velle debemus proximo quam nobis temporalia ;

427. *Deinde charitas exigit ut proximo potius bona spiritualia velimus quam nobis temporalia.* Cfr. S. Thomas 2. 2, q. 26, a. 5. Hoc autem principium generale sequentibus conclusionibus explicamus. a) *In extrema proximi necessitate spirituali quivis tenetur ei succurrere etiam cum certo periculo vitæ, si sit probabilis omnino spes eum juvandi.* Est doctrina communis, et aperte colligitur ex sacris litteris, Christus enim Joann. XV, 12, ait: *Hoc est præceptum meum: Ut diligatis invicem, sicut dilexi vos;* et ostendens in quo hæc dilectio consistat subdit: *Majorem hanc dilectionem nemo habet ut animam suum ponat quis pro animis suis :* ubi aperte insinuat nos debere pro proximi salute animam ponere, sicut ipse suam pro nostra salute posuit. Unde 1 Joannis III.116 ad hunc locum alluditur : *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam posuit pro nobis, et nos debemus pro fratribus animas ponere.* Et S. Augustinus, de Mendacio, c.VI,n. 9 : « Temporalem vitam suam pro æterna vita proximi, non dubitabit christianus amittere; hoc enim præcessit exemplum, ut pro nobis Dominus ipse moreretur. Ad hoc enim ait: Hoc est mandatum meum ut diligatis invicem, sicut et ego dilexi vos. » Porro in hujusmodi necessitate extrema versantur v. g. parvulus non baptizatus jamjam moriturus, item adultus in peccato mortali constitutus, qui prævidetur in somno vel nihil cogitans occidendus, etc. Cfr. Suarez disp. X, s. 2, n. 3, Æg. De Coninck, disp. XXV, dub. 7, n. 89-95, Castropalao, disp. I, pu. 9, n. 4 et sqq.-- b) *In necessitate spirituali gravi, proximo succurrendum est cum aliquali detrimento temporali proprio, moraliter æstimando judicio prudentum; non postulat tamen charitas ut, in prædicta necessitate, privatæ per-*

sonæ subveniatur cum periculo propriæ vitæ, licet id fieri suadeat. Ratio assertionis est, tum quia bonum spirituale proximi præponderat mediocri bono temporali nostro, tum quia charitas sui præcedit charitati proximi. Cfr. Castropalao, l. c. n. 9, Suarez, disp. IX, s. 2, n. 4 et 5, etc. Diximus autem non esse in necessitate gravi cum periculo vitæ subveniendum *privatæ* personæ, quia aliud locum habet quando in hujusmodi necessitate versatur communitas seu respublica; gravis enim necessitas spiritualis communitatis nunquam fere est sine extrema privatorum. Cfr. Suarez, l. c. n. 4, Castropalao, l. c. n. 10 etc. Hinc v. g. si scias concionatorem pravam doctrinam in populo seminare, pluresque esse pervertendos, et spem habeas impediendi, si te opponas, teneris te opponere. Similiter, si in persecutione plebs aliqua careret ministris qui illi sacramenta ministrent, et ex alia parte gravibus periculis peccandi amittendique fidem sit exposita, videris teneri succurrere ei, etiam cum periculo vitæ. Diximus etiam privatæ personæ non esse subveniendum ex *charitate,* quia contingere potest ut in tali casu aliquis debeat vitam exponere ex *justitia,* ratione officii, qua obligatione obstringuntur pastores; cfr. Castropalao, l. c. n. 13, Æg. De Coninck, l. c. n. 101 et 102, S. Alphonsus, n. 27, dico II, etc. Tandem diximus quod charitas, licet non obliget, tamen *suadeat* ut in gravi necessitate temporali privatæ personæ succurramus cum periculo vitæ; est namque actus heroicæ virtutis, proximi salutem et Dei honorem, qui per alterius peccatum et forte etiam damnationem graviter esset lædendus, propriæ vitæ præponere. Cum enim illa sint bona longe excellentiora, quæque Deo magis placent quam vita nostri corporis, non potest non esse laudabile et Deo gratum, pro illorum defensione vitam corporalem periculo exponere. Excipiendus tamen est casus quo alicujus vita esset communitati valde necessaria, ita ut multorum salus ab ea penderet. Cfr. Æg. De Coninck l. c. n. 96. — c) *Proximo in ne-*

cessitate spirituali communi constituto nullus ex charitate subvenire tenetur cum gravi suo damno temporali; an autem teneatur cum detrimento temporali levi non constat inter auctores, quorum alii, v. g. Wiggers, Malderus, Bonacina, Herinckx quæstionem prætermittunt, alii negare videntur, v. g. Castropalao, l. c. n. 11, Æg. De Coninck, l.c.n. 99 et 100, Babenstuber, tr. V, disp. I, a. 4, § 2, n. 24, Suarez, disp. IX, s. 2, in fine, saltem si attendatur ratio quam urget; demum alii affirmant,fatentes tamen obligationem non esse nisi levem, v. g.Valentia, disp. III, q.4, pu. 3, ass. 5, dico tertio, Tanner, disp. 2, q. 3, dub. 4, ass. 6, n. 66, etc.

bona autem temporalia possumus, non tamen debemus nobis velle potius quam proximo.

428. *Cæteris paribus unusquisque potest, non tamen generatim debet,bona temporalia magis subi velle quam proximo.* Cfr. Suarez, l. c. s. 3, Æg. De Coninck, l. c. dub. 6, etc. Quod principium communiter admissum, sequentibus conclusionibus explicatur. *a) In extrema necessitate temporali proximo succurrendum est cum notabili etiam detrimento proprio in eodem ordine bonorum ; non postulat tamen charitas ut, in hujusmodi necessitate, privatæ personæ subveniatur cum jactura vitæ vel boni fere æqualis, licet id fieri forte permittat, imo et suadeat, saltem si concurrat aliquod motivum amicitiæ, gratitudinis, honoris divini.* Ratio assertionis satis colligi potest ex præcedentibus. Diximus autem personæ *privatæ* subveniendum non esse cum periculo vitæ, quia aliter statuendum est si agatur de extrema reipublicæ necessitate, non solum quoad eos qui eam ex officio defendere debent, sed probabiliter etiam quoad simplices cives. Diximus præterea, *per se* ordini charitatis forte non repugnare quod vita propria pro proximi vita exponatur; quia per accidens certo hoc non licet iis quorum vita aliis necessaria est; et aliunde de tota hac quæstione non parum controvertitur. Cfr Suarez, l. c., n. 4-7, Æg. De Coninck, l. c., dub. 6, Tanner, l. c., n. 72—74, Castropalao, l. c. pu. 8, n. 4—7, Herinckx, disp. XI, q. 7,

n. 87, etc. — *b) In gravi necessitate temporali proximo privato subveniendum est cum mediocri tantum incommodo; communitati vero in simili necessitate constitutæ, etiam cum magno detrimento subveniendum est.* Cfr Müller, § 57, n. 12. — c) *In communi necessitate temporali certo subveniendum est proximo si id fieri possit absque proprio incommodo; certo non est subveniendum cum incommodo gravi; utrum vero subveniendum sit cum incommodo levi, non omnino constat apud auctores.* Cæterum hæc principia mox distinctius intelligentur quando eorum fiet applicatio ad quæstiones de correptione fraterna et de eleemosyna.

§ III.

De ordine charitatis inter ipsos proximos.

Ordo charitatis postulat ut magis diligamus eos qui nobis sunt conjunctiores.

429. *Ordo charitatis generatim postulat ut simpliciter amore absoluto magis prosequamur eos qui nobis sunt propinquiores.* Colligitur ex sacris litteris, v. g. 1 Tim. V : « *Si quis autem suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior;* ubi Apostolus ostendit nos obligari habere curam domesticorum magis quam aliorum, et consequenter nos obligari magis eos diligere, sive iis præ aliis bene velle. In quem sensum scribit S. Hieronymus in c. XXXIV Ezech. : « Naturæ probatur affectus, ut, ordine charitatis, post rerum parentem Deum, carnis quoque pater diligatur et mater, filius et filia, frater et soror. » Et S. Aug. de vera Rel. c. XLVII : « Cum omnibus quos pariter diligit, prodesse non possit, nisi conjunctioribus prodesse malit, injustus est. » Ac rursus. lib. I, de doct. Christ. c. XXVIII : « Cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui constrictius tibi...jungun-tur.» Ratio autem est, quia, « quo aliquis nobis est conjunctior, eo magis ad nos pertinet, et *unus* nobiscum efficitur; sicut

igitur charitas inclinat ut, post Deum, primo nos ipsos amemus et nostri curam habeamus, præsertim in spiritualibus, ita etiam inclinat ut, post nos, primo ac magis amemus eos qui maxime nobiscum sunt uni, ac ad nos pertinent. » Æg. De Coninck, l. c. dub. 9, n. 139. Præterea, ut loquitur S. Thomas, in 3, dist. 29, a. 7, « charitas ordinem naturæ non mutat sed perficit; » ordo autem naturæ postulat ut propinquos præ cæteris amemus; cfr. etiam 2.2,q.31,a.3.Diximus autem *amore absoluto*, quia, si agatur de solo affectu *complacentiæ*, certum est aliis præferendos esse sanctiores et excellentiores, quatenus nempe de majoribus bonis, quæ actu possident, magis nobis gaudere debemus, nec potest nobis displicere quod Deus habenti majora merita,majorem gratiam et gloriam tribuat. Cfr. Æg. De Coninck, l. c. n. 140, Valentia, l. c. pu. 4, regula 1ª, Suarez disp. IX, s. 4, n. 19.

Triplex conjunctio distinguitur : carnalis,

430. Porro conjunctionis nostræ ad proximum triplex præsertim est genus. Primum constituit conjunctio *carnalis*, quæ oritur ex vinculo sanguinis et fundatur in bonis vitæ et familiæ; ipsius præcipuæ species sunt : conjunctio parentum ad filios et filiorum ad parentes, conjunctio conjugalis inter maritum et uxorem, conjunctio quæ habetur inter fratres cæterosque consanguineos, tandem ea quæ existit inter affines. Alterum genus constituit conjunctio *spiritualis*, quæ oritur ex vinculo religionis et fundatur in bonis spiritualibus ; ejus præcipuæ species sunt : conjunctio quæ existit inter filios Ecclesiæ, ea quæ habetur inter membra alicujus communitatis, item ea quæ est inter pastorem et oves sibi commissas, tandem ea quæ reperitur inter prædicatorem et conversum, confessarium et pœnitentem. Tertium genus constituit conjunctio *civilis*, quæ oritur ex vinculo politico, et fundatur in bonis socialibus; ejus species præsertim sunt : conjunctio quæ existit inter cives, item ea quæ habetur inter commilitones, amicos, cohabitantes, ac præterea conjunctio ejus qui benefi-

spiritualis,

civilis.

cium accepit ad suum benefactorem. Cfr. Suarez, l. c. n. 1.

Ex his conjunctionis speciebus

431. Quum ergo contingere possit ut unum genus conjunctionis concurrat cum altero, vel in eodem genere una species cum altera, etc. paulo distinctius examinandum est, quinam ex vario modo junctis sint præferendi.

unaquæque prævalere debet in bonis illi specialibus ;

432. Jam vero *in iis rebus, quæ propriæ sunt unicuique conjunctioni, illi præferri debent qui, secundum eamdem conjunctionis speciem, sunt propinquiores.* Ita S. Thomas 2. 2, q. 26, a. 8 : « Diversorum dilectio est mensuranda secundum diversam rationem conjunctionis, ut scilicet unusquisque diligatur magis in eo quod pertinet ad eam conjunctionem, secundum quam diligitur.... Sic ergo dicendum est quod amicitia consanguineorum fundatur in conjunctione naturalis originis. Amicitia autem concivium, in communione civili, et amicitia commilitantium in communicatione bellica. Et ideo in his, quæ pertinent ad naturam, plus debemus diligere consanguineos. In his autem, quæ pertinent ad civilem conversationem, plus debemus diligere concives, et in bellicis, plus commilitones. » Quam Angelici doctrinam sequentibus explicat Æg. De Coninck, l. c. dub. 9, n. 135 : « Nota unamquamque conjunctionem postulare ut certo ordine (homines) sese ament, ac se mutuo juvent in iis quæ ad illam conjunctionem spectant; v. g. cives in iis quæ spectant ad officia sua reipublicæ magis amant et promovent suum civem, quam alium suum consanguineum, qui non sit illius reipublicæ civis; v. c. magis debeo optare ut is, qui fungitur in mea civitate magistratu, bene et utiliter rempublicam gerat, quam ut id ita faciat meus consanguineus, qui fungitur magistratu in alia civitate; et si possim, debeo priorem magis in suo munere juvare quam secundum, præsertim quando hoc reipublicæ magni interest ; similiter milites in rebus ad militiam spectantibus, præponunt suos commilitones aliis, illis magis optando victoriam et eos in ea acquirenda magis

juvando quam alios etiam suos consanguineos. » Cfr. Suarez, l. c. n. 10.

in bonis vero communibus conjunctio spiritualis prævalet civili et utrique carnalis.

433. *In bonis cuicumque conjunctioni communibus, sive temporalia ea sint, sive saltem probabilius spiritualia, illi præferri debent, qui sunt absolute propinquiores, seu qui potiori conjunctione cum diligente uniuntur.* Potior autem est conjunctio spiritualis civili; utrique vero prævalet carnalis, utpote magis intrinseca, immobilior et antiquior et in majori beneficio fundata. Hæc est doctrina S. Thomæ 2. 2, q. 26, a. 8: « Si autem comparemus etiam conjunctionem ad conjunctionem, constat quod conjunctio naturalis originis est prior et immobilior, quia est secundum id quod pertinet ad substantiam. Aliæ autem conjunctiones sunt supervenientes et removeri possunt. » Cfr. Suarez, l. c. n. 11, Castropalao, l. c. n. 7. Quibus tamen non significatur quemcumque gradum in conjunctione civili vinci a quocumque gradu, etiam remotiori, in conjunctione carnali; scilicet ex principio posito non sequitur v. g. consobrinum vel patruum præ insigni benefactore diligendum esse, etc.

Tria advertenda.

434. Cæterum tria hic sedulo sunt advertenda. Primum est, præstantiam unius conjunctionis super alteram, vel in eadem conjunctione excessum unius gradus super alterum, vel etiam excessum gradus superioris in conjunctione minus perfecta super gradum inferiorem in conjunctione magis perfecta, non raro aut levem tantum esse aut non certum, ut si comparentur pater cum filio et uxore, pater carnalis cum patre spirituali quoad bona spiritualia, consanguinei aut affines non adeo propinqui cum amicis et benefactoribus, etc. — Secundum est, non raro titulo charitatis accedere titulum officii specialis vel justitiæ, vi cujus unus non ita propinquus aliis absolute propinquioribus præferri debet. — Tertium est, aliquando intervenire speciales et extraordinarias circumstantias, quæ permittunt aliquam ordinis inversionem; ut si pater valde

negligens,imo et crudelis ac infensus,comparetur benefactore, etc. Præterea manifestum est a nob supponi parem ex utraque parte necessitatem : sicut bemus velle potius vitam æternam proximo quam no vitam temporalem, ita salutem extranei præferre tenen nis temporalibus eorum qui nobis etiam sunt conjunctis Quapropter applicari hic debent, proportione servata, reg superius traditæ, ubi de ordine charitatis inter nos et proximum.

435. Principiis hucusque expositis innituntur sequentes resolutiones communiter ab auctoribus admissæ. a) In extrema necessitate temporali cæteris omnibus præferri possunt et debent consanguinei in primo gradu,si forte excipiatur frater carnalis comparatus cum subdito *religioso;* cfr. Suarez, disp. IX, s. 4, n. 5 et Æg. De Coninck, disp. XXV, dub. 9, n. 149—152. Inter hos autem consanguineos, digniores habentur parentes, sine ulla fere controversia ; post parentes venit conjux vel filius, ita scilicet ut alii conjugem filiis præponant, alii filios conjugi ; cfr. Suarez, l. c. n. 17 ; parentes, conjugem et filios sequuntur fratres, in omnium sententia.b) Porro consanguineis remotioribus præferri possunt amicus singularis, insignis benefactor, etc.; cfr. Æg. De Coninck, l. c. n. 156. c) In extrema autem necessitate spirituali, parentes sunt omnibus præferendi ; cfr. Æg. De Coninck, l. c. n. 160 ; sed aliis consanguineis non subditis, etiam si sint in primo gradu, juxta plures, a prælato religioso filius spiritualis præferri debet; cfr. Æg. De Coninck, l. c. n. 171. d) Extra casum necessitatis extremæ filii præferendi sunt parentibus in iis quæ spectant ad perficiendum aut promovendum bonum illud quod habet homo ultra suum esse; parentibus vero et filiis præferendus est conjux quoad mutuam cohabitationem et mutua auxilia; cfr. Suarez, l. c. n. 7; Valentia, q. IV, pu. 5, octavo sequitur; imo simpliciter consanguineis præferri debent ii

Principiorum applicatio.

quorum cura nobis commissa est; cfr. Æg. De Coninck, l. c. n. 143. Plura legi possunt tum apud auctores citatos, tum apud Castropalao, disp. I, pu.10; Tanner, q. III, dub. 5; Herinckx, disp. XI, q. 8, etc.

CAPUT II.

DE NATURA VIRTUTIS CHARITATIS THEOLOGICÆ.

Supernaturale donum charitatis

436. *Exstat supernaturale ac permanens donum charitatis, quo creatura rationalis disponitur ac elevatur ad actus amoris benevolentiæ erga Deum et proximum eliciendos, et simul spirituali dilectionis vinculo Deo conjungitur ut amicus conjungitur cum amico.* De hoc dono præstantissimo sæpissime sermo est in sacris litteris, v. g. Prov. VIII, 17, 31, Joan. XIV, 21, 23, 1 Cor. VI, 17, XIII, 13, Joan. IV, 16, V, 8 etc. : *Nunc autem monent fides, spes, charitas : tria hæc : major autem horum est charitas.—Qui diligit me, diligetur a patre meo, et ego diligam eum.—Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.—Hæc est charitas, ut mandata ejus custodiamus.* Cfr. Suarez, disp. III, s. 2; Valentia, disp. III, pu. 2; Æg. De Coninck, disp. XXJ, dub. 3; Perrone, De charitate, n. 177 et sqq. ; Platel, n. 480.

distinguitur a Spiritu sancto

437. *Esse autem charitatem donum supernaturale creatum a Spiritu Sancto distinctum, sententia est omnino certa, et saltem proxima fidei, imo, juxta multos, de fide.* Cfr. Suarez, disp. III, s, 1, n. 1; Valentia, disp. III, q. 1, pu. 1; Tanner, q. 2, dub. 1, n. 1, etc. Deduci potest hæc veritas ex verbis Apostoli 1 Cor. XIII, 13, ubi eadem ratione sermo est de charitate ac de fide et spe, quæ, absque dubio, sunt dona creata; videtur etiam exprimi Rom. V, 5, sive cum S. Augustino *charitas Dei* intelligatur ea qua nos Deum diligimus, sive cum aliis intelligatur directe charitas qua Deus nos diligit. Cfr. Estius in h. l. Docetur autem omnino clare sess. VI concilii Trident. c. 7 : « Per Spiritum Sanctum charitas Dei

diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhæret; unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, et charitatem. » Si enim, juxta Concilium, charitas, quæ in cordibus justorum inhæret, per Spiritum Sanctum diffunditur, profecto eadem charitas distinguitur a Spiritu Sancto, sicut effectus distinguitur a causa operante. Merito itaque ab antiquioribus theologis communiter, a recentioribus vero unanimiter rejecta est opinio Lombardi, qui in I, dist. XVII, § 18, contendit charitatem, de qua disserimus, non distingui a Spiritu Sancto, qui est notionalis Dei charitas; quo principio semel constituto, infert ipse cæterarum quidem virtutum actus excitari in nobis a Spiritu Sancto mediante habitu seu virtute creata ab ipso distincta, actus vero charitatis ab ipso Spiritu Sancto in nobis immediate produci. Verba Lombardi hæc sunt: «Alios actus atque motus virtutum operatur Spiritus Sanctus mediantibus virtutibus, quarum actus sunt: actum fidei, id est credere, fide media, et actum spei, id est sperare, media spe. Per fidem enim et spem prædictos operatur actus. Diligendi vero actum per se tantum, sine alicujus virtutis medio operatur, id est diligere... Est ergo charitas vere Spiritus Sanctus. » Et prius jam scripserat: « Ipse idem Spiritus Sanctus est amor sive charitas, qua nos diligimus Deum sive proximum. » Cfr. Platel, n. 385, Jungmann, de gratia, n. 261, 262; Perrone, de charitate, n. 157 et sqq.

et probabiliter etiam a gratia sanctificante.

438. *Controvertitur inter doctores catholicos utrum charitatis donum idem sit ac gratia sanctificans, an vero ab ea sit realiter distinctum.* Charitatem unum et idem esse cum gratia sanctificante tenent Scotistæ passim, et cum ipsis Andreas Vega, in Conc. Trid. lib. VII, c. 25; Bellarminus, lib. I de gratia et libero arbitrio, c. 6; Ægidius De Coninck, disp. XXI, dub. 7, n. 79, etc.; præcipua ratio eorum est, quia in sacris litteris et in omnibus traditionis monumentis, ea, quæ viden-

tur esse gratiæ sanctificanti maxime propria, æque tribuuntur charitati ; legitur enim charitate nos fieri filios et hæredes Dei, etc. Arguunt etiam ex conc. Trid. Sess. VI, c. 7, ubi, postquam dictum est unicam esse causam formalem nostræ justificationis, paulo inferius docetur nos justificari dum charitas diffunditur in cordibus nostris, per quod insinuatur hanc esse illam gratiam quæ est forma nostræ justificationis. Et inferius : « In ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem et charitatem. Nam fides, nisi spes accedat et charitas, neque unit perfecte cum Christo, neque vivum corporis ejus membrum efficit. » Ubi sane concilium videtur intendere omnia numerare quæ nos formaliter justificant, et tamen nullam facit mentionem gratiæ distinctæ a charitate, sed id quod prius vocavit gratiam postea vocat charitatem. — Nihilominus charitatem a gratia sanctificante realiter distingui contendunt Thomistæ, et cum ipsis Suarez lib. 6 de gratia, c. 11-13, Gregorius De Valentia, de natura gratiæ, p. 1, c. 2, etc. Fatentur isti difficile suam sententiam ostendi ex sacris litteris, conciliis et patribus ; existimant tamen confirmari eam non mediocriter tum quibusdam textibus Scripturæ et traditionis, tum præsertim ex concilio Viennensi, relato in Clem. Un. de Summa Trinitate, ubi tanquam probabilior eligitur opinio docens tam parvulis quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam et virtutes; et ex Trid. sess. VI, c. 7, ubi justificatio dicitur fieri « per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum, » quibus verbis gratia recensetur ut simpliciter adeoque ut realiter distincta a virtutibus. Maxime vero insistunt in eo quod hæc doctrina sit rationi valde consentanea ; quia congruit « ut Deus non minus cumulate perficiat naturam in ordine supernaturali quam in naturali, servata proportione ; sed in ordine naturæ ita rem constituit, ut primo

det illi substantialem formam, deinde potentias et virtutes agendi, tanquam connexas cum forma et in ea radicatas ; ergo simili modo debuit natura ad divinum ordinem sublevari primo, participando divinam naturam per gratiam quasi deificantem animam, et deinde per virtutes operativas ipsi gratiæ, tanquam essentiæ et radici, conjunctas. « Cfr Jungmann, op. cit. n. 260.

439. *Etsi autem charitas realiter a gratia sanctificante distincta habeatur, non potest tamen, de lege ordinaria, ab ea separari*, adeoque simul cum gratia sanctificante *acquiritur*, sive per sacramentum, sive absque sacramento per contritionis actum ; simul etiam cum gratia sanctificante *augetur* per quemvis actum meritorium, etiam habitu remissiorem, et quidem probabilius eo ipso momento quo actus ille elicitur ; cfr. Tanner, q. 2, dub. 5 ; Valentia, q. 2, pu. 3 ; Platel, n. 406—425 ; præterea simul cum gratia sanctificante *diminuitur*, non quidem directe sed indirecte, per peccata venialia, quatenus scilicet hæc ad mortale disponunt, frequentiam actuum charitatis impediunt, efficiunt ne charitas facile imperet actus præsertim heroicos aliarum virtutum, fervorem tollunt, etc ; cfr. Platel, n. 434-437 ; Tanner, l. c. dub. 6 ; Valentia, l. c. pu. 5 ; tandem simul cum gratia sanctificante *destruitur* per quodcumque peccatum mortale ; cfr. Platel, n. 438 et seq. ; Valentia, l. c. pu, 4 ; Tanner, l. c. 161, etc. Quamvis autem in patria fides et spes proprie non remaneant, manet tamen charitas, quæ, juxta verba Apostoli, 1 Cor. XIII, 8, *nunquam excidit ;* adeoque est in via et in patria una eademque charitas non solum specie, sed etiam numero. Cfr. Suarez, disp. III, s. 3, n. 1.

Simul cum gratia sanctificante acquiritur,

augetur,

minuitur,

et amittitur.

440. Porro donum charitatis est *virtus theologica*, cum juxta sententiam omnino certam, sit habitus aliquis permanens et Deum habeat pro objecto materiali ac formali ; cfr. Valentia, q. 1, pu. 1, § 3 ; Tanner, l. c. dub. 1, n. 3. Exhibetur

Charitas est virtus theologica,

omnium præstantissima,

autem charitas tum in sacris litteris tum apud SS. Patres ut *virtutum omnium præstantissima:* v. g. Rom. XIII, 10, 1 Cor. XIII, 13, Coloss. III, 14, 1 Tim. I, 5 : *Major horum est charitas — Plenitudo legis est dilectio — Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.— Finis autem præcepti est charitas.* Hinc S. Hieronymus, in epist. ad Gal. Lib. III, c. 5 : « Quæ alia inter fructus spiritus debuit tenere primatum nisi charitas, sine qua virtutes cæteræ non reputantur esse virtutes, et ex qua nascuntur universa quæ bona sunt ? » Et S. Augustinus serm. I, in ps. CIII, n. 9 : « Nihil invenis eminentius charitate in divinis libris. » Ac rursus de Trin. lib. XV, c. 18, n, 42 : « Nullum est isto dono excellentius. » Et sane principium est exploratum in theologia, excellentiam virtutum ab ipsarum formali motivo desumendam esse ; jam vero formale charitatis motivum, virtutum cæterarum omnium motivum excedit. Etenim, ut nihil dicatur de virtutibus moralibus, fidei et spei motivum versatur circa Deum, quatenus ex ipso nobis provenit aliquid, sc. cognitio veri aut adeptio boni ; at charitas circa Deum versatur quatenus est absolute in se et sibi bonus. Cfr. S. Thomas 2. 2, q. 23, a. 6. Præterea charitas recte dicitur cæterarum virtutum *forma*, non quidem intrinseca sed extrinseca, prout supra n. 128 explicatum est. Cfr. S. Thomas 2. 2, q. 22, art. 7 et 8. Tandem vere est virtutum *regina*, quia imperat fortiter et suaviter illis ut actus suos producant, quando et quomodo postulat gloria Dei. Unde 1 Cor. XIII, 4-7 : *Charitas patiens est, benigna est ; charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit qua sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati ; omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Cfr. S Thomas, 1.2, q. 114, a. 4, ad 1, et 2.2, q. 23, a. 4, ad 2 ; S. Franciscus Salesius, Theol. lib. XI, c. 4.

cæterarumque forma et regina.

441. Ad charitatem pertinet *donum sapientiæ*, per quod

intellectus humanus luce supernaturali perfunditur, ut bene consideret, et quasi gustet cum suavitate et dulcedine, Deum, sive in se sive in operibus suis consideratum, summe diligibilem atque diligendum esse. Si autem sapientia charitatem nutrit et fovet, ipsa vicissim a charitate sustentatur, quoniam per unionem et « connaturalitatem » cum Deo quam charitas efficit, Deus serenissime simul et suavissime apprehenditur, quemadmodum pulcherrime explicat S. Thomas 2.2, q. 45, a. 2 : « Sapientia importat rectitudinem judicii secundum rationes divinas. Rectitudo autem judicii potest contingere dupliciter. Uno modo secundum perfectum usum rationis ; alio modo propter connaturalitatem quamdam ad ea, de quibus jam est judicandum ; sicut de his quæ ad castitatem pertinent, per rationis inquisitionem recte judicat ille qui didicit scientiam moralem. Sed per quamdam connaturalitatem ad ipsam, recte judicat de eis ille qui habet habitum castitatis. Sic ergo circa res divinas ex rationis inquisitione rectum judicium habere pertinet ad sapientiam, quæ est virtus intellectualis. Sed rectum judicium habere de eis secundum quamdam connaturalitatem ad ipsas, pertinet ad sapientiam secundum quod donum est Spiritus Sancti. » Cfr. Tanner, q. IV, dub. 3, n. 36 et seq.

Ad charitatem refertur donum sapientiæ

442. Charitas, quæ homines cum Deo et inter se unit, disponit ad beatitudinem *pacis*. Excellentiori modo pacem illam facit donum *sapientiæ*, per quod homo arctius adhuc et suavius Deo conjungitur, summo vero et bono, in quo est pax et tranquillitas hominum.

et beatitudo pacis.

PARS II.

DE NECESSITATE ET EFFICACIA CHARITATIS THEOLOGICÆ.

443. Jam inquirendum est quousque ad vitam christianam, justificationem et salutem *requiratur*, et ad quid *valeat* charitas cujus naturam hucusque determinavimus.

—

CAPUT I.

DE NECESSITATE CHARITATIS THEOLOGICÆ.

444. Charitas duplici modo necessaria intelligi potest, scilicet necessitate *medii* vel necessitate *præcepti* : de utraque necessitate seorsim tractabimus.

ARTICULUS I.

DE CHARITATIS NECESSITATE MEDII.

Virtus charitatis necessaria est necessitate medii ad salutem ;

445. *Virtus theologica charitatis omnibus tum infantibus tum adultis necessaria est atque semper fuit necessitate medii ad salutem.* Hæc est doctrina catholica, quæ exprimitur in concilio Tridentino,sess. VI, c. 7, et docetur a SS. Patribus, inter quos ita v.g. S. Gregorius M. in Ev. lib. II, hom. 24, n. 6 : « Quasi quidam titulus divinæ possessionis est iste spiritus amoris... Paulus clamat: *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Ac si aperte dicat: Qui nunc Deo inhabitante non regitur, de divinæ claritatis specie postmodum non lætatur. » Et S. Bernardus, de off. episc. c. IV, n. 14 : « Sine charitate salus esse non potest. » Ratio autem est, quia nemo potest ad Deum venire, nisi gratus ipsi acceptusque existat.

Atqui talis dici nequit, qui non habet charitatem, quæ quippe secundum SS. Patres significatur in Evangelio per vestem nuptialem, qua qui indutus non est, mittetur in tenebras exteriores. Ita v. g. S. Gregorius M. hom. lib. II, hom. 38 n. 9: « Recte enim charitas nuptialis vestis vocatur; quia hanc in se Conditor noster habuit, dum ad sociandæ sibi Ecclesiæ nuptias venit. Sola quippe dilectione Dei actum est, ut ejus Unigenitus mentes sibi electorum hominum uniret. Hac sola nos speciosos exhibet. »

non tamen necessaria est charitas, tanquam motivum et principium, ad meritum actuum,

446. *Licet ad actuum meritum de condigno charitas sit necessaria tanquam qualitas operantis, non est tamen necessaria tanquam principium et motivum operis ;* videlicet, ut actus supernaturalis hominis justi sit condigne meritorius præmii substantialis gloriæ, probabilius non requiritur ut sit a charitate elicitus, imo nec requiritur ut sit a charitate imperatus seu actuali aut virtuali relatione ad Deum propter se dilectum directus. Cfr. Wirceburgenses. n. 305-310; Perrone, de charitate, n. 305 et sqq.

et multo minus ad eorum bonitatem.

447. *A fortiori charitas nullimode necessaria est ad actus humani bonitatem ;* nempe ut actus humanus sit bonus non requiritur ut procedat a charitate proprie dicta, sive perfecta sive imperfecta, quemadmodum docebant Baïus, Jansenius, Quesnellus ; imo nec requiritur ut a charitate imperetur, quod postulabant quidam catholici doctores, non satis in hoc a Novatoribus recedentes. Cfr. Wirceburgenses, n. 290-304.

Actus charitatis non est necessarius necessitate medii ad justificationem.

448. *Tandem internus actus charitatis, in præsenti œconomia christiana, non est ad justificationem necessarius necessitate medii ;* potest enim justificatio obtineri per sacramentum cum sola attritione, in qua quidem aliquis Dei amor forte includitur, non tamen amor ille perfectus propter Deum ipsum et super omnia, qui est charitas. Cfr. Francolini, in opere de dolore necessario ad sacramentum pœnitentiæ, lib. I, præsertim c. 6. Quapropter auctores qui videntur

asserere charitatis actum necessarium esse necessitate medii, intelligendi sunt loqui de amore Dei generalius sumpto. Cfr. Suarez, disp. V, s. 1. n. 1, quem sequitur Perrone, de charitate, n. 230.

ARTICULUS II.

DE CHARITATIS NECESSITATE PRÆCEPTI.

449. Præcipitur non solum internus actus charitatis, sed etiam opus ejus externum : præceptum ergo nunc examinabimus quoad utramque materiam.

§ I.

De præcepto charitatis affectivæ.

Exstat præceptum interni actus charitatis erga Deum

450. *Actus charitatis quatenus fertur in suum objectum primarium, seu dilectio Dei propter se et super omnia, jure divino omnibus sub gravi præcipitur.* Existentia hujus præcepti probatur ex Deut. VI, 5 et Matth. XXII, 38 : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua, Hoc est maximum et primum mandatum.* Idem inculcant SS. Patres communiter ; instar omnium sit S. Augustinus, conf. lib I, c. 5 : « Quid tibi sum ipse, ut amari te jubeas a me, et nisi faciam irascaris mihi, et mineris ingentes miserias? Parva ne ipsa est, si non amem te?» Ratio est, quia cum Deus sit objectum summe amabile propter se, et finis ultimus rerum omnium, non potuit sapienter non præcipere creaturæ amoris capaci, et libere, ut seipsum supra omnia propter se amet.

ab aliis distinctum,

451. *Hoc autem præceptum amoris erga Deum speciale est et ab aliis distinctum, ita ut ei non satisfiat per solam cæterorum mandatorum observationem.* Colligitur ex textibus supra citatis : mandatum enim quod dicitur primum et maximum, sane præceptum speciale est et ab aliis distinctum, et quidem primo et per se maxime datum, ita ut cætera

omnia præcepta eo fine dentur ut hoc omni ex parte perfecte observetur. De qua re ita S. Thomas 2. 2, q. 44, a 1 : « Finis spiritualis vitæ est ut homo uniatur Deo ; quod fit per charitatem ; et ad hoc ordinantur, sicut ad finem, omnia quæ pertinent ad spiritualem vitam. Unde et Apostolus dicit, 1 Tim. I, 5 : *Finis præcepti est charitas de corde puro et conscientia bona, et fide non ficta*... In quolibet autem genere id quod est per se, potius est eo quod est propter aliud ; et ideo maximum præceptum est de charitate, ut dicitur Matth. XXII » Eodem modo 1. 2, q. 100, a. 10 : « Actus charitatis dupliciter considerari potest : uno modo secundum quod est quidam actus per se, et hoc modo cadit sub præcepto legis, quod de hoc specialiter datur, scilicet : Diliges Dominum Deum tuum. » Huc pertinent propositio 1ª ex damnatis ab Alexandro VII, et 1ª ex damnatis ab Alexandro VIII: « Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei et charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium. » Sufficit ut actus moralis tendat in finem ultimum (Deum) interpretative : Hunc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitæ suæ mortalis. » Cfr. Viva, in hh. pp.

non tamen a præcepto referendi omnes actiones in Deum.

452. *Ab hoc tamen præcepto non differt præceptum quo tenemur referre omnes actiones nostras deliberatas in Deum.* Ita S. Thomas pluribus in locis, v. g. in II, d. 40, q. 1, a. 5, ad 6 : « Si quæratur quando oporteat actum referre in finem ultimum, hoc nihil aliud est quam quærere, quando oportet habitum charitatis exire in actum, quia quandocumque habitus charitatis in actum exit, fit ordinatio totius hominis in finem ultimum, et per consequens omnium eorum quæ in ipsum ordinantur ut bona sibi. » Et quæst. de char. a. 11, ad 2 : « Cum aliquis ordinat seipsum in Deum sicut in finem, in omnibus quæ per seipsum facit, manet virtute intentio ultimi finis, qui Deus est : unde in omnibus mereri potest, si cha-

ritatem habeat. Hoc igitur modo Apostolus præcipit quod omnia in Dei gloriam referantur. » Item 1, 2, q. 100, a. 10 ad 2 : « Sub præcepto charitatis continetur, ut diligatur, Deus ex toto corde : ad quod pertinet ut omnia referantur in Deum; et ideo præceptum charitatis implere homo non potest nisi etiam omnia referantur in Deum. » Non aliter loqui videtur S. Augustinus, lib. I, de doct. Christ. c. 22, n. 21 : « Hæc enim regula dilectionis divinitus constituta est : *Diliges* etc., ut omnes cogitationes tuas, et omnem vitam et omnem intellectum in illum conferas a quo habes ea ipsa quæ confers. » Cfr. Perrone, de charitate, n. 259 et sqq.

Hoc præceptum obligat aliquando per se,

453. Porro præceptum amandi Deum, utpote speciale et a cæteris distinctum, obligat aliquando ratione sui et independenter a quacumque alia necessitate; quo pertinet propositio 7ª ex damnatis ab Innocentio XI : « Tunc solum obligat (præceptum charitatis) quando tenemur justificari et non habemus aliam viam qua justificari possumus. » Et quidem probabiliter per se obligat, si non in primo instanti usus rationis, saltem circa eam ætatem, ita ut homo non diu differat se ad Deum convertere; cfr. Suarez, disp. V, s. 3, n. 2 et 4; probabilius etiam obligat in articulo mortis; cfr. Suarez, l. c. n. 2; Lugo de pœn. disp. VII, n. 276; Ballerini tom. I, ad n. 219; tandem obligat per se sæpius in vita, ut ex ipsius natura ac fine constat, et ulterius colligitur ex prop. 5ª inter damnatas ab Innocentio XI : « An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus. » Quandonam autem præcise ista obligatio urgeat, difficile est in particulari et positive determinare, quum hac de re nullus nobis suppetat textus authenticus, præter propositionem 6ªm ex proscriptis ab Innocentio XI : « Probabile est, nec singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum charitatis ergo Deum. » Hinc alii dicunt

actum charitatis eliciendum esse singulo anno, alii singulo mense, alii singula die dominica; nec graviores pro una quam pro altera sententia videntur esse rationes : cfr. Lacroix, n. 141; S. Alphonsus, lib. 2, n. 8. Per accidens vero obligat idem præceptum, v. g. quando quis tentatione odii pulsatur quam vincere nequit nisi per actum amoris : cfr. supra, n. 187 et 369. Præterea obligatio eliciendi charitatis actum aliquando oritur ex aliis præceptis, ad quorum scilicet observationem charitas necessaria est vel status gratiæ requiritur : cfr. Suarez, l. c. n. 3; supra, n. 189 et 370.

aliquando per accidens;

454. Præcepto charitatis satisfacere possunt fideles non solum per actum amoris formalem et expressum, dicendo v. g.: Diligo Deum propter se et super omnia ; sed etiam per actus minus explicitos; v. g. gaudendo de Dei perfectionibus quia ipsi bonæ sunt, deque honore qui Deo a creaturis exhibetur; — item desiderando ut nullus eum offendat, sicque male ipsi velit;—orantes devote : Sanctificetur nomen tuum, fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra; —actum contritionis faciendo, et vitando peccatum, quia ipsi displicet; — bonum opus exercendo quia Deo gratum est. Ulterius tamen quam par est, videtur progressus Lacroix, quem approbat S. Alphonsus, l. c. dum dicit « esse veros actus amoris quibus bene satisfit huic præcepto, *omnia* opera meritoria exercita ad finem placendi Deo, ut eleemosyna, jejunium, et similia; et hunc finem præsumi « in eis, qui jam sciunt sic placere Deo, modo non operentur ex fine pravo. »

illi multipliciter satisfieri potest.

455. *Actus charitatis quatenus fertur in objectum suum secundarium, seu ordinata dilectio proximi propter Deum, etiam præcepto divino imponitur.* Constat ex Matth. XXII, 39: « *Secundum autem simile est huic : Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Et Joann. XV, 12 : *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Et 1 Joan. IV, 21 : *Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et*

Exstat præceptum interni actus charitatis erga proximum

fratrem suum. Dilectio enim est *affectus* voluntatis qua volumus bonum personæ amatæ. Hinc Innocentius XI sequentes propositiones damnavit, quæ sunt 10ª et 11ª ex 65: » Non tenemur proximum diligere actu interno et formali. » — « Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos. » Cfr. Suarez, l. c, s. 4, Tanner, q. IV, dub. 4, n. 84.

obligans saltem aliquando per accidens.

456. Existimat S. Alphonsus l. c. præceptum diligendi proximum urgere semel in mense; communius tamen alii putant tempus obligationis tantummodo esse, cum necessitas occurrerit aut exercendi misericordam aut vitandi odium vel periculum vindictæ. Ita Suarez, l. c. n. 4; Valentia, q. XIX, pu. 2; Tanner, l.c.n. 85; Wiggers, q. XLIV, dub. 2, n. 10; Malderus q. XLIV; Herinckx, disp. XI, q. 6, n. 62. 63; Viva, in pp. 10am 11am et ab Innocentio XI damnatas, n. 9, etc. Igitur, juxta hos auctores, affectus charitatis erga proximum non est necessarius ut in eo sistatur, sed solum ut rite ponatur aliquis actus externus charitatis; in quo sane differt præceptum diligendi proximum a præcepto diligendi Deum; cujus differentiæ ratio hæc assignatur, « quia actus internus per se neque notus est proximo, neque utilis; cum tamen amor internus Dei et notus sit ipsi, et per se quidam ipsius cultus, merito proinde requisitus, etiam sine ullo respectu ad actum externum. » Cfr. Suarez et Tanner, ll. cc.

§ II.

De præcepto charitatis effectivæ.

Externus actus raro præcipitur sola charitate erga Deum.

457. *Charitate teneri quandoque possumus ad opus externum in Dei honorem suscipiendum, licet hoc raro contingat,* prout explicat Suarez, disp. V, s. 2, n. 4: « An ex hoc præcepto, quod per se est de actu interiori, oriatur obligatio ad aliquem actum exteriorem erga Deum? Respondetur, dupliciter posse intelligi hoc præceptum obligare ad actum ex-

ternum; primo, remote per modum operantis ; et hoc modo omnia præcepta dici possunt pertinere ad charitatem, quia omnia sunt necessaria ad servandam charitatem, et radicantur in ea ; qua de causa dicitur: *Qui non diligit me, sermones meos non servat.* Alio modo intelligi potest proxime et proprie; et hoc modo raro quidem, sed interdum potest obligare hoc præceptum ad actum externum; quia, sicut amicitia erga homines requirit aliquando opera externa, ita et amicitia erga Deum, quando illa sunt ad ejus honorem necessaria... Verum est, vix posse assignari aliquem actum externum qui non possit sub aliqua alia ratione immediate oriri ab alia virtute: nihilominus obligatio propria exercendi talem actum oriri potest ex charitate. »

Ex charitate erga seipsum unusquisque debet sibi procurare vel custodire bona supernaturalia et naturalia intrinseca.

458. Ex charitate erga seipsum unusquisque vires suas intendere debet ad bona supernaturalia gratiæ et gloriæ sibi obtinenda; debet etiam bona naturalia intrinseca, corporis sc. et animæ, ut sunt vita, corporis integritas, rationis usus, prudenter custodire tanquam media inservientia ad salutem æternam operandam, Deumque glorificandum. Diximus autem *prudenter;* quia per se nemo debet hæc bona naturalia mediis extraordinariis custodire ; v. g. non tenetur quis vitæ conservandæ causa, pretiosas et exquisitas medicinas sibi comparare, nec pati amputationem cruris vel brachii, nec, domicilio relicto, extra patriam salubriorem aerem quærere; item non obligatur virgo probrosam operationem subire per manus medici, licet ejus vita periclitetur. Cfr. S. Alphonsus lib. 3, n. 370 et sqq. Quod demum attinet ad bona naturalia extrinseca, non videtur adesse per se obligatio charitatis ad ea vel comparanda vel retinenda; atque idem tenendum est de bonis mixtis famæ et honoris.

459. Externus charitatis actus erga proximum dicitur *beneficentia;* cfr. S. Thomas 2. 2, q. 31, a. 3; quatenus vero tendit ad malum a proximo avertendum vocatur *opus misericordiæ* vel

Effectus charitatis erga proximum vocatur beneficentia vel misericordia,

eleemosyna generatim sumpta; misericordia enim recte definitur alienæ miseriæ displicentia et nolitio efficax, qua scilicet voluntas movetur ad succurrendum; quidquid sit utrum misericordia sit pars charitatis, ut existimant Æg. De Coninck, disp. XXVI, dub. 4, n. 32 et sqq.; Herinckx disp. XII, q. 1, n. 8, etc. an vero virtus specialis, charitati adnexa, ejusque effectus, ut docent alii, v. g. S. Thomas, 2. 2, q. 30; Valentia, q. VII, pu. 2; Suarez disp. IV, s. 2, n. 4 etc; parum sane referre nobis videtur, sive dicatur eleemosynam v. g. esse actum charitatis immediate, sive asseratur esse actum charitatis mediante misericordia. Cfr. S. Thomas 2. 2, q. 32, a. 1.

quæ spiritualis est vel temporalis,

460. Porro beneficentia vel misericordia alia est spiritualis, alia corporalis; nam, ut scribit S. Augustinus, de mor. Eccl. lib. I, c. 27, n. 52 : «Homo anima rationalis est mortali atque terreno utens corpore. Partim ergo corpori partim vero animæ hominis benefacit, qui hominem diligit. » Opera autem misericordiæ quatuordecim enumerantur, septem corporalia et septem spiritualia, duobus hisce versibus expressa :

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.
Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.

et quatuordecim opera præcipua comprehendit.

Cujus distinctionis ratio et convenientia pulchre explicatur a S. Thoma, 2. 2, q. 32, a. 2 : « Prædicta eleemosynarum distinctio convenienter sumitur secundum diversos defectus proximorum. Quorum quidam sunt ex parte animæ, ad quos ordinantur spirituales eleemosynæ; quidam vero ex parte corporis, ad quos ordinantur eleemosynæ corporales. Defectus enim corporalis aut est in vita, aut post vitam. Siquidem est in vita, aut est communis defectus, respectu eorum quibus omnes indigent, aut est specialis propter aliquod accidens superveniens. Si primo modo, aut defectus est interior, aut exterior. Interior quidem est duplex. Unus quidem cui subvenitur per alimentum siccum, scilicet fames, et secundum

hoc ponitur *pascere esurientem*. Alius autem est, cui subvenitur per alimentum humidum, scilicet sitis ; et secundum hoc dicitur *potare sitientem*. Defectus autem communis respectu exterioris auxilii est duplex. Unus respectu tegumenti, et quantum ad hoc ponitur *vestire nudum*. Alius autem respectu habitaculi, et quantum ad hoc ponitur *suscipere hospitem*. Similiter autem si sit defectus aliquis specialis, aut est ex causa intrinseca, sicut infirmitas, et quantum ad hoc ponitur *visitare infirmum* ; aut est ex causa extrinseca, et quantum ad hoc ponitur *redemptio captivorum*. Post vitam autem exhibetur mortuis *sepultura*.— Similiter autem spiritualibus defectibus spiritualibus actibus subvenitur dupliciter. Uno modo poscendo auxilium a Deo, et quantum ad hoc ponitur *oratio*, qua pro aliis orat. Alio modo impendendo humanum auxilium, et hoc tripliciter. Uno modo contra defectum intellectus, et si quidem sit defectus speculativi intellectus, adhibetur ei remedium per *doctrinam* ; si autem practici intellectus, adhibetur ei remedium per *consilium*. Alio modo est defectus ex passione appetitivæ virtutis, inter quos maximus est tristitia, cui subvenitur per *consolationem*. Tertio modo ex parte inordinati actus, qui quidem tripliciter considerari potest. Uno modo ex parte ipsius peccantis, in quantum procedit ab ejus inordinata voluntate, et sic adhibetur remedium per *correctionem*. Alio modo ex parte ejus in quem peccatur, et siquidem sit peccatum in nos remedium adhibemus *remittendo offensam* ; si autem sit in Deum vel in proximum, non est nostri arbitrii remittere... Tertio modo ex parte sequelæ ipsius actus inordinati, ex qua gravantur ei conviventes, etiam præter peccantis intentionem, et sic remedium adhibetur *supportando*, maxime in his qui ex infirmitate peccant...» Ex quibus jam manifestum est prædicta opera non sola sed præcipua esse misericordiæ, ad quæ scilicet alia facile revocari possunt, prout indicat S. Thomas l. c. ad 2 ; cfr. Valentia, q. IX, pu. 2.

461. Jam vero, omissis iis quæ vel nullam vel parvam tantum præ se ferunt difficultatem, speciatim agemus de fraterna correptione et de eleemosyna stricte sumpta.

I

DE CORRECTIONE FRATERNA.

Correptio fraterna est admonitio fratris de emendatione delictorum fraterna charitate procedens ;

462. *Correptio* generatim est *actus quo conatur quis alium a malo revocare.* Duplex autem distinguitur, *judiciaria* et *fraterna*. Judiciaria ea dicitur, quæ fit auctoritative erga subditum ad delinquentis castigationem in bonum publicum ; fraterna autem dicitur, quæ fit a proximo erga proximum in bonum privatum et directe ad delinquentis emendationem. Prior est actus justitiæ vindicativæ, posterior actus charitatis, saltem si procedat ex amore proximi propter Deum. Media vero inter utramque tertia a nonnullis ponitur, scilicet *paterna*, qua superior cum auctoritate, sed absque forma judicii, reprehendit delinquentem ad eum emendandum, et tollendum scandalum. Cfr. S. Thomas, in 4, dist. XIX, q. 2, a 1 ; Æg. De Coninck, disp. XXVIII, dub. 1, n. 4, 5 ; Valentia, q. X, pu. 1 ; Platel, n. 475. Patet a nobis tractandum in præsenti esse de sola correptione fraterna, et de paterna in quantum cum ea convenit ; quæ enim pertinent ad correptionem judiciariam alibi explicari debent.

præcepto graviter obligante imposita est

463. *Datur præceptum ex se graviter obligans ad correptionem fraternam faciendam.* Probatur imprimis ex sacris litteris, v. g. Lev. XIX, 17, Eccli. XVII, 12, XIX, 13, Matth. XVIII, 15, Luc. XVII, 3, 1. Thess. V, 14 etc : *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publice argue eum, ne habeas super illo peccatum. — Corripe amicum, ne forte non intellexerit, et dicat : Non feci; aut si fecerit, ne iterum addat facere. Corripe proximum..... Corripe amicum, sæpe enim fit commissio. — Si autem peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum.* Hanc autem

obligationem instanter inculcant SS. Patres; ita, v. g. S. Chrysostomus, or. VIII adversus Judæos, n. 4 : « Ne igitur obambulantes referamus qui peccaverint; sed festinemus, ut eos solum, qui peccarunt, corrigamus. Est enim prava consuetudo, tantum accusare fratres, nec illorum curam habere; vulgare mala infirmorum, nec mederi. » Cfr. etiam hom. LX in Matth. etc. S. Hieronymus in, ps. 140, circa verba *Corripiet me justus* etc., eum, qui fratrem non admonet, comparat cum medico qui, si videat in corpore carnes putridas, et dicat : quid ad me pertinet ? Scias, inquit, quia crudelis est, etc. Multus est S. Augustinus in eadem veritate tradenda, v. g. lib. de Correptione et Gratia, passim, et contra epist. Parmeniani, lib. III, c, 1, n. 2 : « Quisquis etiam contempserit Ecclesiæ Dei disciplinam, ut malos, cum quibus non peccat, et quibus non favet, desistat monere, corrigere, arguere..... non alieno malo peccat, sed suo. Ipsa quippe in tanta re negligentia grave malum est. » Cæteri legi possunt apud Valentia, q. X, pu. 2. Huc etiam pertinet can. *Tam Sacerdotes*, 14, XXIV, q. 3: « Tam sacerdotes, quam reliqui fideles omnes summam curam habere debent de his, qui pereunt : quatenus eorum redargutione aut corrigantur a peccatis, aut, si incorrigibiles apparuerint, ab Ecclesia separentur. » Item c. *Cum ex injuncto*, de hær. ubi Innocentius III monet aliud esse « fratrem in se peccantem occulte corripere (quod quisque tenetur efficere secundum regulam evangelicam) aliud vero esse « patrem suum deliquentem reprehendere manifeste..... » Cfr. Valentia, q. X, pu. 2; Tanner, q. V, dub. 4, n. 73; Suarez, disp. 1 III, s. 1; Æg. De Coninck, disp, XXVIII, dub. 2.

omnibus et singulis

464. *Præcepto correptionis fraternæ per se tenentur omnes et singuli, præ cæteris tamen superiores.* Et quidem imprimis omnes et singulos hoc præcepto teneri, manifesto traditur in textibus Scripturæ et Patrum supra citatis; ratio

autem est, quia nullus est qui non debeat amare proximum, et consequenter, quantum in ipso est, malum ejus impedire. Non excusatur itaque ab obligatione corripiendi *peccator*, licet ob sua peccata minus aptus sit ad hoc munus adimplendum. Cfr. S. Thomas, 2. 2. q. 33, a 3 et 5. Præ cæteris autem eodem præcepto teneri superiores, scilicet, parentes, dominos, pastores, magistros, prælatos, etiam facile constat; id enim postulat ordo charitatis, et aliunde hujusmodi sunt magis idonei, ac præterea pro ipsis accedit titulus officii vel etiam justitiæ, ratione stipendii percepti. Hinc S. Augustinus, de Civit. Dei, lib. I, c. 9 : « Qua in re non utique parem, sed longe graviorem habent causam, quibus per prophetam dicitur : *Ille quidem in peccato morietur, sanguinem autem ejus de manu speculatoris requiram.* Ad hoc enim speculatores, hoc est, populorum præpositi constituti sunt in Ecclesia, ut non parcant objurgando peccata. Nec ideo tamen ab hujusmodi culpa penitus alienus est, qui, licet præpositus non sit, in iis tamen quibus vitæ necessitate conjungitur, multa monenda vel arguenda noscit, et negligit. » Cfr. Æg. De Coninck, l. c. dub. 5 ; Valentia, l. c. pu. 3 ; Suarez, l. c. s. 5 ; Castropalao, disp. III, pu. 7, Babenstuber, tr. V, disp. I, art 5, § 4, n. 34, etc.

erga omnes.

465. *Correptio fraterna per se exercenda est erga omnes ;* cum enim sit actus charitatis, pertinet ad unumquemque respectu cujuslibet personæ, ad quam charitatem debet habere, si in ea aliquid corrigibile inveniatur, ut ait S. Thomas, 2. 2. q. 33 a. 2. Hinc non solum corripiendi sunt fideles, de quibus directe loquitur Christus Dominus Matth. XVIII, 15, sed etiam infideles ; item non solum æquales et inferiores, sed etiam et quidem præcipue prælati, quia prælati generatim sunt præ aliis diligendi, et quia sæpe versari possunt in majori necessitate, et aliunde pauciores sunt qui ipsis hoc beneficium exhibere valeant. Hinc S. Augustinus epist. 82 (al. 19), n. 22, ad S. Hieronymum, disserens de facto

S. Pauli qui S. Petro in faciem restitit: « Ipse Petrus, quod a Paulo fiebat utiliter libertate charitatis, sanctæ et benignæ pietate humilitatis accepit; atque ita rarius ac sanctius exemplum posteris præbuit, quo non dedignarentur, sicubi forte recti tramitem reliquissent, etiam a posterioribus corrigi; quam Paulus, quo confidenter auderent etiam minores majoribus pro defendenda evangelica veritate, salva fraterna charitate, resistere. Nam cum satius sit, in tenendo itinere, in nullo quam in aliquo declinare; multo est tamen mirabilius et laudabilius, libenter accipere corrigentem, quam audacter corrigere deviantem. » Eodem modo S. Gregorius, relatus in c. *Sicut*, 46, II, q. 7: « Sicut laudabile discretumque est reverentiam et honorem exhibere Prioribus, ita rectitudinis et Dei timoris est, si qua in eis correctione indigent nulla dissimulatione postponere. » Cfr. Æg. De Coninck. l. c. dub. 4, n. 51 et sqq; Suarez, l. c. s. 5; Valentia, pu. 4; Castropalao, l. c. pu. 7. n. 10.

Materia ejus proprie et certo sunt peccata

466. Materiam fraternæ correptionis generatim esse *peccata*, per se omnino constat, et in textibus supra citatis diserte exprimitur. Quæri autem potest utrum indiscriminatim id sit intelligendum de peccatis tam committendis quam commissis, de peccatis tam materialibus quam formalibus, de peccatis tam venialibus quam mortalibus.

commissa,

467. Jam vero peccata *committenda*, in quæ scilicet nondum proximus lapsus est, sed in quorum periculo versatur, non sunt proprie materia correptionis sed *admonitionis*, æque tamen ex charitate necessariæ; cfr. Æg. De Coninck, l. c. dub. 3, n. 35; Castropalao, l. c. pu. 2, n. 2. Itaque materia correptionis sunt sola peccata commissa, non tamen omnia, sed ea tantum in quæ proximus prævidetur *relapsurus*, vel in quibus timetur moriturus, vel quorum non judicatur acturus pœnitentiam tempore debito; cfr. Castropalao, l. c. pu. 2, n. 3-6; Æg. De Coninck, l. c. dub. 6, n. 116 et sqq.

formalia,

468. Peccata *materialia*, quæ scilicet committuntur ex ignorantia actualiter invincibili, non sunt proprie materia correptionis, sed *instructionis* et doctrinæ, requisitæ tum ex charitate sive erga ignorantem sive erga tertium, tum ex reverentia erga legem, quotiescumque habetur spes fructus vel pro delinquente vel saltem pro aliis ; cfr. Suarez, disp. VIII, s. 2, n. 6; Æg. De Coninck, disp. XXVIII, dub. 4, n. 36-48; Castropalao, l. c. pu. 4, n. 2 et 3; Viva, q. XI, a. 6, n. 11; S. Alphonsus, n. 36, et alii communius. Nonnulli tamen docent non esse obligationem ex *sola* charitate, instruere eos qui ex ignorantia invincibili *facti* contra aliquam legem *humanam* delinquunt : ita Bannez, 2. 2. q. 33 a. 2, dub. 3 ; Malderus, q. 33, a. 6 ; Valentia, q. X, pu. 2; Ledesma, de corrept. frat. 9ª concl.. Præterea alii ulterius progressi, relate ad delinquentes contra leges humanas, non distinguunt inter ignorantiam facti et ignorantiam juris ; cfr v. g. Azor, lib. XII, c. 15, quær. 4. Quinimo Bonacina, q. IV, pu, 7, n. 11, tenet illos, quibus cura fratres admonendi ex officio non incumbit, non obligari instruere delinquentes ex quacumque ignorantia invincibili sive juris, naturalis, divini aut humani, sive facti.

mortalia.

469. Peccata *venialia*, utpote quæ constituant verum animæ malum, probabilius sunt materia correptionis, sub levi tamen tantum et rarius privatis præceptæ, nisi ex ipsis timeatur magnum proximi damnum, vel detrimentum communitatis, puta relaxatio disciplinæ, etc.; cfr. Suarez l. c. n. 6 , Castropalao, l. c. pu. 3 ; Æg. De Coninck, l. c. dub. 5, n. 23-33 ; Valentia, q. X, pu. 2; S. Alphonsus, n. 35.

Conditiones ad obligationem correptionis sunt :

470. Ut correptio fraterna sit obligatoria quædam conditiones sunt necessariæ, quarum præcipuæ sunt *necessitas, utilitas, possibilitas*.

necessitas,

471. Et quidem *necessitas* tria supponit. Primum, quod moraliter certo constet proximum peccasse ; cfr. Suarez, l. c. s. 3, n. 1; Valentia, l. c; Æg. De Coninck, l. c. dub. 6, n. 87;

ut autem peccatum innotescat, nulla a privatis fieri debet vel potest inquisitio, bene tamen fieri aliquando inquisitio debet a superioribus; nam ex una parte scribit S. Augustinus, serm. 82 (al. 16, de verb. Dom.) n. 1: « Admonet nos Dominus noster non negligere invicem nostra peccata; non quærendo quæ reprehendas, sed videndo quæ corrigas; » ex altera vero parte ita habet S. Gregorius M. lib. III, epist. 53 : « Quæ potest esse pastoris excusatio, si lupus oves comedat et pastor nesciat? » Cfr. Æg. De Coninck, l. c. dub. 5, n. 67. — Secundum, quod probabile non sit proximum sua sponte se emendaturum. —Tertium vero, quod non sit alius æque idoneus qui corripere debeat, et de facto correpturus existimetur; cfr. Valentia, q. X, pu. 2, quinta circumstantia; Æg. De Coninck, l. c. dub. 6, n. 115; Suarez, l. c. s. 3, n. 7.

472. *Utilitas* correptionis duo comprehendit; primum, quod probabile sit eam non esse nocituram, impellendo nimirum delinquentem ad nova et graviora peccata; — secundum, quod adsit spes non quidem certa sed tamen probabilis, eam esse profuturam, sive statim sive saltem post aliquod tempus; quod si vero incertum remaneat utrum profutura sit an nocitura, ab ea facienda abstinendum est, nisi proximus prævideatur secus in statu peccati lethalis moriturus; cfr. Suarez, l. c. n. 2; Castropalao, l. c. pu. 5; Æg. De Coninck, l. c. dub. 6, n. 90 et sqq.; Valentia, l. c. utilitas,

473. *Possibilitas* correptionis in hoc consistit quod peragi queat absque nimio incommodo corrigentis; incommodum autem illud pensandum est habita ratione necessitatis proximi, gravitatis delicti, probabilitatis fructus, et tituli unde oritur corrigendi obligatio; cfr. Æg. De Coninck, l. c. dub. 6, n. 124-127; Castropalao, l. c. pu. 6; Valentia, l c; et supra, n. 427. possibilitas,

474. Additur aliquando quarta conditio, nempe *opportunitas*, in hoc sita quod non prævideatur mox futura occasio corripiendi commodior ex parte temporis, loci, etc.; verum hæc opportunitas.

conditio in præcedentibus satis continetur ; communiter enim admittitur non posse ordinarie differri correptionem eo solummodo fine ut peccator, in graviora quædam incidens, ferventius resurgat, et cautior fiat. Cfr. Valentia, l. c. sexta circumstantia; Tanner, q. V, dub. 4, n. 89.

Qualitates correptionis.

475. Correptio fraterna erga inferiores et æquales fieri debet cum benignitate et amore, juxta monitum Apostoli, Gal. VI, 1 : *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne et tu tenteris.* Cfr. Valentia, q, X, pu. 5. Erga superiores vero fieri debet cum humilitate et reverentia ; scribit enim Apostolus 1 Tim. V, 1 : *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem.* Et S. Gregorius M. regula past. p. 3, c. 4: « Piæ subditorum mentes præpositorum vitia nullo linguæ gladio percutiunt, etiam dum de imperfectione reprehendunt. » Cfr. Æg. De Coninck, l. c. dub. 4, n. 51 et sqq.

Ordo correptionis est

476. Observanda maxime est in correptione facienda *lex justitiæ*, quæ postulat ut fama proximi, quantum fieri potest, non lædatur, nec minuatur. In quem finem sub gravi generatim obligat ordo a Christo Domino, Matth. XVIII 15-17 *præscriptus*, et in jure naturali fundatus ; cfr. S. Thomas 2. 2. q. 33, a. 7 et 8; Suarez, disp. VIII, s. 6, n. 2 ; Valentia, q. X, pu. 5 ; Æg. De Coninck, l. c. dub. 7 ; Tanner, q. V, dub. 5, n. 96 ; Castropalao, l. c. pu. 8, etc. Videlicet *a*) incipiendum est a correptione secreta : *Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* — *b*) Casu autem quo correptio privata non profuerit, adhibeantur testes, ut nimirum isti adhortentur ad resipiscentiam, et ita plurium auctoritate et respectu moveatur peccator, ac pudore salutari injecto ad saniorem mentem convertatur : *Si te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum.* Cfr. Valentia, l. c. quinto certum est, Æg. De Coninck,

ut primum fiat secreto,

deinde coram testibus,

l. c. dub. 9. — *c)* Quod si peccator necdum emendetur, denuntiandus est superiori, qui non poterit quidem contra ipsum statim judicialiter procedere, poterit tamen eum graviter reprehendere, pœna moderata affligere, a loco vel officio amovere, specialiter in illum invigilare per se vel per alium : *Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ.* Cfr. Valentia, l. c. septimo et octavo certum est, Castropalao, l. c. pu. 11, Tanner, l. c, n. 110.—*d)* Tandem, quando crimen prælato, servato evangelicæ correptionis ordine, legitime denuntiatum, paterna correptione secreta sufficienter emendari non potest, adeo ut vel ad publicum scandalum ex publico crimine consequens tollendum, vel ad temporale etiam aliorum nocumentum avertendum, vel ad ipsam delenquentis emendationem efficaciter procurandam, utile ac necessarium videatur crimen publicari publiceque puniri, poterit ac debebit prælatus, non solum ut pater sed etiam ut judex, utendo notitia illa quam ex ejusmodi denuntiatione accepit, curare ut crimen, servato juris ordine, publicetur, et quoad necessarium est ad prædictos fines, etiam publicis pœnis puniatur, modo ex publicatione occulti criminis, non majus scandalum aut malum timeatur, quam sit bonum ex correptione tali proventurum. Ita Tanner, l. c. n. 111 ; cfr. etiam præ cæteris Castropalao, l. c. pu. 13-16, ubi fuse tractat de liceitate et obligatione denuntiationis juridicæ.

tandem per denuntiationem ad superiorem :

477. Nihilominus ordo correptionis supra descriptus in quibusdam casibus mutari potest, ita ut, omissa admonitione secreta vel coram testibus privatis, statim fiat denuntiatio ad superiorem, nempe : *a)* si delinquens in hac re cesserit juri suo, prout ipsum renuntiare posse indubitatum est ; cfr. Æg. De Coninck, l. c. dub. 11 et 12, Valentia, l. c. tertio certum est, quintus casus, Castropalao, l. c. pu. 9 ; Platel, n. 483—485 ; — *b)* si delictum sit publicum ; cfr. Suarez, l. c. n. 3 ; Valentia. l. c. primus casus ; Tanner. l. c. n. 55 ;

huic tamen ordini in quibusdam casibus licite derogatur.

— *c*) Si correptionis necessitas sit valde urgens, et privata non prævideatur certo profutura, ut contingit quando agitur de gravi damno tertii, et maxime de detrimento communi, propter hæresim, infirmorum seductionem, etc.; cfr. Suarez, l. c. n. 5; Tanner, l. c. n. 100 et 101; Æg. De Coninck, l. c. dub. 8, n. 148-150; Valentia, l. c.; Gury, n. 233, 7. etc. — *d*) Juxta plures, si prælatus existimetur melius correpturus, et cum fructu notabiliter majori; cfr. Suarez, l. c. n. 17; Castropalao, pu. 10; Æg. De Coninck, l. c. dub. 10; Tanner, l. c. n. 109, etc. — *e*) Tandem si vigeat aliqua lex specialis denuntiationem imponens.

II.

DE ELEEMOSYNA.

Eleemosynæ

478. Eleemosyna proprie et stricte sumpta est *beneficium corporale alteri indigenti ex compassione præstitum*. Est quidem eleemosyna christiana per se actus misericordiæ vel charitatis, potest tamen imperari ab aliis virtutibus, v. g. a virtute pœnitentiæ, quo casu connumeratur cum oratione et jejunio inter potiora opera satisfactoria; vel etiam a virtute latriæ, ut scilicet per eam testemur nostram subjectionem erga Deum, ejusque in nos et in res nostras perfectum dominium, quo casu, propter aliquam analogiam, interdum vocatur sacrificium; cfr. Æg. De Coninck, disp. XXVII, dub. 2; Valentia, q. IX, pu. 1, Castropalao, disp. II, pu. 1.

præceptum graviter obligare demonstratur ex sacris litteris

479. *Exstat præceptum per se graviter obligans ad eleemosynam aliquando faciendam.* Clarissime exprimitur hoc præceptum in sacris litteris, v. g. Deut. XV, 11., Is. LVIII, 7; Ezech. XVIII, 5, 7, 12, 16; Math. XXV, 31, sqq., Luc. III, 11 coll. 9. 13, 14; 1 Tim. VI, 17, 18, 19; 1 Joann. III, 17: *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ; idcirco ego præcipio tibi, ut aperias manum fratri tuo egeno et pauperi, qui*

tecum versatur in terra. — Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam : cum videris nudum, operi eum. — Discedite a me maledicti... esurivi enim et non dedistis mihi manducare. — Divitibus hujus sæculi præcipe... facile tribuere... Eamdem obligationem instanter inculcant SS. Patres : ita v. g. S. Basilius, hom. in illud Luc. *Destruam*, etc. et ex SS. Patribus ; n. 7 : « Cui, inquit, injuriam facio, dum retineo mea atque conservo ? Quæ, dic mihi, tua sunt ? Unde accepta in vitam intulisti ? Velut si quis, loco in theatro ad spectandum occupato, deinde ingredientes arceat, id sui ipsius proprium ratus, quod ad omnium communem usum proponitur : tales ejusmodi quoque divites sunt. Nam communia præoccupantes, ea ob præoccupationem sibi assumunt. Quod si suæ quisque necessitati sublevandæ id modo quod satis est caperet, egenti vero relinqueret quod superfluum est, nemo esset dives, pauper nemo. Num injustus Deus qui nobis inæqualiter vitæ necessaria distribuit ? Cur, divite te, ille pauper est ? An non utique ut et tu benignitatis ac fidelis dispensationis mercedem accipias, et ille magnis patientiæ præmiis donetur ?... Non avarus est tu ? Non spoliator est tu ? Qui scilicet, quæ dispensanda recipisti, ea tibimetipsi propria facias. Fur ne vocabitur, qui veste indutum denudarit, qui vero non induerit, id si agere potest, alia quadam appellatione dignus est ? Esurientis est panis, quem tu detines ; nudi est pallium, quod tu in arca servas, discalceati calceus, qui apud te putrescit, indigentis argentum quod defossum habes. Quare, quot hominibus dare potes, tot infers injuriam. » Eodem modo S. Ambrosius, de Nab. Jezr., C. XII, n. 53 : « Ne dixeris, inquit Deus, *Cras dabo*. Qui non patitur te dicere : *Cras dabo*, quomodo patitur dicere : *Non dabo ?* Non de tuo largiris pauperi, sed de suo reddis. Quod enim commune est in omnium usum datum, tu solus usurpas. Omnium est terra, non divitum : sed pauciores qui non utuntur, quam qui utuntur. Debitum

igitur reddis, non largiris indebitum. » Et S. Augustinus, in ps. 147, n. 12 : « Multa superflua habemus, si non nisi necessaria teneamus ; nam si inania quæramus, nihil sufficit. Fratres, quærite quod sufficit operi Dei, non quod sufficit cupiditati vestræ... Quære quantum tibi dederit et ex eo tolle quod sufficit : cætera quæ superflua jacent, aliorum sunt necessaria. Superflua divitum, necessaria pauperum. Res alienæ possidentur, cum superflua possidentur. » Plura legi possunt apud Valentiam, q. IX, pu. 4; Sylvium 2. 2. q. 32, a. 5, etc.

ejusque natura explicatur.

480. Ne tamen ea, quæ a SS. Patribus cum exaggeratione oratoribus consueta proferuntur, difficultatem pariant, sequentia præ oculis haberi debent : a) Deus supremus et absolutus omnium dominus bona temporalia humano generi tradidit in usum et utilitatem ; — b) ita autem bona temporalia humano generi tradita sunt ut, vi divinæ concessionis, ad unum individuum non pertinerent potius quam ad alterum, sed, quasi in medium projecta, omnibus essent communia, communitate scilicet negativa ; non vero ita collata sunt ut fieri non possent unius potius quam alterius, et remanere deberent communia communitate positiva; — c) quinimo bonorum temporalium divisio et eorum uni appropriatio ad exclusionem alterius, utpote in natura hominis fundata et moraliter necessaria, omnino legitima dicenda est, contra quoscumque socialismi et communismi assertores ; — d) nihilominus hujusmodi appropriatio non est ita absoluta ut, ex una parte, illi, qui non possident, non retineant semper jus strictum ad sumenda necessaria suæ sustentationi; ex altera vero parte, illi, qui possident, non sint abstricti obligationi partem bonorum aliis elargiendi ; — e) hinc divites recte vocantur œconomi et dispensatores divitiarum Dei, et, si dare recusent, damnantur furti et rapinæ, non quidem in sensu proprio sed metaphorice ; quamvis enim eleemosynæ obligatio sit stricta, non est tamen ex justitia, adeoque qui eam omittunt, etiam in casu extremæ necessita-

tis, non tenentur ad restitutionem ; sic rem explicat Lugo disp. XVI de Jure et Justitia, n. 154 : « Dico extremam necessitatem dare jus indigenti ut possit rem alienam accipere, et acceptione ipsa acquirat jus in re ipsa vel in ejus usu, prout necessitas exigat ; ipsum tamen dominum non habere obligationem ex justitia sed ex misericordia illam dandi ; postquam vero egenus utitur jure suo, dominus obligatur ex justitia ad non impediendum usum, nec illam auferendam. Necessitas ergo et indigentia (extrema) non facit indigentem dominum formaliter, sed remote, et in eo sensu facit res communes, hoc est, facit ut, sicut res, quæ non sunt in ullius bonis, posset aliquis sibi accipere juste et valide, sic indigens possit rem alienam sibi accipere juste et valide, perinde ac si in nullius bonis esset. Cæterum, antequam ab eo accipiatur, dominus non perdit ejus dominium, sed solum habet obligationem ex charitate et misericordia eam dandi, non vero ex justitia ; quia sicut circa rem communem, ante ejus occupationem, Petrus non habet jus justitiæ, ratione cujus alii obligentur ad eam Petro offerendam, sic ratione necessitatis et indigentiæ, pauper non habet jus justitiæ impediens alios ne re illa utantur, vel cogens illos ad eam pauperi offerendam, sed habet titulum ut eam occupatione possit sibi propriam facere, eo quod necessitas eximat rem non universaliter a dominio possessoris, sed ita solum ut illud dominium non impediat pauperem ab ejus usurpatione, perinde ac si in nullius dominio esset. Quare postquam pauper eam usurpat, vel utitur jure suo ad eam occupandam, nemo sine injuria potest illum impedire ; quia, sicut ipse habet jus ad occupandam rem illam, sicut si esset in nullius bonis, ita habet jus ne impediatur ab ejus occupatione ; alioquin læderetur jus quod habet ad rem occupandam. » Cfr. Æg. De Coninck, disp. XXVII, dub. 7 ; Castropalao, disp. II, pu. 3.

481. *Præcepto eleemosynæ omnes tenentur, præ cæteris*

Præceptum illud obligat omnes

vero viri ecclesiastici. Ratio primæ partis est, quia charitas omnibus imposita est ; unde in textibus supra allegatis absque ulla restrictione dicitur : *Frange esurienti panem. — Qui habuerit substantiam hujus mundi. — Judicium sine misericordia illi qui non fecerit misericordiam, etc.* Ratio secundæ partis est, quia viri ecclesiastici sunt specialiter patres pauperum, et exemplo aliis esse debent; imo quædam eorum bona speciali titulo pauperibus destinantur.

erga omnes.

482. *Per se autem eleemosyna facienda est omnibus hominibus, servato tamen ordine charitatis.* Omnes enim sunt proximi, sive justi sint sive peccatores, sive domestici sive peregrini, sive amici sive inimici ; adeoque omnium necessitatibus subvenire debemus, imitantes Patrem cœlestem, qui, Matth. V, 45, *solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos ;* aliunde unicuique dicitur, Prov. XXV, 20, et Rom. XII, 21 : *Si esurierit inimicus, ciba illum, et si sitit, potum da illi.* Cfr. Sylvius 2. 2. q. 32, a. 9., quær. 1 ; Æg. De Coninck l. c. dub. 6, n. 70 ; Valentia, q. IX, pu. 7; Suarez, l. c. s. 1. n. 5.

Non urget

483. Porro præceptum obligat quotiescumque eleemosyna ex una parte *necessaria* judicatur, ex altera vero *possibilis*, non solum absolute sed moraliter. *Necessaria* judicatur, quando proximus versatur in indigentia ; *possibilis* autem ei est qui de bonis temporalibus disponit eaque superflua habet. Ita S. Thomas, 2. q. 32, a. 5, ad 3 : « Est aliquod tempus in quo mortaliter peccat, si eleemosynam dare omittat, ex parte quidem recipientis, cum apparet evidens et urgens necessitas ; ex parte vero dantis, cum habet superflua. »

nisi ex parte recipientis adsit indigentia

484. Obligatio itaque eleemosynæ supponit *indigentiam* ex parte recipientis ; beneficium enim præstitum non indigenti vocatur liberalitas, non eleemosyna.

485. Indigentia autem ratione *originis* distinguitur in triplicem speciem : alia est tum in se tum in causa, saltem actu-

aliter, involuntaria; alia est omnino voluntaria, quæsita et amata; alia demum est in se quidem involuntaria et odiosa, in causa tamen sc. tædio laboris actualiter voluntaria : prima est *infortunium*, secunda est *virtus*, tertia est *vitium*.

ex infortunio vel ex virtute,

486. Jam vero *facienda est eleemosyna non solum indigentibus ex infortunio, sed etiam indigentibus ex virtute:* hi enim patiuntur veram necessitatem, et licet patiantur voluntarie, non tamen patiuntur sine optima causa, quæ est gloria Christi et perfectio evangelica; cfr. Æg. De Coninck, l. c. dub. 6, n. 65 et sqq.; Sylvius, 2. 2. q. 32 a, 9, quær. 2; Valentia, q. IX, pu. 7, etc.

487. Præterea ratione *gradus* indigentia etiam in triplicem speciem distinguitur : alia enim est extrema vel quasi extrema, alia gravis, alia communis, quarum notiones jam supra explicatæ sunt, n. 425. Exemplum necessitatis extremæ est periculum moraliter certum mortis, mutilationis, morbi insanabilis, duri ac perpetui carceris; gravis necessitatis exemplum est periculum moraliter certum decidendi a statu nobili et opulento, amittendi famam et existimationem, etc.; communis necessitatis exemplum est status pauperum qui ostiatim mendicant; cfr. Æg. De Coninck, disp. XXV, dub. 8, n. 112 et sqq.; Sylvius 2. 2. q. 32, a. 6; Lugo, disp. XVI de Jure et Just. s. 7, n. 135, etc.

extrema, gravis vel etiam communis;

488. Atqui *eleemosyna facienda est non solum si proximus extreme vel graviter indigeat sed etiam si versetur in necessitate communi.* In Scripturis enim et apud SS. Patres sermo fit indiscriminatim de *inopibus*, *egenis*, *pauperibus*, absque restrictione præcepti eleemosynæ ad casum necessitatis extremæ vel gravis; imo ea ibi habentur quæ talem restrictionem prohibent, v. g. verba Christi Matth. XXV, *Infirmus et in carcere et non visitastis me;* hæc enim, ut notat Valentia, non significant indigentiam adeo urgentem. Cæterum ita docent omnes theologi, si forte

quosdam ex antiquioribus excipias. Verum non tam certo constat utrum hæc obligatio dandi eleemosynam in necessitate communi sit gravis vel levis tantum ; eam levem esse, præter veteres scholasticos multos, existimarunt Toletus, inst. sac. lib. 8, c. 35, n. 3; Malderus, 2. 2. q. 32, a. 6, dub. 4; Reginaldus, lib. 4, n. 257; Vasquez, de eleemosyna, c. I, dub. 3, n. 21; Diana, p. 2, tr. 15, resol. 32, tr. 16, res. 26. p. 5, tr. 8, res. 17; Lessius, de perf. div. lib. 13, c. 23, n. 142; Cardenas, cris. th. p. 4, diss. 9, c. 2, n. 15 ; eamque sententiam probabilem dicunt Bannez, 2. 2. q. 32, a. 5 et 6, concl. 3; Sanchez, cons. mor. lib. I, c. 5, dub. 5, n. 37; Sporer, tr. 3, c. 6, n. 60. Attamen gravem esse obligationem jam multo communius tradunt Suarez, disp. VII, s. 3, n. 7 et 10 ; Valentia, q. IX, pu. 4; Azor, p. 2, lib. 14, c. 8; Sanchez, l.c.; Bannez, l.c.; Bellarminus, de bonis oper. lib. III, c. 7 ; Becanus, c. XXI, n. 8; Tanner, q. V, dub. 2, n. 13; Castropolao, disp. 2, pu. 2, n. 15; Sylvius, 2. 2. q. 32, a. 6, quær. 2; Amicus, disp. 31, s. 4, n. 61; De Coninck, disp. XXVII, dub. 8, n, 131; Illsung, tr. 3, a. 6, n. 100 et 101 ; Sporer, l. c.; Tamburini, in Decal. lib. 5, c. 1, n. 17 ; Filliucius, tr. 28, c. 4, n. 74; Viva, in prop. 12 ab Inn. XI damnatam, n. 10; Billuart, diss. V, a.2; Giribaldi, tr. 4, c. 5, dub. 1, n. 14; Reuter, p. 2, tr. 1, c. 3, n. 111; Sasserath, de virt. theol. n. 68; Babenstuber, tr. V, disp.1, a. 5, § 2, n, 20; Platel, n. 469; Elbel, conf. 9a,n. 278; S. Alph. lib, 2, n, 32, etc. Nec diffiteri possumus hanc secundam sententiam probabiliorem omnino nobis videri, utpote quæ magis fundata sit et conformior auctoritatibus Scripturæ et Patrum. Unde Toletus ipse, citatis quibusdam traditionis testimoniis, hæc subdere coactus fuit : « Vides tot Sanctos damnantes superflui retentionem sub mortali; multum ergo timendum est ; et nisi esset tam unanimis scholasticorum sententia, quo possunt excusari modo aliquo tales homines, absque ullo dubio esset omnino damnanda talis retentio. » Et

ante ipsum D. Soto, delib. in causa pauperum, c. 8 : « Theologi scholastici, ne divites vehementer perterrefacere videantur, multa comminiscuntur antequam sub peccato mortali homines ad eleemosynas obligent. Nempe quod habeant superfluum, quod pauperes graviter indigeant, aliaque hujusmodi. Id quod neque ego modo constrictius, et, quod aiunt, scrupulosius, definire intendo, quia neque rem scholastice disputo. At ubi sanctos Patres attentus lego, existimo quod neque in pauperibus tam gravem necessitatem, neque in divitibus tantam super statum redundantiam desiderabant, ut sub peccato eleemosynas exigerent. »

et ex parte dantis possibilitas non solum absoluta, sc. libera bonorum dispositio,

489. Supponit etiam obligatio eleemosynæ *possibilitatem* ex parte dantis. Cum in autem elargitione eleemosynæ reperiatur transmissio dominii, illi soli absolute capaces sunt eam faciendi qui de rebus disponere possunt. Hujusmodi sunt illi qui cum dominio liberam habent suorum bonorum administrationem, v.g. *paterfamilias*, quoad bona propria, – *uxor*, quoad bona propria, si vivat sub regimine separationis, quoad bona vero paraphernalia, si vivat sub regimine dotali, — *filiusfamilias*, quoad bona quæ ipsi a parentibus absolute et non ad usum determinatum traduntur. Capaces etiam sunt illi qui, licet dominio bonorum careant, eorum tamen administratione plene potiuntur, v. g. *maritus*, quoad bona communia, et bona propria uxoris, si vivant sub regimine communitatis vel sub regimine exclusivo communitatis, nec non quoad bona dotalia, si vivant sub regimine dotali; — idem fere, proportione servata, dici potest de *tutore* et *curatore*, relate ad bona pupilli, et de *superioribus* regularibus relate ad bona monasterii. E contra eleemosynæ faciendæ capaces non sunt qui, licet bonorum dominium habeant, eorum tamen administratione carent, v. g. *religiosi*, emisso voto simplici paupertatis, — *filii*familias ante majoritatem, quoad ea bona quæ hæreditate obtinent aut industria separata acquirunt, — *uxor*, quoad bona

propria tum sub regimine communitatis, tum sub regimine exclusivo communitatis, nec non quoad bona dotalia sub regimine dotali. A fortiori eleemosynæ faciendæ capaces non sunt qui nec dominium habent bonorum nec administrationem, v. g. *famuli*. Advertendum tamen est, eos, qui alias eleemosynæ faciendæ incapaces essent, eam tamen facere posse in duplici casu, nempe si proximus versetur in extrema necessitate, vel si adsit illius, cujus interest, consensus sive expressus, sive tacitus, sive etiam rationabiliter præsumptus : vi talis consensus, *religiosus* subditus indigentibus subvenire potest ex iis quæ ipsi præbentur ad viaticum, sustentationem ; — *famuli* quoque res quasdam minutas pauperibus licite distribuunt;— maxime vero *uxor* moderatas eleemosynas pro sua conditione facere potest. Cfr. Lugo, de Just. et Jure, disp. XVI, n. 64; S. Alphonsus lib. 4, n. 540 ; Gury, tom. 1, n. 555.

sed etiam moralis, sc. possessio superflui.

490. At obligatio eleemosynæ ex parte dantis supponit non solum possibilitatem absolutam sed etiam *possibilitatem moralem*, in hoc sitam quod habeat *superfluum*, et sic eleemosyna fieri queat absque nimio incommodo proprio. Pro cujus explicatione quædam hic ab auctoribus adnotari solent. a) « Aliquem dupliciter posse habere superflua. Primo, respectu *naturæ*, qua ratione dicuntur ei superflua ea omnia sine quibus se et suos potest sustentare ; sicut dicuntur necessaria naturæ ea sine quibus se et suos nequit alere. Secundo, respectu *status*, qua ratione dicuntur ei superflua ea omnia quæ ei non sunt necessaria, ut decenter secundum suum statum vivat. Et hæc sola proprie debent dici superflua ; nam quæ solum priore modo sunt superflua, cum sint necessaria statui, potius absolute sunt dicenda necessaria, et solum superflua secundum quid.—b) Necessaria statui non consistere in indivisibili, sed *pati quamdam latitudinem*, ut v. g. cui centum annue sunt necessaria ad statum, etsi ei addantur decem aut duodecim, non dicetur statim habere superflua statui, quia, etsi dicta

omnia quotannis se suisque alendis impendat, non poterit statim dici suum statum in expensis excedere. Sicut etiam contra, diligentius rei familiaris administrationi invigilando, poterit decenter secundum suum statum vivere, etsi ipsi aliqua ex iis detrahantur. Idemque proportionaliter dicendum est de necessariis naturæ ; nec enim ea sola debent dici naturæ necessaria, quibus si careas brevi moriturus sis, sed etiam ea, sine quibus non nisi cum gravissimis miseriis aut evidenti earum periculo vitam possis traducere. — c) Necessaria ad statum spectanda esse non solum ex præsenti hominis conditione, sed etiam *ex iis quæ ei probabiliter obventura sunt*. Hinc licet aliqua reservare vel ad dotandas filias... vel ad sustentandam senectutem, vel ad occurrendum necessitati probabiliter obventuræ ex morbis, bellicis casibus, aliisque similibus. Item si quis sit dignus altiore statu et ad eum probabiliter promovendus, in quo majores opes ei erunt necessariæ, has conservando non dicetur habere superflua. Ex quibus patet difficile esse decernere quænam huic vel illi, præsertim sæculari, sint superflua aut necessaria statui, ideoque de hac re satis fuse aliqui disputant... Sed hæc certa regula definiri non possunt, et potius ex omnibus cujusque personæ circumstantiis, quæ in singulis casibus variari possunt, prudenti judicio spectanda, et potius alieno quam ipsius cujus res agitur, quia in rebus similibus proprius amor nos facile decipit, efficiendo ut fingamus nos dignos esse altiore statu et facile ad eum perventuros ; aut nobis imminere aliquos casus, in quibus pecuniæ, nunc superfluæ, sunt futuræ necessariæ, atque ita contra præceptum Domini simus solliciti in crastinum. » Æg. De Coninck, l. c. dub. 8, n. 108 et sqq. ; cfr. Sylvius, l. c. a. 6 ; Valentia, l. c ; Castropalao, l. c. pu. 2, n. 2.

491. Jam ut magis in specie determinetur quanta in uno requiratur indigentia et quale in altero superfluum ut præceptum eleemosynæ obliget, sequentes regulas proponimus.

Regulæ speciales.

a) *Nunquam proximo privato, in quacumque necessitate versetur, subveniendum est ex necessariis naturæ.* Ratio patet ex ordine charitatis, de quo supra, n. 420. Diximus *proximo privato*, quia aliter forte resolvendum est si sermo sit de ipsa republica vel de persona a qua salus reipublicæ pendet; cfr. Valentia, q. IX, pu. 4, secundo certum est, Æg. De Coninck. l. c. dub. 8, n. 107. — b) *Proximo privato, in quacumque necessitate versetur, nunquam subveniendum videtur mediis extraordinariis, v. g. pro vita pauperis expendendo aliquot aureorum millia, quantumvis cæteroquin aliquis sit opulentus et superflua habeat.* Ratio est, quia nemo propriam vitam talibus mediis conservare debet; cfr. Æg. De Coninck, l. c. n. 143-146; Castropalao, l. c. pu. 2, n. 7 et 8; Suarez, s. 4, n. 4. — c) *Proximo in extrema necessitate constituto subveniendum est non solum ex superfluis status, sed etiam ex superfluis naturæ licet statui aliquatenus necessariis, dummodo tamen hæc non sint ita necessaria ut sine illis status nullo modo conservari possit, vel magna ejusdem imminutio fiat.* Ratio primæ partis est, quia vel tunc vel nunquam eleemosynæ præceptum urget; cfr. Suarez, l. c. s. 3, n. 5, cum aliis passim. Ratio secundæ partis est, quia proximi vita prævalet bono nostro longe inferiori; cfr. Suarez, l. c. s. 4, n. 3; Valentia, l. c. tertio certum est, Castropalao, l. c. n. 5; Sylvius, l. c. a. 6, quær. 1. concl. 2; Herinckx, q. 3, n. 44, etc. Ratio demum tertiæ partis est, quia amissio totalis vel partialis status reputatur malum gravissimum et societati valde nocivum; cfr. Æg. De Coninck, l. c. n. 134-139; Herinckx, l. c. n. 46; Castropalao, l. c. n. 6, etc., quorum sententiam maxime fundatam et solide probabilem existimamus. — d) *Proximo in necessitate gravi constituto subveniendum est ex superfluis status, imo probabiliter etiam, in quibusdam scilicet difficilioribus casibus, ex iis quæ aliquo modo sunt necessaria statui sal-*

tem futuro; cfr. Suarez, l. c. s. 4, n. 5, Æg. De Coninck, l. c. n. 125, Sylvius, l. c. concl. 3, Castropalao, l. c. n. 12 et 13 ; Babenstüber, l. c. art. 5, § 2, n. 12 et 13, Viva, l. c. n. 8; Herinckx, l. c. n. 48 et 49; Platel, n. 468, etc.—e) *Communibus pauperum necessitatibus subvenire tenemur ex solis superfluis status, et quidem non ita ut singulis indigentiam patientibus aut elcemosynam petentibus aliquid dare debeamus, sed ita ut aliquando elcemosynas debeamus elargiri, prout prudens charitas dictat elargiendas.* Ita Suarez, l. c. s. 3, n. 7 et 10 : « Qui simpliciter habet superfluum, tenetur sub mortali facere eleemosynam etiam in communibus necessitatibus generis humani; non dico teneri in *singulis* actibus, neque teneri ad dandum *omnia* sed absolute teneri, quod hac negatione bene explicatur : si habeat propositum formale vel virtuale nunquam dandi eleemosynam nisi in gravibus necessitatibus, illud est peccatum mortale in se... Qui habet superflua simpliciter, et propositum habet faciendi eleemosynam, et sæpe facit, quamvis sæpe omittat, et nonnulla etiam in vanos usus expendat, dummodo graves necessitates non prætermittat, non peccat mortaliter. » Similiter cæteri theologi communius.

Extreme vel graviter indigentibus tribuendum est necessarium; aliis sufficit dare partem superflui.

492. Quantitas eleemosynæ facile determinatur quando sermo est de necessitate extrema vel gravi; illud enim dari debet quod requiritur ad prædictam necessitatem levandam. At quando sermo est de necessitate communi vix determinari potest quid ab unoquoque sit tribuendum. Auctores plerique cum Suarez l. c. scribunt *aliquid* elargiendum esse... *aliquando... quibusdam* indigentibus. Addunt nonnulli, tantum dandum esse a singulis, quantum sufficeret ad miseros convenienter juvandos si alii divites officium suum adimplerent, et pro facultate eleemosynas facerent. Cfr. Sylvius, 2. 2. q. 32, a. 6. Cum autem hæc adhuc viderentur nimis generalia, alii, ut evaderent simul difficultatem assignandi tum super-

fluum statui, tum quantitatem hujus superflui erogandam, hanc regulam proposuerunt, quod unusquisque privatus distribuat pauperibus quinquagesimam partem annuorum redituum, eo fere modo quo Episcopis, qui totum superfluum ex beneficio dare tenentur, præscripserant ut quartam partem hujus annui reditus in favorem indigentium impenderent, quia nimirum istam quartam partem censebant superfluam; cfr. Tamburini, lib. 5 in Dec. c. 1, § I, n. 17, et lib. 8 tr. 1, c. 2, § 3, n. 14; Viva, in prop. 12^am^, n. 11; Mazzota, tr. 2, disp. I, q. 2; Roncaglia, tr. 6, c. 3. Quæ sane regula a theologis allegatis non proponitur tanquam absolute necessaria ad impletionem præcepti, et omnibus aliquid possidentibus indiscriminatim applicanda, sed exhibetur tanquam optima ratio qua superflua habentes tuto et secure possint suæ obligationi satisfacere, quin teneantur sollicitius inquirere quænam præcise sint superflua, et quota pars eorum sit pauperibus distribuenda. Porro S. Alphonsus, in H. A. tr. 4, n. 19, id, quod alii dixerant de quinquagesima parte *redituum*, intellexit de quinquagesima parte *superflui;* quam benigniorem sententiam secuti sunt theologi plerique hujus ætatis; cfr. Gury, tom. 1, n. 228; Müller, lib. 2, p. 2, § 59, etc. Ex quibus intelligitur quanta circa hanc materiam prudentia opus sit confessario, ne facile imponat, præsertim sub mortali, obligationes quæ non sunt certæ. Semper tamen præ oculis haberi debet propositio 12^a^ ab Innocentio XI damnata: « Vix in sæcularibus invenies, etiam in regibus, superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui. »

Ad eleemosynam generatim requiritur donatio gratuita.

493. Idea eleemosynæ christianæ videtur postulare ut rei, cujus aliquis vere indiget, fiat proprie dicta *donatio*, absque ulla sive absoluta sive conditionata, scilicet pro casu melioris fortunæ, obligatione restitutionis, idque non solum si agatur de necessitate extrema vel gravi, sed etiam probabilius si

agatur de necessitate communi, nisi tamen in eleemosynam erogari debuisset aliquid ex necessariis ad statum. Nihilominus juxta omnes sufficit dare per modum *mutui* et cum onere restitutionis, primo quando proximus non indiget re ipsa, sed tantum ejus usu, v. g. equo ad fugiendum ; secundo, quando proximus non est absolute pauper, puta, si alibi bona habeat aut hæreditatem exspectet, aut arte quam novit aliave ratione, facile, si velit, sibi comparare possit non solum unde vivat, sed etiam unde acceptum reddat. Cfr. Suarez, disp. VII, s. 5, Æg. De Coninck disp. XXVII, dub. 9 ; Castropalao, l. c. pu. 4 ; Herinckx, l. c. n. 56 et sqq.; Sylvius, l. c. a. 6, quær. 5 ; Valentia, l. c. septimo certissimum, etc.

Eleemosynæ qualitates.

494. Præter necessarias eleemosynæ conditiones, de quibus hucusque actum est, aliæ enumerantur qualitates ejus potius accidentales, seu requisitæ ut eleemosyna fiat cum fructu tum ex parte dantis tum ex parte recipientis. Nempe a) eleemosyna debet esse velox seu prompta, ut sit opportuna; ita Prov. III, 28 : *Ne dicas amico tuo : vade, et revertere : cras dabo tibi, cum statim possis dare ;* — b) debet etiam esse secreta et humilis; sic Matth. VI, 2 : *Cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt;* — c) præterea debet esse hilaris et benigna, ut legitur 2 Cor. IX, 7 : *Non ex tristitia aut ex necessitate : hilarem enim datorem diligit Deus;* — d) insuper debet esse abundans, quemadmodum dicitur Tob. IV, 9 : *Si enim multum tibi fuerit, abundanter tribue,* ita tamen ut semper vitetur omnis superfluitas ; nam ut recte ait S. Ambrosius. de off. lib. I, c. 30 : « Ne propinquioribus quidem ita esse faciendam eleemosynam, ut ditiores inde fieri valeant ; » ubi etiam monet non esse opes effundendas sed dispensandas. Cfr. S. Thomas 2. 2. q. 32, a. 10; — e) tandem debet esse prudens, ut scilicet fiat vere pauperi, *quoniam si quis non vult operari, nec manducet,* 2 Thess. III, 10, et Eccli. XII, 4 ; notant tamen theologi non convenire privatis multum exa-

minare eos qui eleemosynam postulant de moribus et vitæ conditione, ne scilicet indigni forsan admittantur; idemque SS. Patres sæpissime inculcant. Ita v. g. S. Aug. epist. 38 (al. 149) n. 2, docet « multo melius esse malum hominem perpeti, quam forsitan per ignorantiam excludi bonum, dum cavemus ne recipiatur malus. » Et S. Chrysostomus, hom. XXI in ep. ad Rom., n. 4 : « Ne tu pauperes curiose inquiras : propter Christum ipsos suscipis. Quod si perpetuo curiose scrutatus fueris pauperes, fiet ut sæpe probatum coram Domino virum prætermittas, mercedemque, quam ex eo habiturus eras, perdas. Ne scruteris igitur curiose pauperum vitam atque negotia. Nam extremæ illud insolentiæ est pro uno pane totam miseri hominis vitam curiose inquirere. » Similiter S. Isidorus, lib. III, sent. c. 64 : « Quicumque egens poscit, etiamsi indigentem simulat, ex toto corde illi commisereri oportet. Et licet ille falsam indigentis præ se speciem ferat, is tamen qui simpliciter impertit, fructum misericordiæ non amittit. « Cfr. Tanner, l. c. dub. 3, n. 32-40.

Asseritur Ecclesiæ libertas benefaciendi.

495. Cura pauperum speciali modo Ecclesiæ commissa est, cui proinde competit operum misericordiæ directio apud fideles; cfr. Conc. Tridentinum, sess. XXII, c. 8, de reform. et Devoti, lib. II, tit. XII. Hæc autem veritas eo instantius hodie est inculcanda, quo, ut gravissime queritur Pius IX, in Encyclica *Quanta cura*, acrius rationalistæ moderni ubique contendant « auferendam esse civibus et Ecclesiæ facultatem qua eleemosynas christianæ charitatis causa palam erogare valeant. » Cfr. Liberatore, l'Eglise et l'Etat, ch. X, Du droit de bienfaisance publique appartenant à l'Eglise; et III. Malou, De la liberté de la charité en Belgique, etc.

Indicantur obligationes gubernii erga pauperes.

496. Suas etiam erga pauperes civile gubernium obligationes habet. Debet nimirum *a*) pauperum jura efficaciter protegere, curando v. g. ut eorum causæ humaniter, cito,

sollicite tractentur, ipsos in suo labore defendendo, etc. —*b*) Debet etiam quasdam largitiones facere, quibus sustententur, domos exstruere, in quibus indigentes recipiantur, media adhibere ut ad virtutem et bonos mores informentur. — *c*) Non tamen debet totum onus succurrendi pauperibus in se suscipere, omnesque largitiones sibi attribuere; hoc enim imprimis est impossibile, ut a priori patet, et experientia constat; deinde, etsi possibile foret, expediens tamen et bonum non esset : non pauperibus ipsis, qui minus reciperent, durius tractarentur, et non instruerentur; nec divitibus, qui occasiones benefaciendi et actus misericordiæ exercendi non haberent; imo nec societati, cui multum noceret hæc inter divites et egentes separatio, et mox inimicitia, ex qua pronum est ruere in communismum et socialismum.—*d*) Hinc, quamvis gubernium possit in indigentes ex vitio animadvertere, vel etiam impedire ne miseri extranei admittantur, non potest tamen mendicationem absolute prohibere, ut præterea liquet ex doctrina evangelica circa paupertatem voluntariam. —*e*) Itaque gubernii christiani officium est, ut charitatem privatam permittat, eam legibus convenientibus promoveat, præsertim vero Ecclesiam in suo erga pauperes ministerio adjuvet. Cfr. D. Soto, deliberatio in causa pauperum; Tanner, l. c. dub. 3, n. 41 et seqq.; Th. Peltanus, lib. de eleemosyna; J. Medina, Codex de eleemosyna; Vasquez, opusc. de eleemosyna; Sylvius, 2. 2. q. 32, a. 9, quær. 3; Thomassin, traité de l'Aumône; Taparelli, Essai théorique de droit naturel, lib. IV, c. 3, n. 768 et sqq.; Périn, de la richesse dans les sociétés chrétiennes, liv. 7; Ill. D. Pie, Instructions pastorales (tres) sur l'urgente nécessité de l'aumône, opp. tom. 2 et 4; Champagny, la charité chrétienne dans les premiers siècles de l'Eglise.

CAPUT II.

DE EFFICACIA CHARITATIS THEOLOGICÆ.

Obtinetur justificatio per charitatem actualem

497. *Charitas theologica consistere non potest cum statu peccati mortalis, adeoque valet per se ad hominem justificandum.* Probatur imprimis ex sacris litteris, v. g. Prov. VIII, 17; Luc. VII, 47; Joan. XIV, 23; Rom. XIII, 10, Coloss. III, 4; 1 Joan. IV, etc. « *Ego diligentes me diligo. — Remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum. — Plenitudo legis est dilectio. — Super omnia autem hæc, caritatem habete, quod est vinculum perfectionis. — Omnis, qui diligit, ex Deo natus est.* Probatur etiam ex unanimi doctrina SS. Patrum, inter quos ita S. Augustinus, tr. 9 in epist. Joan. n. 9 : « Nam unde diligeremus, nisi ille prior dilexisset nos ? Diligendo amici facti sumus. Sed inimicos ille dilexit ut amici efficeremur. Prior dilexit et donavit nobis ut diligeremus eum. Nondum diligebamus eum ; diligendo pulchri efficimur... Anima vero nostra, fratres mei, fœda est per iniquitatem : amando Deum pulchra efficitur. » Cfr. de Trin. lib. XV, c. 18, etc. Eodem modo S. Bernardus, epist. 107, n. 8 : « Nemo se amari diffidat, qui jam amat. Libenter Dei amor nostrum, quem prævenit, insequitur. Nam quomodo redamare pigebit, quos amavit et necdum amantes. » Et serm. 83 in Cantica, n. 3 : « Talis conformitas maritat animam Verbo, cum, cui videlicet similis est per naturam, similem nihilominus ipsi se exhibet per voluntatem, diligens sicut dilecta est. Ergo si perfecte diligit, nupsit. » Hæc doctrina, quæ jam sancita fuerat in concilio Tridentino sess. XIV, c. 4, ulterius a Summis Pontificibus S. Pio V, Gregorio XIII et Urbano VIII, confirmata est per proscriptionem propositionum Baii 31ª, 32ª, 70ª et 71ª : « Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum. »

— « Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram charitatem ; et charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis. » — « Per contritionem, etiam cum charitate perfecta et cum voto suspiciendi sacramentum conjunctam, non remittitur crimen, extra casum necessitatis aut martyrii, sine actuali susceptione sacramenti. » Porro charitas hæc efficaciter justificans est *actualis*, non vero habitualis, ut aperte constat tum ex locis citatis Scripturæ et Patrum, tum ex obvio sensu propositionem damnatarum. Cfr. Lugo, de pœn. disp. V, s. 8.

498. *Actus autem charitatis justificat statim ac habet suam perfectionem essentialem*, in hoc repositam quod sit amor Dei propter se et super omnia, quemadmodum supra explicatum est n. 40 et sqq. ac rursus n. 418-422 ; quin ulla ad hunc effectum obtinendum necessaria sit perfectio accidentalis sive firmitatis, sive intensitatis, sive durationis. Etenim in sacris litteris et in omnibus monumentis traditionis reciproca Dei dilectio et amicitia promittitur indiscriminatim cuicumque vere diligenti Deum, et de quacumque charitate absque restrictione asseritur eam esse vinculum perfectionis, plenitudinem legis, etc ; cfr. supra n. 485. Hinc S. Thomas, in 4, dist. 17, q. 2, art. 2 : « Dicendum quod, quantumque parvus sit dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam deleat. » simpliciter perfectam,

499. Immerito itaque Ch. Lupus, diss. dogm. de contritione et attritione, c. 7 et sqq., Ledrou, de cont. et att. diss. 4, c. 1, Perin, de pœn. q. 3, a. 2, etc., docuerunt, extra casum necessitatis et articulum mortis, charitatem de lege ordinaria non justificare nisi quando est *consummata* et *robusta*. Immerito etiam alii, v. g. Juenin, p. VIII, diss. 5, c. 4, a. 5. Henricus a S. Ignatio, etc. dixerunt charitatem non justificare nisi quando est *valde intensa, acris* ac *vehemens*, vel, ut nonnulli loquuntur, quando habet etiamsi non sit valde intensa, vel dominans, vel diuturna.

certum gradum intensitatis, aut etiam *gradum intensitatis sive absolute sive saltem comparative summum*. Nec cum majori fundamento quidam asseruerunt charitatem, ut justificet, dēbere esse vel *diuturnam* et *tempore probatam*, vel ita *puram* et *gratuitam* ut excludat omnem respectum ad bonum proprium, de quo supra egimus n. 405; cfr. Suarez de pœn. disp. IV, s. 5; Francolini, de dolore necessario ad sacramentum pœnitentiæ, lib. II, c. 1; Tournely, de pœn., q. 4, a 1, secunda conclusio. Objectiones autem, quibus Tournelii Continuator, part. 2, c. 4, a. 3, s. 2, pu. 5, vim argumentorum sententiæ nostræ elidere conatur, si quid valerent, probarent etiam doctrinam Baii, sc. nullam charitatem per se justificare.

Charitas justificat per modum ultimæ dispositionis de congruo

500. *Charitas per se justificat non ex vi physica actus, sed ex vi meritoria, non quidem de condigno, sed de congruo; seu actus charitatis justificat per modum ultimæ dispositionis, qua posita, ex benignissima Dei ordinatione gratia sanctificans statim infunditur.* Quod præclare explicavit Lessius, de perfectionibus divinis, c. XXVII, n 194: « Actus amoris Dei, quantumvis crescat, non est per se dignus vita æterna. Quis enim dicat, mancipium, eo quod diligat suum principem, et velit ei obedire, mereri regnum, aut eximium statum apud principem, aut ut adoptetur in filium? Multo minus homo, qui essentialiter est Dei mancipium, amando Deum meretur ex natura rei regnum cœlorum vel adoptionem divinam, præsertim cum ob beneficia accepta omnem amorem et omne obsequium ei debeat, et Deus centuplo amplius possit exigere. Itaque hoc totum provenit ex infinita Dei erga creaturam suam benignitate, et benignissima ordinatione, qua, volens creaturam suam evehere ad communionem suæ gloriæ, statuit ut ille se ad hoc, quantum humano modo fas est, disponeret et dignum redderet, non quidem dignitate æquitatis, hæc enim est impossibilis, sed cujusdam proportionis, qualis in infima natura rationali, per auxilia gratiæ

tali naturæ congruentia, dari potest. Hoc ut fieret, statuit certas ad obtinendam gratiam dispositiones, inter quas amor Dei vel contritio in peccatore sit ultima, ita ut, illa posita, eodem momento condonentur omnia peccata, ornetur anima dono gratiæ, detur Spiritus Sanctus, et per Spiritum Sanctum adoptio divinæ filiationis. Non erant illi actus, amor, inquam, et contritio, ullo modo digni tantis bonis, sed aptior ad illa bona dispositio ex parte hominis esse non poterat; quo fit ut talis dispositio in Scriptura dicatur digna; dum enim homo per auxilium gratiæ facit quod in se est, Deus acceptat tanquam dignam, et sua benignitate supplet, statuendo ut talia bona ad præsentiam talis dispositionis, etiam quantumvis magno peccatori, donentur. »

ante susceptionem sacramenti; sed non sine sacramenti voto.

501. *Quamvis charitas justificet sola per se, antequam sacramentum actu suscipiatur, non tamen justificat sine sacramenti voto.* Ita conc. Trid. sess. XIV, c. 4 : « Etsi contritionem aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliari priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. » Advertendum autem est, illud quod dicitur, charitatem scilicet vel contritionem justificare cum *voto sacramenti*, non ita esse intelligendum ac si remissio fieret sub conditione sacramenti recipiendi, et ita ut secus peccata reviviscant, vel ita ut per charitatem et contritionem culpa tantummodo remittatur, pœna vero æterna per sacramentum tollenda sit; sed ita intelligi debere ut charitas vel contritio justificet cum relatione ad medium seu sacramentum ad hoc divinitus ordinatum, cujus suscipiendi voluntas saltem implicite, non modo tantum communi, ut votum suscipiendi alia sacramenta, sed modo etiam proprio in charitate continetur, tum objective ex parte rei, tum subjective ex parte gratiæ Dei moventis, quæ per se charitatem et contritionem dirigit ad

sacramentum, licet quandoque is qui ex gratia charitatis actum elicit, de sacramento non cogitet. Cfr. Suppl. q. XVIII, a. 1; Suarez, dip. XVII, s. 3.

Amor charitate inferior disponit ad justificationem remote extra Sacramentum vel proxime in Sacramento.

502. Amor charitate theologica inferior, quo scilicet Deus non diligitur *propter se* super omnia, disponit quidem sed non sufficit ad justificationem sine sacramento, prout constat ex unanimi doctrina SS. Patrum et Theologorum, et clare colligitur ex concilio Tridentino l. c. Cfr. Perrone, de charitate, n. 141 et sqq.; qui tamen addit « rem ita se habere *in abstracto* spectatam. Cæterum *in concreto* plura suadent Deum ei, qui diligit super omnia, atque dolet de peccatis suis ex motivo spei seu charitatis imperfectæ, non defuturum gratia sua perficiendo charitatem ejusmodi imperfectam. »

Charitatis externæ seu eleemosynæ efficacia ad peccata remittenda asseritur

503. Effectui etiam externo charitatis, scilicet eleemosynæ seu actui misericordiæ et beneficentiæ erga proximum, tribui solet specialis aliqua efficacia. Ita v. g. Tob. IV, 11, et XXII, 9; Eccli. III, 33; Dan. IV, 24; Luc. IX, 44, etc.: *Eleemosyna ab omni peccato et morte liberat, et non patitur animam ire in tenebras. — Eleemosyna est quæ purgat peccata. — Ignem ardentem extinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis. — Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum. — Date eleemosynam, et ecce, omnia munda sunt vobis.* Eodem modo SS. Patres passim ; sic v.g. S. Chrysostomus, in Matth. hom. 52 (cal 53), n. 4: « Hæc Christi adstat tribunali, non tantum patrocinans, verum et ipsi persuadens judici ut reo patrocinium præstet, et pro eo sententiam ferat, et licet millies peccaverit, coronat et victorem promulgat; ait enim : Date eleemosynam et omnia erunt munda. » Item S. Ambrosius, de Elia et Jejunio, c. XX, n. 76 : « Pecuniam habes, redime peccatum tuum. Non venalis est Dominus, sed tu ipse venalis es. Peccatis tuis venumdatus es, redime te operibus tuis, redime te pecunia tua. Vilis est pecunia, sed pretiosa est misericordia... Et

veneno frequenter antidotum temperatur, hoc est, venenum veneno excluditur... Fac et tu quasi bonus dispensator de instrumento avaritiæ subsidium misericordiæ, sinceritatis gratiam de corruptionis illecebra. »

et explicatur.

504. Ut autem hæc eleemosynæ efficacia rite intelligatur, sequentia adverti debent. 1° Ex una parte omnes catholici fatentur *a*) eleemosynam factam ex vera charitate theologica ratione hujus, per modum ultimæ dispositionis, valere ad remissionem peccati, quia, ut vidimus, omnis actus veræ charitatis erga Deum, elicitus a peccatore, hunc ultimo disponit ad gratiam sanctificantem ; — *b*) eleemosynam factam a justo ex vera charitate aut etiam ex quovis motivo supernaturali mereri augmentum gratiæ et gloriæ; — *c*) eleemosynam esse satisfactoriam pro pœnis post peccatum remissum adhuc remanentibus. 2° Ex altera parte certa fide tenendum est, peccata actualia sine vera pœnitentia, saltem virtuali, similique proposito emendationis nullo modo unquam remitti atque adeo in peccatis perseverantem nullo modo per solas eleemosynas, aut sine vera illorum pœnitentia, salvari posse. Nihilominus eleemosyna facta a peccatore ex fine honesto, licet non ex charitate, multiplici ratione confert ad remissionem peccati : *a*) quatenus homo, sua liberaliter pauperibus elargiens, paulatim erga res temporales minus afficitur, atque ita fit aptior ut divinam recipiat gratiam eique cooperetur ; — *b*) quatenus beneficio excitat recipientem ut Deum pro ipso oret, ac gratiam, qua convertatur, ei impetret; — *c*) quatenus eleemosyna ex gratia Dei facta est speciali modo impetrativa gratiæ prævenientis, qua homo ad veram pœnitentiam et veniam peccatorum facile, si velit, possit pervenire; — his addatur, eleemosynam peccatoris, etiam ejus qui se non convertit ex toto corde ad Deum sed adhuc hæret in peccatis, sæpe valere ad remissionem aut saltem dilationem pœnarum temporalium, quas Deus ipsi in hac vita esset inflicturus. Cfr. Æg. De Coninck, disp. XXVII, dub. 4.

PARS III.

DE DEFECTU CHARITATIS THEOLOGICÆ.

Defectus charitatis multiplex.

505. Defectus charitatis, seu peccatum ipsi specialiter oppositum, duplici modo locum habet, nempe per *omissionem*, quando præceptum ejus non adimpletur, de quo nihil jam dicendum remanet; vel per *commissionem*, quando ponuntur actus contrarii. Quum autem illi actus contrarii esse possint vel internæ benevolentiæ, vel beneficentiæ externæ, vel unioni et paci, hinc triplex charitatis defectus distingui solet, nimirum defectus charitatis affectivæ, defectus charitatis effectivæ et defectus charitatis conjunctivæ.

—

CAPUT I.

DE DEFECTU CHARITATIS AFFECTIVÆ.

506. Interno charitatis affectui principaliter opponitur *odium*; secundario autem *acedia* et *invidia*, de quibus nonnulla in specie dicemus.

ARTICULUS I.

DE ODIO.

Odium est actus quo

507. Odium generatim est actus quo aliquis male afficitur erga alterum. Potest autem aliquis male affici erga alterum duplici modo; scilicet, ita ut ab eo aversetur tanquam malo sibi et nocivo, quo casu habetur odium *abominationis;* vel ita ut ei male velit, et in eo casu habetur odium *malevolentiæ* seu *inimicitiæ*.

proximum aversamur

508. Itaque odium *abominationis* consistit in quadam animi aversione qua objectum aliquod tanquam nobis aut personæ amatæ malum refugimus et repellimus. Est autem

odium abominationis *naturæ* vel *qualitatis*, prout objectum ratione sui et simpliciter malum existimatur, vel sub aliquo tantum respectu displicet, dum sub alio remanet amabile.

509. Odium vero *malevolentiæ* vel *inimicitiæ* est actus quo personæ alicui volumus malum, quod et quatenus ei malum est, et ex ejus displicentia, ita ut bonum nostrum in tali malo præcise et immediate constituamus. « Verum et absolutum odium, quo aliquem tanquam nobis inimicum prosequimur, efficit ut ejus mala apprehendamus tanquam nobis bona, præcise quia ipsi mala sunt, etiamsi nullum aliud commodum nobis inde sequatur, et consequenter efficit ut illa sub tali ratione amemus. Sic diabolus et nobis et Deo optat et, quantum potest, procurat malum, præcise quia nobis aut Deo malum est, etsi sciat se inde nullum aliud commodum posse consequi. Unde etiam quidam suis inimicis et optant et procurant interitum cum suo evidenti periculo, sine spe alterius commodi. » [Æg. De Coninck, disp. XXIX, dub. 1, n. 13. vel ei malum volumus.

510. Ex præcedentibus patet odium abominationis opponi amori concupiscentiæ, odium vero inimicitiæ amori benevolentiæ. Sicut autem ordinarie amor concupiscentiæ ducit ad amorem benevolentiæ, ita vicissim odium abominationis gignit odium inimicitiæ ; nam ex eo quod aliquem ut nobis molestum aversamur, fit ut illi malum velimus, ejusque malum qua tale reputemus nostrum bonum. Opponitur duplici speciei amoris.

511. Hisce præmissis, quædam in specie dicemus de odio Dei et de odio proximi. Nihil autem habebimus de odio suipsius quia hujusmodi odium formale non datur, et aliunde ad præsentem materiam non spectat odium sui interpretativum, quale reperitur, juxta modum loquendi Scripturæ et Patrum, tum in iis generatim qui peccant, tum in iis qui adeo cupiunt bona exteriora et corporalia ut negligant et penitus contemnant spiritualia, tum etiam in eis qui non provident Suiipsius odium proprie dictum haberi nequit.

bonis corporis et præsertim vitæ, cæterisque necessariis ad officia implenda, suamque et aliorum salutem promovendam. Huc pertinent v. g. ps. X, 6, Tob. XII, 10, etc. : *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. — Qui faciunt peccatum et iniquitatem, hostes sunt animæ suæ.* Et S. Augustinus, tr. 41 in Joan. n. 10 : « Si male amaveris, tunc odisti. » Item S. Bernardus, apol. ad Guillelmum abbatem, c. VIII, n. 16 : « Quæ etenim charitas est, carnem diligere et spiritum negligere ? Quæve discretio, totum dare corpori et animæ nihil ? Qualis vero misericordia, ancillam reficere et dominam interficere ? »

§ I.

DE ODIO DEI.

Odium Dei possibile est in homine ;

512. *Fieri potest ut in hac vita homo Deum odio habeat ;* etsi enim in Deo, summo et infinito bono, secundum se et intrinsece, apprehendi non possit malum ratione cujus displiceat, et ob quod aliquid adversitatis ipsi optetur, extrinsece tamen in effectibus scilicet ab eo procedentibus, quatenus vel difficilia jubet, vel legum suarum transgressores punit, apprehendi potest in Deo malum ratione cujus alicui displiceat, et ob quod simplici saltem affectu aliquis optet ut Deo adversitas eveniat. Huc pertinent plures textus SS. Litterarum, v. g. Num. X, 35, Deut. XXXII, 41, ps. LXXIII, 23, Joan. XV, 24 : *Surge, Domine, et dissipentur inimici tui, et fugiant, qui oderunt te, a facie tua. — His, qui oderunt te, retribuam. — Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper. — Oderunt et me et Patrem meum.* Verum non est cur id auctoritate firmemus, cum experientia nos doceat, haud paucos impios homines, hac præsertim nostra ætate, odium plane execrabile in Deum palam ac publice profiteri. Cfr. S. Thomas, 2. 2. q. 34, a. 1., Perrone, de charitate, n. 397.

513. *Odium abominationis erga Deum per se et intrinsece malum est, et semper peccatum mortale.* Deus enim infinite bonus est, ita ut in eum nulla malitia sive defectus intrinsece vel extrinsece cadere possit, ob quem abominatione dignus sit. Quod aliis verbis dici potest, Deum et in se ipso omnimode bonum esse, et omnia, quæ ab ipso procedunt, bona esse; quare ex omni parte reperiri causam cur ametur, nullam autem omnino ut odio haberi vel abominationi esse merito possit. Cfr. Laymann, c. 8, n. 5, Sporer, c. 5, s. 3, n. 40, etc.

semper mortale est, si sit abominationis;

514. *Odium inimicitiæ erga Deum per se et intrinsece malum est, et peccatum omnium gravissimum.* Ratio est, quia optimo opponitur pessimum; jamvero odium inimicitiæ erga Deum directe opponitur amicitiæ et dilectioni divinæ, in qua maxima hominis viatoris perfectio consistit; ergo odium inimicitiæ erga Deum est pessimum et gravissimum scelus, viatorem maxime dedecens. Cfr. S. Thomas, 2. 2. q. 34, a. 2. Animadvertit tamen Suarez, disp. VI, s. 1, n. 3, fieri posse ut in individuo, propter circumstantias speciales, quædam alia peccata sint graviora.

et peccatum omnium gravissimum, si sit inimicitiæ.

§ II.

DE ODIO PROXIMI.

515. *Odium abominationis erga proximum non est absolute malum, sed in quibusdam circumstantiis et sub determinatis conditionibus bonum esse potest.* Ratio est, quia hujusmodi odium oritur ex amore sui vel alterius, adeoque illicitum tantummodo est quando iste amor est inordinatus, ita ut repugnet debitæ erga alios charitati. In specie autem *a*) peccatum grave est odio abominationis habere proximum qua *hominem, Dei creaturam, a Christo redemptum*, etc.;— *b*) item per se grave peccatum est odio abominationis habere proximum qua *pium, justum, prudentem*, etc.; — *c*) at nulla culpa est, sed potius laudabile opus, odio abominationis habere

Odium abominationis proximi quoad naturam vel qualitatem bonam peccatum est, non tamen quoad qualitatem malam.

proximum qua *peccatorem, inimicum, persecutorem.* In hunc sensum explicari possunt plura Scripturæ testimonia, v. g. Sap. XIV, 9; ps.CXVIII, 113; ps. CXXXVIII, 21 : *Odio sunt Deo impius et impietas ejus. — Iniquos odio habui. — Nonne qui oderunt te, Domine, oderam, et super inimicos tuos tabescebam ? perfecto odio oderam illos.*

Odium inimicitiæ erga proximum est semper peccatum

516. *Odium inimicitiæ erga proximum absolute malum est, et peccatum ex genere suo mortale.* Patet ex sacris litteris, v. g. 1 Joann. II, 9, III, 14-15, IV, 20 : *Qui dicit se in luce esse, et fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc. — Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis, quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem. — Si quis dixerit : quoniam diligo Deum ; et fratrem suum oderit, mendax est.* Diximus autem illud peccatum esse mortale ex *genere suo ;* leve enim esse potest non solum propter imperfectionem actus, ut si quis velit proximo malum ex subito motu iræ, sed etiam propter parvitatem materiæ, ut si quis exiguum malum proximo velit. Porro disputatur utrum odium proximi sit unius et ejusdem speciei moralis infimæ, an vero inferiores sub se species contineat, ita ut nempe diversa peccata committantur pro diversitate malorum quæ proximo desiderantur : esse unius et ejusdem speciei existimat Valentia, q. XI, pu. 2, cum Lugone, de pœn. disp. XVI, n. 259 et aliis non paucis : quæ sententia nobis conformior videtur cum principio supra posito, n. 386 ; attamen cæteri communius arbitrantur odium esse diversæ speciei pro diversitate malorum quæ proximo optantur : ita Suarez, disp. VI, s. 2, n. 2-3 ; Æg. De Coninck, disp. XXIX, dub. 3, n. 61; Castropalao, disp. IV, pu. 1, n. 6. Cfr. Theologia nostra fundamentalis, n. 458.

ex genere suo mortale

et probabiliter unius et ejusdem speciei moralis.

Non tamen semper peccatum est affectus quo aliquis vult malum proximo

517. Cum odio inimicitiæ confundi nequeunt affectus nonnulli, qui, licet primo aspectu habere videantur aliquid odio simile, prorsus tamen ab eo differunt, et, si debitæ conditiones adsint, liciti omnino sunt.

518. Et quidem imprimis *affectus quo proximo volumus malum ut ipsi bene sit, peccatum non est, sed potius actus charitatis:* sic licite et laudabiliter homini pravo optamus morbum, tribulationem, jacturam aliquam bonorum, quo ejus superbia, insolentia, peccandi licentia compescatur; similiter absque culpa personis morbo durissimo afflictis optamus mortem, ne diutius in tormentis vivant; cfr. Sporer, c. 6, s. 5, § 4, n. 5; Castropalao, disp. IV, pu. 1, n. 9, etc.; requiritur tamen ut in hujusmodi casibus habeatur aliqua proportio inter finem obtinendum et malum quod spectatur ut medium. vel quatenus ipsi bonum est,

519. Deinde *affectus quo proximo volumus malum, non ut ipsi male sit, sed quatenus aliis bonum est, seu impeditivum majoris mali, per se non est peccatum, sed, si debitus ordo servetur, actus charitatis erga Deum, nosmetipsos vel cæteros;* ita S. Thomas in III, dist. 30, q. 1, a. 1, ad 4: « Potest aliquis, salva charitate, optare malum temporale alicui, et gaudere si contingit, non in quantum est malum illius, sed in quantum est impedimentum malorum alterius, quem plus tenemur diligere, vel communitatis aut ecclesiæ. » Sic licite optamus mortem inimici quem scimus nos gravissime vexaturum, si aliter ab eo nos eripere non possumus; item licite gaudemus de exitu peccatoris scandalosi, ne amplius sit ruina aliis; pariter licite desideramus ob bonum commune mortem heresiarchæ vel publicæ pacis perturbatoris, etc. Cfr. Sporer et Castropalao, ll. cc. Si autem debitus ordo charitatis non servaretur, hujusmodi affectus esset peccaminosus, et mortaliter malus, casu quo malum grave pro objecto haberet; quo pertinent propositiones 13ª, 14ª et 15ª ex 65 damnatis ab Innocentio XI: « Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere et desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum. » — « Licitum est absoluto desiderio cupere vel quatenus bonum est aliis,

mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas. » — « Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.» Ita in has propositiones scribit Viva, n. 12: « Ordo charitatis postulat quod vita proximi præferatur emolumento temporali proprio; imo exigit ut ad illam conservandam succurramus pauperi etiam de necessariis statui...: ergo charitatis ordo pervertitur, si mortem proximi appetamus aut de ea gaudeamus propter nostrum temporale emolumentum; eo quod hisce affectibus nostrum emolumentum præfertur vitæ proximi, quæ est in ordine longe superiori : ut proinde perversio ordinis non possit dici levis, nec possint hujusmodi affectus gravi culpa vacare. Et sane magis est damnum pati quam lucrum non reportare; atqui ad vitam proximi conservandam tenemur adhuc damnum pati, erogando pauperi etiam quæ sunt statui necessaria, quamvis non cum gravi detrimento; ergo a fortiori non possumus ejus mortem appetere ad lucrum temporale reportandum. Possumus quidem mortem proximi appetere ob bonum præstantius vita, puta ob Dei gloriam, ob salutem animæ, ob bonum communitatis, cum ordo charitatis petat vitam etiam propriam tantis bonis posthaberi; at non possumus mortem proximi velle ob bonum levioris momenti, quale est emolumentum temporale. » Cfr. Ballerini, ad n. 223.

vel quatenus requiritur ad justitiam servandam.

520. Tandem *peccaminosus non est affectus quo, zelo justitiæ, in panam delicti per debita media et a legitima potestate inferendam, proximo malum volumus etiam quatenus ei malum est;* ita Æg. De Coninck, disp. XXIX, dub 1, n. 7 : « Qui vult alterum legitime et ex amore justitiæ punire, vult ei malum pœnæ qua tale, quia vult illud quatenus utile est ad puniendum alterius peccatum, nec ad hoc est utile, nisi quatenus est patienti aliqua ratione malum, v. g. privando eum aliquo

bono vel infligendo ei dolorem, etc ; tota tamen ratio hoc volendi est bonum justitiæ quod ex illa punitione exurgit. » Sic licite optamus furi carcerem, hosti injusto exilium, etc. Atque in hunc sensum explicari possunt plures textus Scripturæ,v. g. ps. IX, 18 : *Convertantur peccatores in infernum ;* — ps. LIV, 16 : *Veniat mors super illos, et descendant in infernum viventes, quoniam nequitiæ in habitaculis eorum ;* — ps. LVII, 11 : *Lætabitur justus, cum viderit vindictam ; manus suas lavabit in sanguine peccatoris ;* — ps. CIII, 35 : *Deficiant peccatores a terra, et iniqui, ita ut non sint.* Cum hoc autem laudabili amore justitiæ confundi nequit pravus appetitus vindictæ, quo nimirum aliquis in malo proximi quærit compensationem indebitam injuriæ sibi illatæ ; talis siquidem appetitus, quamvis ab odio proprie dicto distinguatur, est tamen per se graviter prohibitus ; ita Æg. De Coninck, l. c. n. 21 : « Patet qua ratione odium inimicitiæ differat a cupiditate vindictæ, quia scilicet quantumvis hæc irrationabilis aut etiam injusta sit, tamen proponit sibi quamdam speciem justitiæ servandam, et quamdam æqualitatem ponendam inter peccatum, quod vere aut falso imputat alteri, et malum, quod cupit ei infligi ; unde hæc non optat propter se, sed quatenus id apprehendit necessarium ut illa æqualitas ponatur. Odium vero optat inimici malum propter se, ideoque ex se id optat sine mensura et insatiabiliter. » Castropalao, l. c. pu. 1, n. 8.

Modus agendi cum inimicis.

521. Jam ex præcedentibus intelligi potest quomodo vir christianus agere debeat cum inimicis. a) *Quantumvis aliquis nos offenderit, aut læserit, aut nobis velit malum, nunquam licet odio abominationis habere ejus personam, vel erga ipsum ullum concipere odium inimicitiæ.* Cfr. n. 503 et 504. — b) *Ita animo comparati esse debemus ut velimus tum exercere internum actum charitatis erga inimicum iis in circumstantiis in quibus tenemur cæteros homines quos-*

cumque actu positivo diligere; tum generatim ex hoc interno affectu ei exhibere communia dilectionis signa, qualia scilicet christianus christiano, civis concivi, sacerdos sacerdoti, consanguineus consanguineo dare solet. Patet ex verbis Christi Domini, Matth. V, 43 : *Audistis, quia dictum est : Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos.* Et sane ea, quæ omnibus debentur, inimico negare, esset manifestum signum odii et vindictæ. Hinc peccat qui inimicum positive excludit ab oratione communi, ei alloquenti non respondet, salutantem non resalutat; peccat etiam qui, dum ex liberalitate omnibus pauperibus occurrentibus dat eleemosynam, vel alicui communitati præstat beneficium, aut impertit privilegium, inimicum excludit. Cfr. Suarez, disp. V, s. 5, n. 7, 8; Æg. De Coninck, disp. XXIV, dub. 6, n. 85 et sqq.; Sporer, c. VI, s. 2, n. 21, etc. Diximus autem *generatim*, quia excipitur casus quo rationabilis causa adsit ea ad tempus denegandi, v. g. in justam punitionem vel debitam correctionem filiorum, vel ob fundatum timorem quod inimicus in sua malitia futurus sit obstinatior, aut incœpturus rixas, etc., dummodo interius non desit charitatis affectus. Cfr. Sporer, l. c., n. 22; S. Alphonsus, n. 28. — c) *Possumus, in significationem justi doloris, indignationis, etc., inimico negare specialia signa dilectionis; item possumus ab eo exigere satisfactionem pro injuria illata et restitutionem pro damno causato.* Ratio primæ partis est, quia eo ipso quod hujusmodi signa sint specialia non tenemur ea exhibere omnibus, ergo nec inimico, cum hic non sit melioris conditionis quam cæteri. Secundæ vero partis ratio est, quia qui exigit satisfactionem vel restitutionem jure suo utitur. — d) *Cum inimico debito modo veniam postulante opportune facienda est reconciliatio;* patet ex Matth. XVIII, 35 : *Sic et*

Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris; et Luc. XVII, 4 : *Si... conversus fuerit ad te dicens : Pœnitet me, dimitte illi.* Diximus *debito modo ;* scilicet verbo, signo, actione, prout dignitas personæ læsæ vel offensæ gravitas id requirere videatur ; casu vero quo ex utraque parte offensio locum habuerit, ille prior veniam postulare tenetur qui vel inferior est vel prius et gravius offendit. Cfr. Æg. De Coninck, l. c. n. 99, Sporer, l. c. s. 2, n. 36 et sqq. Porro prædicta reconciliatio in eo consistit quod offensus, signo aliquo speciali dilectionis offensori exhibito, ostendat se in animum nullum habere aut retinere affectum odii, rancoris, injustæ vindictæ ; non tamen necessario consistit in particularis amicitiæ plena redintegratione, si qua antea intercessisset ; hæc enim amicitia dissolvi potest, non solum si amicus fiat inimicus, sed etiam si non fiat ; quapropter non est dure agendum cum eo, qui aut imminuere aut etiam nullam retinere velit specialem familiaritatem cum eo quem defuisse amicitiæ officio expertus est. Cfr. Ballerini ad n. 224 omnino legendus. — e) *Etsi inimicus veniam humiliter petat, imo satisfactionem sufficientem ac restitutionem debitam offerat, potest nihilominus offensus, in rigore loquendo, adversus eum instituere actionem injuriarum vel actionem criminalem ;* cfr. S. Thomas, 2.2.q.108, a. 1 ; Suarez, disp. V, s. 5, n. 10 ; Æg. De Coninck, l. c. n. 101-104 ; Castropalao, disp. I, pu. 6, n. 9 ; Sporer, c. VI, s. 2, n. 19, 20, etc. ; ab hoc tamen communiter fideles dissuadendi sunt, quia, ut notat Laymann, c. 3, n. 3, perpauci reperiuntur qui ea in re justitiam et commune bonum sincero animo spectent, et non etiam propriæ vindictæ cupiditatem explere velint. »

ARTICULUS II.

DE ACEDIA ET INVIDIA.

522. Acedia et invidia in præsenti considerantur, non prout sunt partes odii, et consistunt in tristitia de bono Dei vel proximi in se spectato, sed prout ab odio realiter distinguuntur.

§ I.

De acedia.

Acedia est tristitia

523. Acedia generatim definitur *quædam tristitia aggravans*, quæ scilicet ita deprimit animum ut nihil agere libeat; adeoque importat quoddam tædium operandi, et a quibusdam dicitur torpor mentis bona negligentis inchoare. A theologis autem sumitur pro tristitia de bono spirituali. Et quidem aliquando sumitur pro tristitia de bono *spirituali in communi*, qua ratione non est speciale peccatum, sed aliorum peccatorum circumstantia : cfr. S. Thomas 2, 2, q. 35, a 2 ; Suarez, l. c. s. 3, n. 3 ; Castropalao, disp. IV, pu. 3, n. 3, etc. Aliquando autem sumitur pro tristitia *de bono divino a nobis participando*, et sic est speciale peccatum contra charitatem, de quo nunc agimus.

de bono spirituali

divino a nobis participando;

524. Itaque acedia proprie dicta est *tristitia de amicitia hominis cum Deo et de mutuis officiis quæ ex ea nascuntur;* seu, ut fusius explicat Æg. De Coninck, disp. XXX, dub. 1, n. 6, « acedia consistit in quadam tristitia ac displicentia, qua, ob tædium laboris ac difficultatum, quæ quis experitur in conservanda Dei amicitia, eum hujus tædet, doletque ita a Deo esse creatum ut necessario debeat aut per fugam et mandatorum observationem esse æternum beatus, aut, si illa recuset, æternum damnari. » Ex quibus patet, acediam strictam non esse, si quis tristatur de statu perfectionis, quem amplexus est, v. g. quod sit sacerdos, religiosus, etc. Cfr. Æg. De Coninck, l. c., n. 9 ; Suarez, l. c., n. 4.

525. Acedia sic intellecta est *opposita charitati*, cujus est gaudere non solum de bono divino in se, sed etiam de amicitia Dei cum homine. Eam autem esse *peccatum ex se semper mortale*, nisi per inadvertentiam excusetur, etiam facile constat, cum importet apertum contemptum status filii Dei; cfr. Æg. De Coninck, l. c., n. 7. Imo merito numeratur inter *vitia capitalia* : cum enim homo in tristitia, sine ulla delectatione, diu permanere non possit, fit, ut qui rerum spiritualium horrorem ac tædium concepit, mox ad noxium creaturarum amorem et illicitas cupiditates atque delicias animum convertat ; cfr. Laymann, c. 9, n. 3, cæterique passim.

est peccatum oppositum charitati, et mortale, vitiumque capitale.

526. Porro acediæ remedium non est ponendum in fuga, sed potius in *pugna*, ut recte docet S. Thomas 2, 2, q. 35, a. 2, ad 4 ; quod idem jam monuerat Cassianus, lib. X Inst., cap. ult. « Experimento probatum est, acediæ impugnationem non declinando fugiendam sed resistendo superandam. » Cfr. Valentia, q. XII, pu. 2.

Remedium ejus est pugna, non fuga.

§ 2.

De invidia.

527. *Invidia est tristitia de bono proximi, quatenus illud per se et ratione sui apprehenditur ut nostri diminutivum.* Ita Æg. De Coninck, l. c., dub. 2, n. 20 : « Proprie loquendo tunc est invidia quando quis dolet de bono alterius, quia apprehendit suum per id obscurari. » Ex qua definitione intelligitur primo, invidiam locum non habere nisi inter eos qui in aliquo genere sunt fere pares et similes ac propinqui ; secundo, eos cæteris paribus esse procliviores ad invidiam qui in aliqua re valde honorantur et maxime in sapientia et felicitate; tertio, pusillanimes ac imbecilles etiam solitos esse maxime invidere. Cfr. Valentia, q. XIII, pu. 1.

Invidia est tristitia de bono proximi quasi nostram gloriam minuente ;

528. Invidia est *opposita charitati*, et peccatum constituit *ex genere suo mortale*. Patet ex sacris litteris, v.g. Rom. I, 29 :

est peccatum mortale charitati oppositum,

Gal. V, 26, etc. : *Tradidit eos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt, repletos omni iniquitate... plenos invidia, homicidio. — Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.* Frequenter in hoc peccatum invehunt SS. Patres, quorum verba legi possunt apud auctores passim ; instar omnium sit S. Gregorius, lib. V mor. c. 46, n. 89 : « Quamvis per omne vitium, quod perpetratur, humano cordi antiqui hostis virus infunditur, in hac tamen nequitia, tota sua viscera serpens incutit et imprimendæ malitiæ pestem vomit. » Cfr. Valentia, q. XIII, pu. 2. Quamvis autem invidia oriatur ex superbia, est tamen ipsa fons multorum aliorum malorum, adeoque merito connumeratur inter *vitia capitalia*. Ita S. Augustinus, serm. 354 (al. 53 de verbis Domini) n. 5 : « Servo Dei cui subrepserit superbia, continuo ibi est invidia. Non potest superbus esse non invidus. Invidia filia est superbiæ ; sed ista mater nescit esse sterilis ; ubi fuerit, continuo parit. » Et serm. 353 (al. 20) n. 1 : « Superbia continuo parit invidiam. Quis vero sit invidus, qui non ei malum velit, cujus bono cruciatur ? Ergo et invidia parit malitiam ; unde procedit et consequenter dolus, et adulatio, et detractio, et omne opus malum, quod pati nolis ab alio. »

et vitium capitale.

Differt invidia

529. Cum invidia confundi nequeunt affectus nonnulli, qui primo aspectu videntur ei similes, quia in aliqua tristitia consistunt et versantur circa bonum proximi, sed in re ipsa penitus ab ea differunt. Unus est affectus *timoris*, cum quis tristatur de bono proximi, quatenus ab eo damnum aliquod per accidens inde reformidatur ; alter est affectus *zeli et æmulationis*, cum quis tristatur occasione boni alterius, non quia in illo est, sed quia ipse eo caret ; demum alius est affectus *indignationis*, cum quis tristatur de bono alterius quia ille eo indignus judicatur. Jam vero primus ille affectus per se bonus est, ut constat ex præcedentibus ; unde S. Gregorius, lib. XXII mor. c. 11, n. 23 : « Evenire plerumque solet ut,

a timore,

æmulatione

et indignatione.

non amissa charitate et inimici nos ruina lætificet, et rursum ejus gloria sine invidiæ culpa constristet, cum, et ruente eo, quosdam bene erigi credimus, et proficiente illo, plerosque injuste opprimi formidamus. » Secundus autem affectus est de se indifferens ; si enim versetur circa bona spiritualia, laudabilis est, atque excitat proficiendi fervorem, prout innuitur 1 Cor. XII, 31 : *Æmulamini charismata meliora ;* si autem versetur circa bona temporalia, licitus est vel illicitus, prouti recto ordini conveniens vel disconveniens reperiatur. Tertius tandem affectus aliquando bonus est, aliquando malus, prout explicat Valentia, q. XIII, pu. 2 : « Si præcise considerentur bona temporalia ut contingunt indignis, et ut alias secundum humanam distributionem solent dignis distribui juste, licitum est de hoc tristari, tanquam de re quæ habet quamdam rationem mali... Si autem bona temporalia indignorum considerentur undequaque absolute et simpliciter, atque adeo prout eis contingunt ex ordinatissima dispositione providentiæ divinæ ob illorum correctionem vel damnationem ; item ut respectu bonorum spiritualium et æternorum sunt quasi nihil, sic quidem non licet tristari propterea quod indigni possideant ejusmodi bona. » Cfr. Suarez, l. c. s. 4, n. 2 et 3 ; Æg. De Coninck, l. c. dub. 2, n. 26, etc.

530. Invidiæ vitium difficillime curatur ; vinci tamen potest si opportuna remedia adhibeantur, quorum duo præcipua a doctoribus assignata sunt : cogitatio nocumenti quod ipsi invidenti affert invidia, et præsertim consideratio fragilitatis et nugacitatis bonorum hujus mundi, quemadmodum pulchre S. Gregorius lib. V mor. c. 46, n. 86 : « Qui ergo livoris peste plene carere desiderat, illam hæreditatem diligat, quam cohæredum numerus non angustat, quæ et omnibus una est, et singulis tota ; quæ tanto largior ostenditur, quanto ad hanc percipientium multitudo dilatatur. » Plura apud Valentia, l. c. pu. 3. Ejus remedia.

CAPUT II.

DE DEFECTU CHARITATIS EFFECTIVÆ.

Peccata opposita beneficentiæ sunt scandalum et cooperatio.

531. Opponuntur quidem generatim charitati effectivæ illi actus quibus Deo, nobismetipsis vel proximo malum inferimus; non est tamen de iis omnibus in præsenti tractandum; nam opera, quæ adversantur bono divino vel nostro, aliis etiam præceptis prohibentur, adeoque alibi suam habent explicationem; quæ vero adversantur bono temporali proximi, vix non semper simul repugnant legi justitiæ; remanet ergo tantum ut agamus de iis peccatis quibus, absque vi et fraude, proximo volenti nocemus in bonis suis spiritualibus: hæc autem sunt scandalum et cooperatio ad malum, quæ, licet iisdem principiis regantur et ab antiquioribus ordinarie per modum unius explicarentur, jam solent a modernis seorsim considerari.

ARTICULUS I.

DE SCANDALO.

Scandalum

532. Quid veniat nomine *scandali*, optime declaravit S. Hieronymus ad Matth. XV, hisce verbis : « Quia crebro teritur in ecclesiasticis scripturis scandalum, breviter dicamus quid significet: Σκωλὸν et scandalum, nos offendiculum et impactionem pedis possumus dicere. » Ex quibus patet scandalum sumi in duplici sensu, *activo* scilicet et *passivo*. In sensu *activo* scandalum generatim est *quidquid in via objicitur in quod possit quis pede impingere*; adeoque, si de ordine spirituali sermo sit, intelligitur id quod in vita, tanquam via qua tendimus ad patriam, ab aliquo ita fit aut dicitur, ut alteri sit causa vel occasio peccati. In sensu autem *passivo* scandalum est *ipsa impactio, seu offensio pedis*, et hinc casus et ruina spiritualis. Jam in præsenti a nobis præcipue tractandum est de scandalo activo; passivum enim, quia non est speciale peccatum habens propriam malitiam contra charitatem, fere nihil ad nos refert.

active sumptum est offendiculum;

passive vero ruina et casus.

533. Solet scandalum activum a theologis cum S. Thoma definiri *dictum vel factum minus rectum præbens occasionem ruinæ*. Imprimis scilicet scandalum consistit in actu externo vel in ejusdem actus omissione, non autem in actu interno, qui, utpote aliis ignotus, non potest habere rationem scandali tanquam obex in via objectus; et hinc definitur *dictum* vel *factum*. Deinde scandalum accipitur semper in malam partem, pro actu pravo, sive in se, sive saltem ratione effectus; non vocatur autem scandalum actus, qui constituit occasionem peccandi, si, non obstante tali effectu malo, hujusmodi actus licite poni potest; et hinc definitur dictum vel factum *minus rectum*. Præterea scandalum consistit in actu qui ex se vel ex circumstantiis natus est aliquo modo movere ad malum; non autem in actu ex quo hic et nunc probabiliter non timetur ruina proximi, quantumvis idem actus nocere posset in aliis adjunctis; cfr. Laymann, c. 13, n. 6. Tandem scandalum consistit in actu qui alios inducit ad *peccatum*; non autem proprie in actu qui alios a perfectione retrahit, quamvis in hoc possit haberi culpa aliqua contra charitatem; cfr. Suarez, disp. X, s. 1, n. 4; et multo minus in actu qui tantummodo in aliis excitat admirationem, rumorem, indignationem, etc.; propterea definitur dictum vel factum *præbens occasionem ruinæ*.

Definitur scandalum activum

dictum vel factum

minus rectum

præbens occasionem ruinæ.

534. Potest autem actus esse scandalosus, seu præbere alteri occasionem ruinæ, *vario modo*, nempe: directe vel indirecte, per se vel per accidens. Scandalum *directum* habetur, quando proximus immediate inducitur ad malum. Scandalum *indirectum* habetur, quando fit illud ex quo proximus sumpturus est occasionem mali, vel ex quo ad malum est incitandus; quod rursus multipliciter contingit: primo, quando aliquis peccat coram aliis, qui ejus exemplo in idem peccatum lapsuri prævidentur; — secundo, quando aliquis coram aliis ea facit quæ, licet in se mala non sint, sunt tamen ex natura

Ratione efficaciæ distinguitur in directum et indirectum;

per se

sua incitativa ad malum, et periculosa, cujusmodi multa enumerari solent, præsertim in materia castitatis ; — tertio, quando aliquis quædam mala vel imperfecta committit, ex quibus alii prævidentur movendi ad fidem relinquendam, religionem contemnendam, etc. ; — quarto, quando exigitur vel imponitur aliquid, in se quidem legitimum, quod tamen proximus, subditus vel debitor, ferre non potest, ita ut exinde ruat in peccata odii, murmurationis, etc. — quinto, quando aliquid petitur quod fieri potest absque peccato, non tamen absque peccato faciendum prævidetur. Porro in primo et secundo ex his casibus, scandalum indirectum est *per se*, quia

vel per accidens ;

actio natura sua movet ad peccatum ; in tribus autem aliis casibus, scandalum indirectum est *per accidens*, quia actio movet ad peccatum non ex natura sua sed tantum ex speciali infirmitate vel malitia proximi.

ratione autem intentionis distinguitur in diabolicum, simpliciter intentum, et interpretative volitum.

535. Similiter actus scandalosus poni potest ex *varia intentione;* scilicet : vel ut malum committatur quatenus est offensa Dei et ruina proximi ;—vel etiam ut malum committatur non quatenus malum est sed quatenus ex eo aliquid utilitatis aut delectabilitatis oritur ; — vel tandem ut alius finis bonus aut indifferens obtineatur : in primo casu scandalum est *intentum* et *diabolicum ;* in secundo casu est *simpliciter intentum ;* in tertio casu est potius *interpretative volitum.*

Semper locum habet quando proximus consilio etc. inducitur ad id quod fieri nequit sine peccato,

536. *Jamvero scandali semper reus est qui, quacumque intentione, jussu,consilio,precibus,blanditiis proximum inducit ad id quod facere nequit sine peccato.* Ita theologi communiter, qui exinde resolvunt non esse licitum a malefico petere ut maleficium maleficio destruat ; nec ab usurario ut cum usura mutuet, nec ab infideli ut per falsum deum juret ; nec a sacerdote, qui jurisdictione caret, ut a peccatis absolvat, etc. Nec referre videtur, tametsi hujusmodi homines per seipsos ad peccandum parati sint, nam licet in eo casu minus graviter contra charitatis legem delinquas,non tamen a peccato, eoque

mortali, si ad mortale inducas, veniali autem, si ad veniale, immunis es ; nam quamvis causa non sis interni mali propositi, quod est peccati principium, causa tamen es peccati secundum executionem vel continuationem ; cfr. Laymann, l. c. n. 3, S. Alphonsus, n. 47. Est nihilominus celebris in hoc puncto controversia, utrum habenti voluntatem committendi peccati gravioris, si aliter a proposito abduci non possit quam suggerendo ac suadendo illi peccatum aliquod minus, suadere id licitum sit ; affirmant multi, quorum sententia probabilior existimatur a S. Alphonso, n. 57 ; at pars negans nobis videtur magis fundata, saltem si malum minus non sit virtualiter contentum in majori ; cfr. Laymann, l. c. n. 8 : Castropalao, disp. VI, pu. 6; S. Alphonsus, n. 57, apud quos cæteri allegantur.

et quando absque sufficienti causa fit illud ex quo proximus sumpturus est occasionem peccandi.

537. *Scandali etiam reus est qui, quacumque intentione, absque causa sufficienti, facit illud ex quo proximus sumpturus est occasionem peccandi vel incitamentum ad peccatum.* Constat ex Rom. XIV, 15 : *Si propter cibum frater tuus contristatur, jam non secundum charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.* Et 1 Cor. VIII, 9-13 : *Videte autem ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis... Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.* At si adsit *causa sufficiens*, potest unusquisque absque peccato scandali, facere illud in quo continetur occasio ruinæ pro proximo. Ita utrumque asserit S. Chrysostomus, *Quod regulares fœminæ*, etc. n. 5 : « Quando magnum aliquod lucrum obvenerit, et plaga ipsa majus, contemnendi sunt qui scandalum patiuntur ; quando autem nullum fuerit amplius, quam quod infirmi dejiciantur, etiamsi millies ex imprudentia hoc patiantur illi, parcendum eis erit; quoniam et Deus eos, qui impellunt in lapsum et dejiciunt, lata sententia supplicii puniet. » Causa autem sufficiens ita

agendi, non obstante periculo incitationis ad malum, est *necessitas* sive *absoluta* sive etiam *moralis*. Et quidem res clara est quoad necessitatem *absolutam*, tum *physicam*, quæ existit quando per vires naturales impossibile est actum ponere vel ab eo abstinere, tum *spiritualem*, quæ existit quando habetur obligatio actum ponendi vel eum omittendi. Ubi tamen advertendum est, sæpe contingere ut præcepta, non solum humana sed etiam divina et naturalia, non urgeant quando eorum adimpletio obtineri nequit absque scandalo proximi. Ad decidendum autem quandonam in particulari hoc contingat, considerare debemus an multum expediat bono communi præceptum adimpleri, — an actio sit valde incentiva ad malum, et consequenter an habeatur magna probabilitas ruinæ proximi, — an peccatum quod timetur sit omnino grave, — an agatur de ruina totius communitatis vel de ruina unius aut alterius in particulari, vel de ruina quorumdam in genere et indeterminate. Cfr. Æg. De Coninck disp. XXXII, dub. 6, n. 62; S. Alphonsus, n. 51. Quod vero pertinet ad necessitatem *moralem*, in eo nempe sitam quod actio omitti non possit absque jactura bonorum propriorum, res etiam certa est; tantummodo advertendum est, quantitatem jacturæ, propter quam vitandam agens a scandalo excusetur, mensurandam esse ratione habita gravitatis et probabilitatis peccati in proximo, numeri et qualitatis personarum quarum lapsus timetur, aliarumque circumstantiarum, de quibus modo loquebamur.

Regulæ speciales.

538. Principia jam breviter ac generatim exposita, hisce conclusionibus magis explicat Æg. De Coninck, l. c. n. 65 et sqq.: a) Extra gravissimam necessitatem illicite coram aliis facimus aliquod opus quod, ex se spectata communi hominum infirmitate, inductivum est ad peccatum, quantumvis alias in se non sit malum; quia ita operans, secundum moralem æstimationem, censetur alios invitare ad peccandum,

eique horum peccatum imputatur. — b) Quando ex aliquo opere, quantumvis alias bono, crederetur magna hominum multitudo ex infirmitate aut ex ignorantia inducenda in gravia peccata, illud omittendum est, etiam cum jactura vitæ. — c) Quando ex meo opere, alias non malo aut inductivo ad peccatum, creduntur unus atque alter in peccatum inducendi, tum id omittendum est, etiam cum aliquo meo incommodo, eoque majore quo alter gravius et cum magno periculo æternæ damnationis peccaturus est, ut si esset peccaturus instante jam morte, aut ad infideles defecturus. — d) Quando opus non est ex se inductivum ad peccatum, nec mihi potest probabiliter constare de aliquo in particulari quod per id sit inducendus in peccatum, etsi credam forte aliquos in confuso per id ad peccatum inducendos, non teneor id sub peccato mortali omittere. »

Principiorum applicatio.

539. Ex quibus principiis theologi nonnullas conclusiones, exempli causa, deducere solent. a) Ad infirmorum scandalum vitandum omittenda quandoque est veritatis etiam revelatæ prædicatio; si tamen ex silentio integritas fidei in discrimen adduceretur, denuntiandum esset verbum Dei, nonobstante periculo cujuscumque scandali, juxta monitum S. Greg. M. in Ez. lib. I, hom. 7, n. 5 : « Si de veritate scandalum sumitur, utilius permittitur nasci scandalum quam veritas relinquatur. » Atque ita in concilio Vaticano Pontificis infallibilitas definienda fuit, licet exinde plures ex malitia, nonnulli etiam ex infirmitate præviderentur occasionem sumpturi hæreseos et apostasiæ. Cfr. S. Thomas 2. 2. q. 35, a. 7; Valentia, q. XVIII, pu. 4. — b) « Prælatus non solum potest, sed etiam interdum debet, jurium et bonorum Ecclesiæ vel monasterio debitorum exactionem differre, ob scandalum ignorantium et infirmorum evitandum, quoad ii moneantur, et scandalum non amplius ex infirmitate vel ex ignorantia sed ex malitia provenire videatur, cujus vitandi causa temporalium bonorum

repetitio, quæ alicujus momenti sunt, intermitti non debet, et vere ab Ecclesiæ prælato intermitti non potest, cum non sit absolutus dominus illorum, ut arbitratu suo remittere aut donare possit, sed administrator tantum, curator et custos. Quare idem sentiendum est de pupillorum tutoribus et quovis alio bonorum alienorum administratore. Verum quod ad Ecclesiæ prælatum attinet, monet S. Antoninus,... Cajetanus..., Valentia.., rem ita compositam et constitutam esse, ut, tametsi populo rationem reddiderit, nihilominus scandalum oriturum sit, et spiritualis fructus jactura, tum gratius Deo obsequium facturum, si Ecclesiæ consensum procuret, ut debitum condonetur, quam si exactionem faciat cum spirituali jactura populi : cujus ratio est,... quia temporalia propter spiritualia instituta sunt, non contra spiritualia propter temporalia. » Laymann, c. XIII, n. 9. Cfr. S. Alphonsus, n. 52. — c) « Fœmina, advertens se turpiter amari a quopiam, quoties in ejus oculos incurrit, mortaliter peccat, quando, data opera, citra ullam necessitatis aut utilitatis rationem, sed ex mera levitate aut necessitate, eidem se conspiciendam objicit...Dixi *quando data opera, etc.*, nam si adest necessitas aliave honesta causa prodeundi in publicum, v. g. ut invisat vicinas, ne videatur inurbana, ut veniat in templum, intersit publicæ supplicationi, tunc licite utitur jure suo egrediendi domo, quamvis turpis amator ex ejus conspectu labatur in peccatum.» — c) Præterea « nemo peccat dum splendide se ornat pro status sui conditione et more regionis,modo id faciat bono fine, quamvis sit periculum scandali vagi et indeterminati... Cæterum in casu notabilis periculi ne determinata persona ob ejusmodi vestium ornatum spiritualiter ruat, ab eodem abstinendum ex lege charitatis, si fieri possit absque difficultate,notat ex Navarro et aliis Laymann... Porro a cultu lascivo et notabili nuditate corporis de se nata scandalum parere, mulieribus sub mortali abstinendum, ac denegandam esse absolutio-

nem sacramentalem, nisi abstinere promittant, docet Paulus Mezger... Alii tamen fœminas, quæ sic nudatæ incedunt, ubi talis consuetudo jam viget, excusant a mortali, quamvis fateantur eas, quæ primitus ejusmodi vestitum introducunt in aliquam provinciam, excusari non posse. » Babenstuber, tr. V, disp. I, a. 6, § 2, n. 22 et 23 ; cfr. S. Alphonsus n. 53-55. — d) Aliæ eorumdem principiorum applicationes, v. g. ad libros pravos, spectacula, choreas, etc., legi possunt apud Gury, n. 239 et sqq., ubi tamen quædam quæstiones non satis distinguuntur : prima, an hæc vel illa actio sit in se ex jure naturali vel positivo prohibita, ita ut mala sit independenter a quocumque pravo effectu ; — altera, an actio sit omittenda quia est ipsi agenti periculosa, eique occasionem proximam constituit ; — tertia, an sit prohibita ratione cooperationis stricte sumptæ ; — quarta, quæ sola ad præsentem materiam pertinet, an actio sit prohibita quia aliis scandalum præbet.

Scandalum activum est peccatum ex genere suo mortale,

540. Scandalum activum est peccatum ex genere suo mortale, ut clare patet ex sacris litteris, v. g. Matth. XVIII, 7, Marc. IX, 42, Luc. XVII, 1, Rom. XIV, 20, etc.: *Væ mundo a scandalis. — Quisquis scandalizaverit unum ex his pusillis credentibus in me, bonum est ei magis, si circumdaretur mola asinaria collo ejus, et in mare mitteretur. — Impossibile est, ut non veniant scandala : væ autem illi per quem veniunt. — Noli propter escam destruere opus Dei.* Ita S. Bernardus, serm. 1 in conversione S. Pauli, n. 2 : « Si proprium sanguinem dedit in pretium redemptionis animarum, non tibi videtur, graviorem ab eo sustinere persecutionem, qui suggestione maligna, exemplo pernicioso, scandali occasione, avertit ab eo animas, quas redemit, quam a Judæo, qui sanguinem illum fudit? » Cfr. S. Augustinus, serm. 62 (al. 6 de verb. Dom.) c. VI, n. 9. Ergo veniale tantummodo est scandalum, quotiescunque vel plena deliberatio non habetur vel deest gravitas materiæ ; cfr. Castropalao, disp. VI, pu. 2, ubi controversiam exponit « an mortale

esse possit inducere aliquem ad peccatum veniale ex intentione depravata, quia malum illius est. »

et diversæ speciei malitiam continere potest ;

541. Porro, juxta quosdam, scandalum activum est semper peccatum contra eam virtutem ad quam violandam proximus inducitur, sed non est peccatum contra charitatem nisi quando ruina proximi, qua talis, intenditur : ita Vasquez, l. 2, disp. 182, c. 4 ; Azor, lib. 4, c. 7, q. 1 ; Sanchez, lib. 1, c. 6, n. 3; Becanus, c. 27, q. 2, etc. Juxta alios e contra scandalum activum est semper peccatum contra charitatem, sed non est peccatum contra eam virtutem ad quam violandam proximus inducitur, nisi quando directum est, vel, si sit indirectum, quando virtutis violatio intenditur ; quo tamen ultimo casu potius habetur affectus internus contra prædictam virtutem quam opus externum ipsi oppositum, adeoque in materia justitiæ hoc non sufficit ut oriatur obligatio restitutionis ; cfr. Æg. De Coninck, disp. XXXII, dub. 5, n. 49 ; cujus sententiæ ratio est, « quia, licet quælibet virtus possit non solum obligare directe ad eam amplectendam, sed etiam indirecte, ne in aliis eam impediam, non tamen obligat me ad procurandum positive quod alii eam amplectantur. Justitia, v. g. obligat me ne procurem quod alius furetur, non tamen obligat me ut procurem ne alii furentur, nisi forte ex speciali titulo ad id tenear ; castitas obligat me indirecte ne alios inducam ad luxuriam, non tamen ut positive procurem alios esse castos ; nam licet affectus erga castitatem possit etiam ad id inclinare, non tamen obligare. Quamvis ergo peccet contra obligationem indirectam castitatis qui proximo luxuriam consulit, non tamen peccat ullo modo contra castitatem, qui proximi luxuriam non impedit, et ideo, qui lascivum non impedit, peccat quidem contra charitatem, non vero contra virtutem castitatis. Sic ergo nec peccas contra justitiam, si prævidens, præter intentionem tuam, alium ex intemperantia tua inducendum esse ad furandum, id non impe-

dias ; quia justitia obligat quidem te ne procures alios furari, non tamen ut eorum furta impedias, et ad hunc finem abstineas ab intemperantia. » Lugo, de pœn. disp. XVI, s. 4, n. 161. — Tandem nonnulli existimant scandalum semper esse peccatum tum contra charitatem tum contra eam virtutem ad quam violandam proximus inducitur ; ita S. Alphonsus, n. 45. Quidquid vero de hac quæstione statuatur, admittendum saltem est, scandalum activum esse speciale peccatum contra justitiam quando quis vi aut fraude proximum inducit ad malum. Cfr. Lugo, de Justitia et Jure, disp. IX, s. 1, n. 9 et sqq.

probabiliter non multiplicatur pro numero personarum scandalizatarum.

542. Disputatur etiam inter theologos an scandali activi peccatum multiplicetur pro numero personarum quæ per eamdem actionem ad malum pertrahuntur. Non desunt qui peccatum scandali multiplicari negent ; cfr. Lugo, de pœn. disp. XVI, s. 4, n. 135 et sqq., item Theol. nostra fundamentalis, n. 461 ; affirmat autem cum multis S. Alphonsus, lib. 2, n. 46, quorum sententiam quidam communem dicunt ; verum advertendum est, aliquando pro ea male adduci illos auctores qui asserunt quidem in confessione exprimendum esse numerum personarum scandalizatarum, non tamen definiunt utrum hæc obligatio oriatur ex eo quod numerus personarum peccatum multiplicet, an vero oriatur ex eo quod numerus personarum malitiam scandali notabiliter aggravet. Cfr. Laymann, c. XIII, n. 6 ; Gobat V, 13, n. 62.

Scandalum passivum non est speciale peccatum.

543. Scandalum passivum non adversatur speciali alicui virtuti, sed per omnia vitia vagatur ; nihil enim aliud est quam peccatum scandalizati, quod aliquando est adversus temperantiam, aliquando adversus justitiam, aliquando adversus religionem etc. ; et in hoc omnes Doctores conveniunt. Distinguitur autem scandalum passivum in *datum*, quod oritur ex actione alterius scandalosa per se, et in *acceptum*, quod oritur ex actione scandalosa per accidens ; cfr. supra, n. 534. Acceptum

vero rursus dividitur in scandalum *pusillorum* et in scandalum *pharisaicum*, prout provenit ex infirmitate vel ex malitia scandalizati. Cæterum nomine scandali *dati*, *accepti*, *pharisaici*, *pusillorum*, non idem apud diversos auctores significatur.

544. Potest scandalum activum esse absque scandalo passivo, cum scilicet actio vere scandalosa effectum non producit quem productura prævidebatur; vicissim potest haberi scandalum passivum, saltem improprie dictum, absque activo, quoties nempe aliquis peccat occasione actionis quam alter non tenebatur omittere.

ARTICULUS II.

DE COOPERATIONE.

Cooperatio triplici modo locum habet;

545. Cooperari generatim est operari cum alio; adeoque in materia nostra cooperatio intelligitur *concursus præstitus actioni pravæ alterius*. Potest autem hujusmodi concursus præberi triplici modo. Imprimis præbetur per *influxum in voluntatem alterius*, qui actionem pravam exequitur; qua ratione cooperantur mandantes, consulentes, adulatores, etc.; de hac autem specie cooperationis nihil in præsenti dicendum est, quia non differt a scandalo. Deinde concursus præbetur per *participationem in ipsa actione prava;* qua ratione cooperari dicuntur qui collatis viribus rem alienam surripiunt; et hæc cooperatio vocatur *immediata*. Tandem præbetur concursus per *exhibitionem materiæ*, *facultatis*, verbo *mediorum*, quibus alter utitur ad actionem pravam exequendam; qua ratione cooperantur illi qui furi domum alienam invadere volenti scalam et instrumenta tradunt, etc.; et hæc cooperatio vocatur *mediata*, atque de ea præsertim hic est agendum. Ex quibus deducitur, cooperationem proprie et stricte sumptam in hoc a scandalo distingui, quod scandalum

sit *causa* peccati proximi, cooperatio autem sit ejus *instrumentum*.

546. Hæc cooperatio mediata *proxima* vel *remota* dicitur, prout ex natura sua aut ex circumstantiis magis vel minus connexa est cum peccato alterius. Ita proxime cooperatur ad idololatriam, qui ad petitionem infidelis imaginem falsi dei pingit; remote vero cooperatur ad superstitionem judaismi, qui hebræo cæremoniam paschalem celebraturo agnum vendit. In qua re patet multiplices gradus existere, qui tamen prudenti judicio tantum discerni possunt. proxima est vel remota,

547. Cooperatio modo descripta fit per aliquam actionem, adeoque *positiva* est; admittitur tamen etiam cooperatio *negativa*, licet minus proprie, quæ locum habet quando quis peccatum alterius impedire posset et deberet, nec impedit. De ea cooperationis specie vix aliquid nunc videtur dicendum, cum illi applicari possint principia superius exposita ubi de fraterna correptione. positiva vel negativa,

548. Porro ulterius distinguitur cooperatio in *formalem* et *materialem*. Formalis est, quando cooperans consentit malæ voluntati principaliter agentis, seu peccatum intendit. Materialis autem est, quando cooperans minime peccatum intendit, actum tamen suum exercet prævidens principaliter agentem eo abusurum esse ad peccandum. Est nihilominus hic advertendum, formalem cooperationem haud raro ita describi ut videatur convenire cum scandalo; definitur enim ea « quæ per se et directe *influit* in malam voluntatem et peccatum alterius; » cfr. Müller, § 36, n. 1. Paulo obscurius etiam S. Alphonsus, n. 63, ait cooperationem formalem eam esse, quæ « concurrit ad malam voluntatem alterius. » formalis vel materialis.

549. *Patet cooperationem formalem, sensu a nobis declarato intellectam, semper esse illicitam* : qui enim malæ voluntati alterius consentit, peccatum vult, adeoque peccat. Si vero cooperatio formalis dicatur actio quæ est causa malæ volun- Cooperatio formalis semper illicita ;

tatis in altero, de ea ratiocinandum erit juxta principia exposita n. 536-538 de scandalo. Quibus attentis, nobis nimis absolute asseri videtur a recentioribus passim cum S. Alphonso, n. 64, famulo *nunquam* licere comitari herum ad locum peccati, « si hic ex comitatu animosior reddatur. »

generatim etiam illicita cooperatio materialis immediata;

550. *Cooperatio materialis immediata generatim est illicita :* quæ enim interdicuntur principaliter agenti, eadem ob paritatem rationis, interdicuntur ejus coadjutoribus. Hinc v. g. militibus nunquam licet, in bello injusto, tormentis ignem admovere ad hostium internecionem, etc. Diximus *generatim*, quia non pauci exceptionem admittunt pro iis actionibus quæ sunt proximo nocivæ in bonis fortunæ ; existimant enim contingere posse ut gravissime peccet damnificator principalis, et tamen a culpa immunis sit ille qui, metu mali ingentis pressus, damnificationi immediate participat, v. g. segetem destruendo ; si quidem relate ad ipsum rei dominus nequeat esse rationabiliter invitus ; cfr. Molina, tr. II, disp. 115, quinta conclusio ; Castropalao, de char. disp. VI, pu. 11, n. 12; S. Alphonsus, lib. IV, n. 571, etc. Quidquid vero sit de hujusmodi exceptione, certum est, extra prædictum casum, eum, qui immediate cooperatur actioni malæ, peccare tum contra virtutem ad quam violandam concurrit, tum contra charitatem, si operam recusando peccatum proximi impedire valeret.

item per se prohibetur cooperatio materialis mediata;

551. *Mediata autem cooperatio materialis, præsertim si propinquior sit, per se etiam prohibetur eadem lege qua prohibetur opus principale :* quod enim statuitur de fine, statui similiter debet de mediis, proportione servata. Sic, quia diverso titulo interdicitur editio librorum impiorum, ideo etiam peccant qui ad hujusmodi editionem concurrunt typos ordinando, chartam typis imponendo, impressionem dirigendo, libros impressos compingendo ; item qui in societatibus ad prava diaria evulganda institutis *actiones*, ut vocant, habent, vel iisdem diariis associantur, vel ad ea notitias

aut negotia communicanda transmittunt, etc. *Præterea cooperatio mediata materialis, etiamsi paulo remotior sit, per se prohibetur lege charitatis, quoties cooperans posset, abstinendo, peccatum proximi præcavere.* Ex quibus sequitur, eum, qui mediate cooperatur ad malum, peccare posse vel simul contra virtutem quæ directe violatur et contra charitatem, vel contra solam virtutem quæ violatur, vel forte contra solam charitatem. Cfr. S. Alphonsus, n. 47 et n. 80.

quæ tamen permittitur

552. Nihilominus materialis cooperatio mediata non est ita absolute prohibita ut non sit licita si duæ conditiones verificentur: prima, quod actio per quam fit cooperatio non sit aliunde mala, sed ex se bona vel saltem indifferens; altera, quod habeatur causa sufficiens.

si fiat per actionem ex se bonam vel indifferentem

553. Et quidem primam conditionem omnes admittunt; sed minime conveniunt in determinando utrum quædam actiones habendæ sint tanquam ex se bonæ vel saltem indifferentes, an vero sint habendæ tanquam aliunde malæ. Sic difficultas existit relate ad confectionem idoli, templi ædificationem, aliaque hujusmodi; cfr. pro utraque parte, Laymann, de scandalo, n. 5; Tanner, 2. 2, disp. I, q. 9, dub. 5, n. 144; Castropalao, de charitate, disp. VI, pu. 11, n. 7; Æg. De Coninck, disp. XVIII, dub. 13, n. 211 et sqq.; S. Alphonsus, n. 59; Scavini, n. 1018; Martinet, lib. IV, a. 11, § 5, etc. Eadem difficultas manet relate ad scriptionem epistolæ amatoriæ, ejusque delationem, muneris transmissionem ad amasiam, etc.; cfr. pro utraque parte Babenstuber, tr. V, disp. 1, a. 6, § 2, n. 25; Lacroix, lib. II, n. 273; Viva et Cardenas, in prop. 51; Giribaldi, tr. IV, c. 7, dub. 7, n. 52; Tamburini, lib. V in Dec., c. 1, § 4, n. 18-19; Bonacina, de matr. q. 4, pu. 14, n. 6; Sanchez, de præceptis Decal. lib. I, c. 7, n. 26 et 29; Laymann, l. c.; Castropalao, tr. VI, pu. 13, n. 4-7; Sporer, tr. V, c. 1, § 3, n. 99. et 100; Rebellus, lib. II, q. 4, n. 53; S. Alphonsus, n. 65; Gury, n. 251, quær. 5°, etc.

et cum sufficiente causa.

554. Quoad alteram conditionem advertendum est, non æqualem causam sufficere ad quamcumque cooperationem, sed eo majorem desiderari, quo propinquior est cooperatio, quo gravius est peccatum ad quod concurritur, et præsertim quo magis illud peccatum est tertio nocivum, item quo arctius conjuncta est cooperatio cum peccato alterius, seu quo certius vel probabilius ea omissa hujusmodi peccatum vitaretur. Sic v. g. causa quæ sufficit ut liceat meretrici advenienti domum aperire vel etiam eam curru adducere, non sufficit ut liceat humeros subjicere domino ad fornicationem ascendenti ; etc. cfr. S. Alphonsus, n. 66. Sedulo autem præ oculis retinendum est, in hac materia rationem habendam esse non commodi individuorum tantum, sed præcipue boni Reipublicæ et Religionis; videlicet non mediocria damna utrique evenirent, si nimis facile propter privatas utilitates cooperatio ad quædam permitteretur.

Principiorum applicatio

555. Hujus loci non est casus particulares percurrere qui in materiis de fide et religione, de sobrietate, temperantia ac castitate, de sacramentis, etc., suam habent explicationem ex principiis modo expositis ; cfr. Gury, n. 250-256, cæterique theologi passim ; item instructio pastoralis episcoporum Belgii anni 1843, instructio pastoralis episcopi Brugensis pro quadragesima anni 1854, ejusdemque instructio practica pro confessariis diœcesis Brugensis, anno 1858, in quibus documentis speciatim agitur de cooperatione relate ad prava diaria.

quæstionibus politicis,

556. Quia tamen Doctores minus solliciti videntur in expendendis quæstionibus civilibus et politicis, ideo præcipuas quasdam responsiones hic subjicimus ex iis quæ a Sacra Pœnitentiaria emanatæ sunt, 10 Dec. 1860, 1 et 14 Dec. 1866, 3 Ap. 1872, ut inde unusquisque perspiciat quomodo in talibus negotiis principiorum generalium applicatio fieri debeat.

557. « Q. An liceat dare suffragia ad componenda consi-

lia, et municipales repræsentativas personas, et an electi possint officio fungi consiliarii et magistratus municipalis? R. *Dummodo municipales non adigantur ad ea quæ adversantur legibus divinis et ecclesiasticis, et se abstineant a præstando juramento juxta formam a Gubernio invasore propositam, posse tolerari.* — Q. Quomodo, sciscitanti an oblatum Deputati munus in nationali conventu, quem *Parlamento* itali vocant, excipi possit, respondendum sit? R. *Affirmative sub sequentibus conditionibus.* 1) *Ut deputati electi in emittendo juramento fidelitatis et obedientiæ a lege præscripto adjiciant limitationem :* Salvis legibus divinis et ecclesiasticis. 2) *Ut hujusmodi limitatio fiat expresse in recitatione formulæ ipsius juramenti, audientibus saltem duobus testibus.* 3) *Ut ipsi deputati electi animo comparati sint et declarent se nunquam legibus improbis et injustis favorem et suffragium esse laturos ; imo hujusmodi leges, quatenus proponantur, esse notorie reprobaturos.* — Q. Qua se ratione gerere possint Episcopi rogati ut bonorum deputatorum electioni faveant ? R. *Nihil obstare quominus Episcopi et Ordinarii occasione electionum, quoties ad id requisiti fuerint, in mentem populi revocent, quemque fidelium pro suis viribus teneri ad impedienda mala et ad promovenda bona.* »

relate ad Reipublicæ administrationem,

558. « Q. An liceat civicæ aut nationali militiæ nomen dare, quæ ab intruso gubernio suæ defensioni ac conservationi in provinciis usurpatis est constituta ? R. *Negative.* — Q. Quid de iis dicendum qui inviti conscribuntur et ad eamdem militiam ineundam adiguntur ? R. *Posse tolerari milites civicos coactos, qui militiam absque gravi damno seu incommodo deserere nequeunt, dummodo tamen animo comparati sint eam deserere quamprimum poterunt, et interim ab omnibus actibus hostilitatis in subditos et milites legitimi principis se abstineant, et ab actibus contra bona, jura, et per-*

susceptionem militiæ,

sonas ecclesiasticas. — Q. An licitum sit acceptare gradus inferiores in militia nationali? R. *Quatenus coacti militiæ nomen dederint, et servent eas animi dispositiones quæ injunctæ sunt a Sacra Pœnitentiaria... posse tolerari ut, ad redimendam vexationem durioris servitii, gradum aliquem ex inferioribus acceptent, in quo juramenti præstatio non exigitur.* »

et officiorum civilium,

559. « Q. An retineri et suscipi possint ab intruso gubernio officia? R. *Dummodo non agatur de officiis, quæ directe et proxime influant in spolium vel in ejusdem spolii manutentionem, et exerceri possint absque periculo lœsionis legum Divinarum et Ecclesiasticarum, posse tolerari ; in praxi vero quilibet ex dictis Officialibus aut Personis Ditionis Pontificiæ, qui paratus sit stare mandatis Sanctæ Sedis, caute moneatur ut consulat Episcopum seu loci Ordinarium, qui in singulis casibus decernet juxta mentem SS^mi Domini.*»

legum iniquarum executionem activam,

560. « Q. An juxta indultum jam a S. Pœnitentiaria transmissum Administratoribus locorum piorum ab invasore Gubernio occupatorum, possint ab Ordinariis habilitari non modo ad administrationem prosequendam sed et ad suscipiendam ii qui ab illegitima auctoritate denuo eligerentur? R. *Sacra Pœnitentiaria de speciali et expressa Apostolica Auctoritate omnibus et singulis locorum Ordinariis, quorum territoria a Gubernio invasore occupata fuerunt, ad sex menses duraturam facultatem concedit præfatis personis ut officium administratoris, dummodo exinde non requiratur adhæsio gubernio invasori aut juramentum fidelitatis juxta formam ab eodem gubernio propositam, et ad effectum et sub conditione curandi utilitatem locorum piorum, et abstinendi omnino ab alienatione bonorum, et cum dependentia ab Episcopo seu ab Ordinario loci, cui rationem reddere tenentur, retinere et de novo assumere et exercere licite valeant apostolica expressa auctoritate indulgendi. Porro quisque curabit scandalum removere caute manifestando se*

id peragere de licentia Apostolica. Episcopi vero et Ordinarii in administratione locorum piorum passive se habeant, nullumque positivæ conniventiæ argumentum quoad gubernium exhibeant, et eidem dumtaxat si fuerint interrogati respondeant. — Q. An Exactores et Cursores possint mandata exequi contra ecclesiasticos et loca pia morosa quoad exactiones dativarum tum cameralium tum municipalium, et quibus normis, quibusque cautelis ? R. *Sacra Pœnitentiaria, de speciali et expressa Apostolica auctoritate, benigne sic annuente SSmo Domino Nostro Pio PP. IX, omnibus et singulis locorum Ordinariis, quorum territoria a Gubernio invasore occupata fuerunt, ad sex menses duraturam facultatem concedit, sive per se sive per aliam ecclesiasticam personam ad hoc specialiter a quolibet ex dictis ordinariis deputandam, Apostolica Auctoritate habilitandi Cursores et Exactores ad exequenda mandata tum contra loca pia tum contra personas ecclesiasticas, petita et obtenta prius in singulis casibus venia a respectivo Ordinario, et remoto prudenter scandalo : contrariis quibuscumque non obstantibus.*»

561. « Q. An liceat parochis elenchos dare a gubernio intruso pro militia nationali et militari delectu habendo in usurpatis provinciis exspostulatos ? R. *Negative, et quatenus per vim libri auferantur, passive se habeant.* — Q. An Ordinarii, Parochi, Beneficiarii, cæterique bonorum ecclesiasticorum administratores, si gravibus sub pœnis exspostulentur, reddituum respectivorum inventarium tradere possint ? R. *Permitti, emissa tamen in scriptis protestatione, in singulis actis a respectivis administrationibus super necessitate traditionis ad evitanda majora mala, et pro tuitione jurium Ecclesiæ. Mens autem est SSmi Domini, ut Ordinarii ante vel post traditionem, si fieri possit, super præmissis collectivam faciant protestationem reverenter quidem sed cum evangelica libertate.* — Q. Quanam ratione se gerere debet Episcopus,

Gubernio bonorum Ecclesiæ titulos postulante, ac, nisi sibi obtemperetur, *sequestra* minitante ? R. *Titulos violenter requisitos posse in casu necessitatis et ad evitandum grave damnum exhiberi; prævia tamen protestatione qua declaretur se cedere coactioni, neque ullo modo cooperari pravis Gubernii intentionibus. Similiter posse Episcopum notas facere, per interpositas præsertim personas, hujusmodi Gubernii violentias parochis aliisque beneficiatis, ad finem docendi modum quo sibi consulere possint, exhibendo, prævia eadem protestatione, titulos sub gravibus pœnis seu damnis requisitos.* »

vel passivam. 562. « Q. Quomodo Ordinarii circa *Regium Placet* et *Exequatur*, quod Gubernium sibi arrogat super Bullis, Brevibus et Rescriptis Pontificiis, se gerere debeant ? R. *Non esse inquietandas privatas personas, quæ, ut se servent indemnes, ad Gubernium pro* Regio Placet *seu* Exequatur, *recurrunt; verum Ordinarii hac in re, quantum poterunt, passive se habeant, et si a Gubernio super hujusmodi petitionibus interrogati fuerint, juxta leges justitiæ et ad formam SS. Canonum sententiam suam patefaciant.* »

563. « Q. An Parochi et cæteri ecclesiastici, quibus decimarum abolitione per Gubernium facta, damnum illatum est, compensationes ab ipso Gubernio propositas accipere possint ? R. *Posse, juxta oraculum SSmi Domini, titulo meræ compensationis pro damno sibi a Gubernio illato ob impeditam decimarum exactionem, percipere pensiones a Gubernio assignatas, facta tamen prius sive ab Ordinario loci in communi, sive a quolibet ex dictis parochis seu ecclesiasticis in particulari, protestatione, per hujusmodi perceptionem nullo modo recognosci aut approbari decimarum abolitionem a Gubernio factam, et caute monitis earumdem decimarum debitoribus, eos non esse, vi legis a Gubernio latæ, ab onere easdem solvendi liberatos.* » Cfr. Acta S. Sedis, tom. 1, 2, 7.

CAPUT III.

DE DEFECTU CHARITATIS CONJUNCTIVÆ.

Indicantur peccata opposita paci privatæ ac publicæ.

564. Sub hoc titulo comprehendimus ea quæ opponuntur paci et unioni sive privatæ, ut sunt *discordia*, *contentio*, *rixa*, et *duellum*, sive publicæ, ut sunt *schisma*, *seditio* et *bellum*. De his omnibus hoc loco solent agere theologi, præsertim Scholastici cum S. Thoma 2. 2. q. 37 et sqq. Quia tamen rixa et duellum, seditio et bellum justitiæ magis adversantur quam charitati; et quia aliunde eorum explicatio multa supponit præsenti materiæ aliena, ideo nos de istis alibi tractandum judicavimus, breviter tantum habito nunc sermone de immoderato *nationalismo*.

Discordia est peccatum

565. Discordia, ex S. Thoma, est dissensio voluntatum circa bonum quod ex charitate velle debemus; seu est dissensio voluntatis a voluntate alterius in iis quibus consentire tenemur ex charitate Dei et proximi. Tria scilicet ad discordiam requisita sunt: primum, quod dissensio sit *voluntatis*, non intellectus solum; alterum, quod hæc dissensio sit circa *bonum*, quum dissensio circa malum, nedum vitiosa, potius laudabilis est atque imperata a charitate; quo sensu Christus Dominus, Math. X, 34, 35: «*Non veni pacem mittere sed gladium. Veni enim separare hominem adversus patrem suum*, etc.; tertium, quod sit dissensio circa bonum *necessarium* ex charitate Dei vel proximi; dissensio enim circa bonum liberum minime ad discordiam pertinet.

contra charitatem,

566. Discordia opponitur concordiæ, adeoque et charitati, in quantum scilicet charitas multorum corda conjungit in aliquod unum, quod est principaliter quidem bonum divinum, secundario autem bonum proximi. Est autem discordia peccatum ex genere suo mortale, siquidem Gal. V, 20, ponitur inter ea quæ excludunt a regno Dei, et Prov. VI, 19,

ex genere suo mortale;

Deus dicitur detestari eum « *qui seminat inter fratres discordias.* »

similiter et contentio ;

567. Contentio est altercatio verborum quibus quis alteri contradicit inordinate, sive impugnando serio veritatem, sive eam indebito modo propugnando. In priori casu contentio est peccatum ex genere suo mortale, nempe in materia gravi ad fidem, bonos mores, pietatem, justitiam pertinente ; unde Gal. 1. c. annumeratur inter opera carnis excludentia a regno Dei. In altero autem casu, est peccatum veniale tantum, nisi accedat nova species malitiæ, puta scandali. Ita S. Thomas, 2. 2. q. 38, a. 1 : « Sicut discordia contrarietatem quamdam importat in voluntate, ita contentio contrarietatem quamdam importat in locutione... Contrarietas autem locutionis potest attendi dupliciter ; uno modo quantum ad intentionem contendentis, alio modo, quantum ad modum ; in intentione quidem considerandum est, utrum aliquis contrarietur veritati, quod est vituperabile, vel falsitati, quod est laudabile ; in modo autem considerandum est utrum talis modus contrariandi conveniat et personis et negotiis, quia hoc est laudabile ;... vel excedat convenientiam personarum et negotiorum, et sic contentio est vituperabilis. Si ergo accipiatur contentio secundum quod importat impugnationem veritatis, et inordinatum modum, sic est peccatum mortale, et hoc modo diffinit Ambrosius contentionem, dicens : « Contentio est impugnatio veritatis cum confidentia clamoris; » si autem contentio dicatur impugnatio falsitatis cum debito modo acrimoniæ, sic contentio est laudabilis ; si autem accipiatur contentio secundum quod importat impugnationem falsitatis cum inordinato modo, sic potest esse peccatum veniale, nisi forte tanta inordinatio fiat in contendendo, quod ex hoc generetur scandalum, aliorum. »

utraque oritur ex vana gloria.

568. Porro discordia et contentio filiæ sunt inanis gloriæ, ut communiter traditur, et re perpensa facile patet ; cfr.

S. Thomas, 2. 2. q. 37, a. 2 et q. 38, a. 2. Ita S. Augustinus, epist. 22 (al. 64), n. 7 : « Horum autem morborum mater superbia est et humanæ laudis aviditas, quæ etiam hypocrisin sæpe generat. »

Schismatis peccatum committitur

569. Schisma est peccatum eorum, qui, ut ait S. Thomas, 2. 2. q. 39, a. 1, « propria sponte et intentione se ab unitate Ecclesiæ separant, » prout nempe Ecclesia est corpus mysticum ex diversorum statuum fidelibus tanquam membris inter se et cum uno capite Christo ejusque in terris vicario connexis.

duplici modo,

570. Cum autem, juxta Angelicum, l.c. « Ecclesiæ unitas in duobus attenditur, scilicet in connexione membrorum Ecclesiæ ad invicem, seu communicatione, et iterum in ordine omnium membrorum Ecclesiæ ad unum caput,» sequitur, schismaticos esse « qui subesse renuunt Summo Pontifici, et qui membris Ecclesiæ ei subjectis communicare recusant. »

sc. per separationem a capite Ecclesiæ,

571. Et quidem de priore separationis modo ita S. Thomas : « Non obedire præceptis cum rebellione quadam constituit schismatis rationem. Dico autem *cum rebellione*, cum et pertinaciter præcepta Ecclesiæ contemnit, et judicium ejus subire recusat.» 2. 2. q. 39, a. 1, ad 2. Quam S. Thomæ doctrinam sequentibus explicat Caietanus, in h. l.: «Tripliciter recusari potest præceptum vel judicium Papæ : primo ex parte rei judicatæ seu præceptæ ; secundo, ex parte personæ judicantis vel præcipientis; tertio, ex parte officii ipsius. Primum fit, cum quis non vult obedire aut exequi quod mandavit Papa, quod quidem fieri potest retenta recognitione ipsius in superiorem, et retenta fide quod ipse sit superior. Alterum fit, cum quis personam Papæ suspectam habet, paratus ad non non suspectos judices ab eo recipiendos. Tertium fit, cum quis Papæ præceptum vel judicium ex parte sui officii recusat, non recognoscens eum ut superiorem. Et hic proprie schismaticus est... Inobedientia enim quantumvis pertinax non constituit schisma, nisi sit rebellio ad officium Papæ vel Ecclesiæ, ita

ut renuant illi subesse, illum recognoscere ut superiorem. »

vel per separationem ab ejus membris ;

572. De altero separationis modo hæc habet idem Caietanus, l. c: «Ex eo aliquis est schismaticus, quod renuit ut pars Ecclesiæ operari. Nec refert ex quacumque causa hoc oriatur ; dummodo enim ad hoc deveniatur quod renuit se habere ut pars Ecclesiæ catholicæ, incurritur schisma. Ex quacumque siquidem diversitate vel sententiarum vel affectionum in tantum aliqui exorbitent ut velint sanctificare vel sanctificari (relate ad cultum), docere vel doceri (relate ad fidem), providere vel provideri (relate ad regimen), non ut pars Ecclesiæ catholicæ, sed tanquam ipsimet sint velut quoddam totum seorsum, schismastici sunt.» Ex quibus haud ægre solvitur quæstio, an schismaticus sit habendus qui ab episcopo suo se separat. Videlicet, si ita se separat ut cæteræ Ecclesiæ et præsertim Romano Pontifici adhuc adhæreat, schismaticus vere non est; secus autem, si ita se separando ab episcopo communionem quoque totius Ecclesiæ repudiat, vel subesse renuit Summo Pontifici.

est peccatum gravissimum, contra charitatem.

573. Jam vero schisma est peccatum gravissimum contra charitatem, quæ non solum alteram personam alteri unit spirituali dilectionis vinculo, sed etiam totam Ecclesiam in unitate spiritus. Præclara exstant hac de re S. Cypriani verba, epist. XL, n. 5 : «Deus unus est, et Christus unus, et una Ecclesia, et cathedra una super Petrum Domini voce fundata. Aliud altare constitui aut sacerdotium novum fieri, præter unum altare et unum sacerdotium, non potest. Quisquis alibi collegerit, spargit. Adulterum est, impium est, sacrilegum est, quodcumque humano furore instituitur, ut dispositio divina violetur. Procul ab hujusmodi hominum contagione discedite. »

574. Præter S. Thomam ejusque commentatores in 2. 2. q. 39, legi debent, de schismatis peccato, Suarez, def. fidei, lib. I, c. 21, Valentia, disp. III, q. 5, pu. 1, Lugo, de fide,

disp. XXV, Sanchez, lib. II, in Dec. c. 36, Laymann, c. XI, n. 4, Castropalao, disp. IV, pu. 5, Murray, de Ecclesia, disp. VI, s. 1, Palmieri, proleg. de Ecclesia, § 23, etc. De pœnis autem in schismaticos latis fusius agunt canonistæ, tum antiquiores, tum recentiores, ubi præsertim hi explicant bullam « *Apostolicæ Sedis.* »

Reprobatur immoderatus nationalismus,

575. Postremo notamus, charitati christianæ, imo etiam justitiæ et religioni, adversari spiritum immoderati *nationalismi;* siquidem hujusmodi affectus in perverso suiipsius amore fundatur, separationem a populis alienæ stirpis, more paganorum, atque odium illorum includit, discordiam inter ipsos cives seminat et fovet, ad aliarum nationum jura violanda, imo et Ecclesiæ unitatem, per idolum reipublicæ et ecclesiæ nationalis, scindendam perducit.

et principium de non interventu.

576. Cum hoc connexum est principium, ut vocant, *de non interventu*, quod Summus Pontifex Pius IX in suo *Syllabo* errorum sub n. 62 proscripsit. Istiusmodi enim principium repugnat charitati, vi cujus unum gubernium pro viribus alterum adjuvare et tueri debet contra injustam aggressionem; ac præterea maxime perniciosum est societati humanæ, quia « quamdam impunitatem ac licentiam impetendi ac diripiendi aliena jura, proprietates ac ditiones sancire videtur. » Cfr. Allocutio habita die 28 sept. 1860.

FINIS.

INDEX ANALYTICUS.

INTRODUCTIO.

Pag.

IDEA VIRTUTUM THEOLOGICARUM 5

Virtutes theologicæ sunt principia quibus homo ordinatur ad Deum finem supernaturalem, 1 ; tres esse virtutes theologicas eruitur ex Scripturis, traditur a SS. Patribus, ratione innuitur, 2 ; ordine generationis, secundum actus, fides præcedit spem, spes charitatem ; ordine vero perfectionis, charitas præcedit fidem et spem, 3.

LIBER I.

DE FIDE.

PROŒMIUM. DE SIGNIFICATIONE VOCIS 9

Variæ *fidei* significationes ad duas classes revocantur, 4 ; prout scilicet refertur ad voluntatem, fides primario significat fidelitatem, 5 ; secundario autem existimationem probitatis, promissionem, fiduciam, 6 ; prout refertur ad intellectum, primario et proprie significat assensum datum propter auctoritatem loquentis, improprie vero, quamcunque persuasionem, 7 ; et secundario, veracitatem, doctrinam revelatam, et totam œconomiam christianam. 8. Tractationis partitio, 9.

PARS I.

DE NATURA FIDEI THEOLOGICÆ 13

Fides theologica est virtus supernaturalis, qua, Dei aspirante et adjuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest, 10.

CAPUT I.

DE NATURA ACTUS FIDEI THEOLOGICÆ 13

Actus fidei theologicæ est assensio supernaturalis, firma ac libera, veritatibus revelatis præstita propter auctoritatem Dei testantis, 11.

ARTICULUS I. — De subjecto actus fidei 14

Actum fidei esse assensum aliquem intellectualem probatur ex Scripturis, 13, traditur a SS. Patribus, 14, docetur a scholasticis, 15, definitur in conciliis, 16. Hinc veram notionem fidei perverterunt novatores sæculi XVI, 17, et recentius Hermes, 18. Partes voluntatis in actu fidei minime negantur, 19.

ARTICULUS II. — De objecto materiali actus fidei. . . 17

Objectum fidei *quod* est veritas supernaturaliter a Deo revelata, 20, explicite vel implicite, 21 ; non autem veritas cum revelatis solummodo connexa, 22, adeoque nec conclusio theologica, nisi hæc tota implicite contineatur in præmissa revelata, 23. Difficultates applicationis, 24. Ad constituendum objectum fidei divinæ sufficit revelatio mediata, 25, vel etiam privata; revelatio tamen publica requiritur ad objectum fidei catholicæ ; imo si fides *catholica* stricte sumatur, requiritur præterea Ecclesiæ propositio, 27.

Rejicitur fidei ipsius distinctio in historicam, miraculorum et promissionum, 28 ; admittitur tamen in ipso objecto fidei distinctio inter principia theoretica, leges practicas et instituta constitutiva, 30, — inter puncta fundamentalia et non fundamentalia, 31 ; — inter veritates explicite et clare propositas, et veritates propositas implicite et obscure, 32 ; — inter veritates rationi naturali pervias, et mysteria, 33.

Objectum fidei ab Adamo usque ad Christum crevit simpliciter, 35, non quoad substantiam, 36 ; sub nova œconomia non potest crescere quoad se, 37, potest tamen crescere quoad nos, 38 ; quare etiam crescere potest numerus dogmatum, 39.

Objectum fidei integre continetur in Scripturis et traditione, compendiose autem in symbolis, 40. Symbolum enim, sc. collatio et tessera, est summa credendorum,

41; triplex distinguitur, Apostolicum, Nicæno-Constantinopolitanum, Athanasianum, 42; in symbolo objectum fidei convenienter traditur, 43. Fidei profssiones, 44.

Objectum fidei *de quo* principale et adæquatum attributionis est Deus; secundarium et attributum est etiam creatura, 45, 46.

Articulus III. — De motivo actus fidei 32

Fides objecto formali differt ab intelligentia et scientia, 47. Objectum formale fidei esse auctoritatem Dei loquentis, eruitur ex Sacris Litteris, 49, traditur a SS. Patribus, 50, docetur a scholasticis, 51, definitur in concilio Vaticano, 32. Fidei notionem pervertunt rationalistæ, Hermesiani et Guntheriani, 53.

Motivum fidei duplici veritate constituitur, sc. divinæ infallibilitatis et divinæ locutionis, 54; utraque nota prærequiritur ad actum fidei, 55, et quidem alia via quam per divinam revelationem, 56.

Porro divina infallibilitas includitur in notione entis perfectissimi, 57. Divina locutio cognoscibilis est per suos characteres, miracula sc. et prophetias, 58. Miracula enim et prophetiæ sunt argumenta divinæ missionis legatorum, 59, et consequenter signa ipsius divinæ locutionis, 60, imo ipsam locutionem divinam ingrediuntur, 61, et hoc sensu assensus in locutionem divinam dici potest immediatus, 62. Hinc miracula et prophetiæ sub diverso respectu sunt vel objectum fidei formale, vel signa divinæ locutionis, vel argumenta divinæ legationis, vel motiva credibilitatis.

Locutio divina ad omnes homines transmittenda est, 64; transmissio autem per medium mere humanum non sufficit ad fidei unitatem et universalitatem, 65; hinc a Christo Domino institutum est medium supernaturale ad hoc aptissimum, sc. Ecclesia, 66. Ecclesia, veritates revelatas proponens, spectari debet duplici modo, 67: sc. nondum supposita fide in infallibilitatem magisterii authentici, 68, vel hac fide jam supposita, 69; utroque modo propositio Ecclesiæ est saltem motivi formalis applicatio, imo dici potest ad motivum formale pertinere, 70.

Assensus datus formaliter propter auctoritatem Ecclesiæ infallibiliter definientis, est fides ecclesiastica, 71;

datus autem propter auctoritatem Ecclesiæ non definientis infallibiliter, est assensus religiosus, 72; demum præstitus propter motivum partim revelatum partim non revelatum, vocatur assensus theologicus, 75.

Articulus iv. — De proprietatibus actus fidei 50

Actus fidei proprietates sunt libertas, supernaturalitas, firmitas et infallibilitas, n. 74.

§ I. — De actus fidei libertate 50

Fides multiplici sensu libera, 75. Actum fidei liberum esse libertate specificationis, probatur ex Scripturis, 77, traditur a SS. Patribus, 78, docetur a Scholasticis, 79, definitur in conciliis, 80. Error Hermesianorum, 81.

Libertas actus fidei supponit objecti inevidentiam, 82; ad eam tamen non sufficit inevidentia objecti materialis, 83, imo hæc inevidentia probabilius non requiritur, 84, sed requiritur et sufficit inevidentia objecti formalis, 85. Infallibilitas divina generatim evidens, 86 ; divina vero locutio non evidens, licet certa, 87. Partes voluntatis et intellectus in actu fidei, 88.

§ II. — De actus fidei supernaturalitate. 57

Actum fidei theologicæ non posse elici nisi ex viribus gratiæ, demonstratur ex Scripturis, 90, traditur a SS. Patribus, 91, definitur in conciliis, 92. Error Hermesianorum, 93.

Ad actum fidei necessaria est gratia illustrationis pro intellectu et inspirationis pro voluntate, 94, non solum medicinalis, 95, sed etiam elevans ; adeoque actus fidei est entitative supernaturalis, 96, et necessitas gratiæ est absoluta, 97. Supernaturalis est etiam assensus in principium fidei, 98. Partes intellectus et voluntatis, sub gratia, in susceptione fidei, 99. Fides a Deo solo obtinenda.

§ III. — De actus fidei firmitate 66

Assensum formalem fidei debere esse æstimative super omnia firmum, 101, probatur ex Scripturis, 102, traditur a SS. Patribus, 103, ratione ostenditur, 104.

Firmitas actus fidei supponit assensum in objectum ejus formale omnino firmum, 105, non tantum subjective, 106, sed etiam objective, sc. respondentem valori motivorum, 107, a singulis credentibus cognito, 108. Motiva illa sunt pro omnibus sufficientia, 109, et omnibus accommodata ad cognoscendum tum factum revelationis, 110, tum veritates revelatas, 111.

Firmitas actus fidei oritur ex imperio voluntatis, 112, et ex viribus gratiæ, 113. Assensus fidei super omnia firmus possibilis est pueris et rudibus, 114. Nulla unquam circa fidem semel susceptam dubitatio licita est, 115, 116, a fortiori nulla licita mutatio, 117.

§ IV. — De actus fidei infallibilitate 85

Necessaria connexio actus fidei cum veritate, 119, includitur in ejus omnimoda certitudine, et oritur, sinon semper ex modo quo dignitas rationum menti se manifestat, saltem ex modo supernaturali quo mens in objectum tendit, 120.

Non videtur repugnare ut aliquando objectum non revelatum personis privatis proponatur cum iis motivis propter quæ eædem personæ credere possint et teneantur, 121; in hoc tamen casu assensus præstitus tali objecto non est supernaturalis, licet pia voluntas credendi sit supernaturalis, 122; unde licet ille assensus naturalis a vero fidei assensu experientia descerni nequeat, multiplex tamen inter eos discrimen habetur, 123.

Corollarium. De personis capacibus eliciendi actum fidei . 90

Actum fidei divinæ elicere potuerunt angeli in via et primi parentes, 125 ; eum tamen damnati elicere non possunt, 126, nec Beati, 127. Actum fidei verum eliciunt peccatores, 128, nisi sint hæretici formales, 129.

CAPUT II

DE NATURA VIRTUTIS FIDEI THEOLOGICÆ. 94

Datur virtus fidei infusa, 130, in justificatis non solum adultis, 131, sed etiam parvulis, 132. Licet hæc virtus non videatur infundi ante gratiam sanctificatem, 133, potest tamen remanere sine gratia, 134, et solum amittitur per peccatum hæreseos, 135. Cessat donum fidei in damnatis et in Beatis, 136.

Præter virtutem fidei theologicam, 137, existit in voluntate habitus infusus ad eliciendum actum piæ affectionis credendi, 138, et in intellectu habitus infusus ad eliciendum judicium credibilitatis, 139, a quibus etiam distinguitur habitus theologicus, 140. Fidei respondet donum intellectus, 141, ejusque effectus est munditia cordis, 142.

APPENDIX. — DE RELATIONE INTER FIDEM ET SCIENTIAM . . 102

Fides et scientia sunt duo modi cognoscendi, 143, distincti, 144, non separati, sed conjuncti, 145, et subordinati, 146, nunquam tamen oppositi, 147.

Disciplinæ humanæ fidem debent respicere tanquam stellam rectricem, licet ab ea sint independentes quoad sua principia, methodum et conclusiones, 148. Scientia fidei seu theologia, quæ distinguitur in apologeticam, positivam, scholasticam, polemicam, 149, progreditur a principiis fidei, 150, et disciplinis humanis non utitur nisi tanquam subsidiis et ancillis, 151.

Ecclesia fidei custos et magistra jus habet proscribendi falsam doctrinam, 152, adeoque auctoritate potitur in omnes scholas, 153, 154.

PARS II.

DE NECESSITATE ET EFFICACIA FIDEI THEOLOGICÆ 116

Quæritur an et quousque fides requiratur, vel sufficiat ad salutem consequendam, 155.

CAPUT I.

DE NECESSITATE FIDEI THEOLOGICÆ 116

Necessitas fidei generatim asseritur, n. 156, ejusque multiplex respectus indicatur, 157; ac traditur notio necessitatis medii et præcepti, 158.

ARTICULUS I. — De fidei necessitate medii 118

Fidem esse medium ad justificationem necessarium traditur in Sacris Litteris, n. 160, docetur a SS. Patribus, 161, definitur in conciliis, 162, ratione ostenditur, 163.

Necessitas fidei conciliatur cum possibilitate salutis pro omnibus, 164. Cur actus fidei dicatur medium necessarium ad justificationem, non vero directe ad salutem, 165. Votum fidei ad salutem insufficiens, 166.

Necessaria est necessitate medii ad salutem fides explicita, 167, in Deum existentem, supernaturalem remuneratorem, et salvatorem, 168, imo et in aliquem Mediatorem, 169, non tamen, saltem sub Veteri Testamento, in Trinitatem et Incarnationem, 170, nec probabiliter sub Novo, 171.

Habitus fidei omnibus necessarius, 172. Hinc fidei absoluta necessitas, 173.

ARTICULUS II. — De fidei necessitate præcepti 136

Fides intelligi potest ex præcepto necessaria quoad internum actum vel quoad externam professionem.

§ I. — De præcepto interni actus fidei 136

Jure naturali Deo credere debemus, 175, statim ac ejus verbum sufficienter est nobis propositum, 176.

Præcepto etiam divino positivo omnibus imposita est fides, 177, explicita, 178, in symbolum, 179, decalogum, 180, orationem dominicam, 181, et in baptismum, pœnitentiam et Eucharistiam, 182. Fides hæc explicita supponit intelligentiam rerum saltem vulgarem, earumque memoriam quoad substantiam, 183. Præceptum fidei admittit parvitatem materiæ, 184. Fides explicita amplior necessaria ratione muneris, circumstantiarum, etc., 185.

Præcepto divino tenemur, 186, identidem repetere, 187, fidei actum explicitum, 188. Obligatio actus fidei ex aliis præceptis orta, 189, 190.

§ II. — De præcepto externæ professionis fidei. . . . 148

Fidei professio multiplex, 192. Præcepto divino fidem profiteri tenemur, 193, aliquando per se in decursu vitæ, 194, aliquando per accidens, 195. Obligatio fidem profitendi ex aliis præceptis orta, 196. Lex ecclesiastica fidei professionem quibusdam injungens, 197.

CAPUT II.

DE EFFICACIA FIDEI THEOLOGICÆ. 152

Fides est initium justificationis, 198, ac principium directivum totius vitæ christianæ, 199; practice inclinat ad virtutum exercitium, 200, et ulteriores dispositiones meretur, 201. Quamvis autem sine fide opera non prosint ad salutem, 202, tamen sola fides ad eam non sufficit, 203. Explicatur doctrina concilii Tridentini, 204.

PARS III.

DE DEFECTU FIDEI THEOLOGICÆ 158

Nomine defectus intelligitur peccatum fidei oppositum, quoad internum assensum vel tantum quoad externum professionem, 205.

CAPUT I.

DE DEFECTU FIDEI THEOLOGICÆ INTERNÆ 158

Defectus fidei est totalis vel partialis, 206.

ARTICULUS I. — De totali fidei internæ defectu . . . 158

Peccatum infidelitatis, quod excludit omnem voluntatem credendi, 207, committitur quando verbum Dei, 208, scienter rejicitur, 209, per negationem, affirmationem contrariam, assensum exclusive opinativum, dubitationem absolutam, assensus omissionem, 210.

Ex parte objecti negati et crediti, distinguitur infidelitas in paganismum et naturalismum, 212-213, judaismum, 214, hæresim late dictam, 215, hæresim strictam, 216. Prædicta distinctio moraliter intelligenda, 218.

Ex parte personæ, infidelitas distinguitur in infidelitatem simplicem et apostasiam, 219. Peccatum infidelitatis cæteris gravius, uno excepto Dei odio, 220 ; diversos malitiæ gradus habet, 221, sed est unius speciei moralis, 222.

ARTICULUS I. — De partiali fidei internæ defectu . . 170

Contra fidem interius retentam peccatur, 223, per omissionem, non eliciendo actum fidei, 224, et veritates fidei culpabiliter ignorando, 225 ; per commissionem vero peccatur, 226, veritatem revelatam rejiciendo culpabiliter, licet non scienter, 227, vel culpabiliter errando circa doctrinam cum revelatione connexam, 228, nempe sustinendo propositiones hæresi proximas, 229, erroneas, 230, errori proximas, 231, temerarias, 232.

Ex defectu convenientis expressionis peccatur, 235, emittendo propositiones hæresim sapientes vel de hæresi suspectas, 236-237, male sonantes, 238, piarum aurium offensivas, 239 ; quomodo hoc peccatum possit esse contra fidem, 240.

Ratione pravi effectus peccatur, 241, emittendo propositiones scandalosas, 242, contumeliosas, 243, schismaticas, 244 ; quale sit hoc peccatum, 245.

Determinatio harum notarum authentica est vel scientifica, 246 ; categorica vel cumulativa, 247 ; notæ autem ipsæ propositionibus affinguntur prout jacent, vel in

sensu auctoris, vel in sensu explicato, 248. Tenenda propositio damnatæ contradictoria : quomodo hæc efformanda, 249.

Ecclesia infallibilis in censuris inferioribus, 250 : quomodo peccet qui huic Ecclesiæ judicio resistit, 251. An ex censuris inferioribus deduci possit propositionum, quæ iis notantur, falsitas, 252 ; quid sequitur ex definitione majoris probabilitatis, 253. Ecclesia alias propositiones vetat censurari, alias prohibet doceri, 254, quin intendat judicare de illarum veritate vel de harum falsitate, 255.

CAPUT II.

DE DEFECTU EXTERNÆ PROFESSIONIS FIDEI 190

Peccat graviter qui fidem exterius negat, 257, vel simulat falsam religionem, 258, non tamen qui fugit persecutionem vel fidem occultat, 259. Solvuntur difficultates particulares circa silentium, 261, verba ambigua, 262, vestes et signa, 263-268, ac quasdam actiones, 269-273.

PARS IV.

DE COMMUNICATIONE ET CONSERVATIONE FIDEI 199

CAPUT I.

DE FIDEI COMMUNICATIONE 199

Ecclesia jus proprium habet fidem prædicandi, 276, ac propugnandi, 277-279 ; quod jus vi tueri potest, 280.

Infideles non baptizati a principe suo, non vero ab Ecclesia, cogi possunt ad fidem audiendam, 281 ; a nemine autem cogi possunt ad fidem suscipiendam, 282 ; possunt tamen ad fidem induci spe alicujus boni, 283, imo cogi possunt ad relinquendos errores naturali rationi contrarios, 284 ; eorum autem ritus absque gravissima causa permitti nequeunt, 285.

Ad fidem suscipiendam, legitime coguntur, 287, pœnis spiritualibus ac temporalibus, 288, hæretici, 289, per Ecclesiam et principes sæculares, 290. Ecclesiæ est judicare de crimine hæreseos, 291.

CAPUT II.

DE FIDEI CONSERVATIONE 211

Fidei conservandæ causa, Ecclesiæ filii avertuntur vel etiam lege positiva prohibentur a conversatione cum infidelibus, 294, et a lectione librorum perverse de religione tractantium, 295. Rejicienda est libertas pro libitu loquendi et docendi, 296, nec non omnimoda jurium æqualitas inter cives, absque respectu ad religionem, 297, imo et mera sectarum tolerantia, nisi gravissimæ causæ aliter fieri postulent, 298. Pactum de tolerantia et libertate cum hæreticis initum fideliter servandum est, 299. Falsitas liberalismi catholici, 300. Monita Pii IX, 301.

LIBER II.

DE SPE.

PROŒMIUM. — DE SIGNIFICATIONE VOCIS 218

Spes in sensu proprio est boni futuri, ardui et possibilis, 304, desiderium efficax et exspectatio fiducialis, 305; improprie autem et secundario, nomine spei significatur vel res sperata, vel causa spei, vel quævis exspectatio futuri, 306. Tractationis partitio.

PARS I.

DE NATURA SPEI THEOLOGICÆ 221

Spes est virtus supernaturalis, qua, propter divinam bonitatem respectivam, omnipotentiam auxiliatricem, et fidelem promissionem, certa cum fiducia a Deo exspectamus tum æternam beatitudinem, quæ in Dei fruitione consistit, tum media ad eam consequendam, 308.

CAPUT I.

DE NATURA ACTUS SPEI THEOLOGICÆ 221

Actus spei theologicæ est efficax desiderium et fiducia certa perveniendi ad perfectam Dei possessionem, per media a Deo obtinenda, eo quod Deus sit summum bonum nostrum, auxiliator omnipotens, et promissor fidelis, 309.

ARTICULUS I. — De subjecto actus spei. 222
Spes non est formaliter actus intellectus, 310, sed voluntatis, 311 ; error quorundam catholicorum. 312.

ARTICULUS II. — De objecto materiali actus spei. . . 223
Objectum spei duplex, 313; primarium est Deus possidendus, 314, secundarium autem media a Deo ordinata, 315.

ARTICULUS III. — De motivo actus spei. 224
Motivum spei adæquatum reponendum est in bonitate Dei respectiva, 318, virtute auxiliatrice, 319, et fideli promissione, 320. Qua ratione spes nostra innitatur meritis Christi, 322, precibus Sanctorum, 323, et bonis operibus nostris, 324.

ARTICULUS IV. — De proprietatibus actus spei. . .
Quænam certitudo et firmitas actui spei conveniat, 326. Spes firma ac certa ex parte Dei,327-329, non ex parte nostra, 330.

Corollarium. De personis capacibus eliciendi actum spei. 234
Quæritur an actum spei elicere possint Sancti in cœlo, animæ purgantes, 336, damnati, 337, peccatores, 335, 338, hæretici, 339.

CAPUT II.

DE NATURA VIRTUTIS SPEI THEOLOGICÆ 234
Datur supernaturalis habitus spei in adultis justificatis et in pueris baptizatis, 340. Ille habitus infunditur cum gratia sanctificante, excluditur per infidelitatem, desperationem et præsumptionem, cessat in damnatis, 341.
Habitus spei est virtus theologica, 342,ad quam refertur donum scientiæ, 343 ; virtus spei et donum scientiæ disponunt ad beatitudinem luctus, 344.

PARS II.

DE HONESTATE, PRÆSTANTIA ET NECESSITATE SPEI THEOLOGICÆ 237

CAPUT I.

DE HONESTATE SPEI THEOLOGICÆ 237

Spem a charitate sejunctam nonnulli illicitam docuerunt, quia amorem concupiscentiæ et mercedis intentionem reprobabant, n. 346. Amorem concupiscentiæ erga Deum honestum ac licitum esse, demonstratur ex Sacris Litteris, 348, traditur a SS. Patribus, 349, docetur a concilio Tridentino, 350, ratione explicatur, 351. Licitam etiam esse mercedis intentionem colligitur ex Scripturis, 353, traditur a SS. Patribus, 354, docetur a concilio Tridentino, 355, confirmatur decreto Sanctæ Sedis, 356, ratione declaratur, 357.

CAPUT II.

DE PRÆSTANTIA SPEI THEOLOGICÆ 242

Error quietistarum, 358–359, et semiquietistarum, 360, refutatur ex Sacra Scriptura, 362, SS. Patribus, 363, et ratione theologica, 364.

CAPUT III.

DE NECESSITAVE SPEI THEOLOGICÆ 245

Necessarius est necessitate medii tum habitus spei, 365, tum aliquis ejus actus, 366. Actus spei insuper præcipitur jure naturali, 367, et jure divino positivo, 368. Præceptum spei urget aliquando per se, aliquando per accidens, 369. Obligatio spei ex aliis præceptis orta, 370.

PARS III.

DE DEFECTU SPEI THEOLOGICÆ 249

Peccatur contra spem per omissionem, desperationem et præsumptionem, 372.

CAPUT I.

DE DESPERATIONE 248

Desperatio seu diffidentia obtinendi beatitudinem, 373, et beatitudinis supernaturalis nolitio, 374, est peccatum

mortale odio Dei et infidelitate levius sed aliis gravius, 375 ; potest existere absque infidelitate, 376 ; oritur ex luxuria et acedia, 377, vitatur amore castitatis et studio rerum cœlestium, 378.

CAPUT II.

DE PRÆSUMPTIONE 251

Præsumptio vario sensu significat actum intellectus vel voluntatis, 379 ; proprie est futilis exspectatio beatitudinis, 380 ; multiplici modo committitur, 381 ; peccatum est gravissimum, 382 ; oritur ex inani gloria et superbia, vitatur autem humilitate et meditatione judiciorum Dei, 383.

LIBER III.

DE CHARITATE.

PROŒMIUM. DE SIGNIFICATIONE VOCIS 256

Charitatis nomine proprie intelligitur amor benevolentiæ, 385-387, gratuitus, 388, et mutuus, 389, qui plures actus complectitur, 390; improprie vero intelligitur amoris benevolentiæ signum, vel amor concupiscentiæ, vel etiam amor inhonestus, 391. Tractationis partitio, 392.

PARS I.

DE NATURA CHARITATIS THEOLOGICÆ 261

Charitas theologica est virtus supernaturalis, qua Deum ex toto corde diligimus propter seipsum, nos vero et proximum sicut nosmetipsos propter Deum, 393.

CAPUT I.

DE NATURA ACTUS CHARITATIS THEOLOGICÆ 261

Actus charitatis theologicæ est amor benevolentiæ quo Deum super omnia propter se, et nosmetipsos ac proximum sicut nos propter Deum efficaciter diligimus, 394.

ARTICULUS I. — De objecto materiali actus charitatis . 262

Charitatis objectum materiale est duplex, 395 ; pri-

marium est Deus, 396 ; secundarium, nos ipsi et proximus, 397, sc. omnis creatura rationalis re aut spe beata, 398, 399.

Articulus II. — De motivo actus charitatis 263

Objectum formale charitatis est bonitas Dei absoluta, 400. Deum charitate diligi propter bonitatem suam absolutam colligitur ex Scripturis, traditur a SS. Patribus, docetur a scholasticis, confirmatur auctoritate Catechismi Romani, 401.

Controvertitur utrum motivum charitatis sit sola bonitas supernaturalis, an etiam bonitas naturalis, 402 ; juxta omnes saltem non est nisi bonitas supernaturaliter cognita per fidem, 403. Controvertitur etiam utrum motivum charitatis sit bonitas consistens in collectione omnium perfectionum, an bonitas consistens in singulis perfectionibus, 404.

Charitas non excludit omnem respectum ad Deum quatenus est summum bonum nostrum, 405 ; quin potius considerationem Dei beneficiorum exigit, 406. Unde amor benevolentiæ relate ad Deum bene stare potest cum amore concupiscentiæ, 407.

Charitate diligitur proximus propter Dei bonitatem, 409, increatam, 410, vel etiam participatam, 411.

Articulus III. — De proprietatibus actus charitatis . . 275

Charitas debet esse efficax, 413, universalis, 414, et ordinata, 415. Triplici modo unus præ alio diligi potest, 416.

§ I. — De ordine charitatis inter Deum et creaturam. . 277

De essentia charitatis est ut Deus diligatur super omnia, 417, non quidem intensive, 419, sed objective, 420, et appretiative, 421 ; in qua dilectione super omnia varii gradus perfectionis accidentalis esse possunt, 422.

§ II. — De ordine charitatis inter nos et proximum . . 280

Ordo charitatis postulat ut homo simpliciter magis diligat seipsum quam proximum, 423 ; non tamen exigit ut, in quibuscumque adjunctis, quæcumque bona nobis velimus potius quam proximo, 425 ; scilicet nobis potius quam proximo velle debemus bona spiritualia, 426; e contra bona spiritualia potius velle debemus proximo quam nobis temporalia, 427; bona autem temporalia possumus, non tamen debemus, nobis velle potius quam proximo, 428.

§ III. — De ordine charitatis inter ipsos proximos. . . 287
Ordo charitatis postulat ut magis diligamus eos qui nobis sunt conjunctiores, 429 ; triplex autem conjunctio distinguitur, carnalis, spiritualis, civilis, 430. Ex his conjunctionis speciebus unaquæque prævalere debet in bonis ipsi propriis, 432; in bonis vero communibus, conjunctio spiritualis prævalet civili, et utrique carnalis, 433. Tria advertenda, 434. Principiorum applicatio, 435.

CAPUT II.

DE NATURA VIRTUTIS CHARITATIS THEOLOGICÆ 291
Supernaturale donum charitatis, 436, distinguitur a Spiritu Sancto, 437, et probabiliter etiam a gratia sanctificante, 438. Simul cum gratia sanctificante acquiritur, augetur, minuitur et amittitur, 439. Charitas est virtus theologica, omnium præstantissima, cæterarumque forma et regina, 441. Ad charitatem refertur donum sapientiæ, 441, et beatitudo pacis, 442.

PARS II.

DE NECESSITATE ET EFFICACIA CHARITATIS THEOLOGICÆ . . 298
Quæritur an et quousque ad vitam christianam requiratur, et ad quid valeat charitas theologica, 443.

CAPUT I.

DE NECESSITE CHARITATIS THEOLOGICÆ 298
In memoriam revocatur distinctio inter necessitatem medii et necessitatem præcepti, 444.

ARTICULUS I. — De charitatis necessitate medii . . . 298
Virtus charitatis necessaria est necessitate medii ad salutem, 445 ; non tamen necessaria est charitas, tanquam motivum et principium, ad meritum actuum, 446, et multo minus ad eorum bonitatem, 447 ; actus charitatis necessarius non est necessitate medii ad justificationem, 448.

ARTICULUS II. — De charitatis necessitate præcepti. . . 300
Præceptum consideratur tum relate ad charitatis affectum tum relate ad charitatis opera, 449.

§ I. — De præcepto charitatis affectivæ 300

Exstat præceptum interni actus charitatis erga Deum, 450, distinctum ab aliis, 451, non tamen a præcepto referendi omnes actiones in Deum, 452. Hoc præceptum obligat aliquando per se, aliquando per accidens, 453 ; illi multipliciter satisfieri potest, 454. Exstat etiam præceptum interni actus charitatis erga proximum, 455, obligans saltem aliquando per accidens, 456.

§ II. — De præcepto charitatis effectivæ 304

Externus actus raro præcipitur sola charitate erga Deum, 457. Ex charitate erga seipsum unusquisque debet sibi procurare vel custodire bona supernaturalia et naturalia intrinseca, 458. Effectus charitatis erga proximum vocatur beneficentia vel misericordia, 459 ; hæc spiritualis est vel temporalis, et quatuordecim opera præcipua comprehendit, 460, quæ tamen revocantur ad correptionem et eleemosynam, 461.

I. De correptione fraterna 308

Correptio fraterna est admonitio fratris de emendatione delictorum fraterna charitate procedens, 462 ; præcepto graviter obligante imposita est, 463, omnibus et singulis, 464, erga omnes, 465. Materiæ ejus proprie et certo sunt peccata, 466, commissa, 467, formalia, 468, mortalia, 469. Conditiones ad obligationem correptionis sunt necessitas, 471, utilitas, 472, possibilitas, 473. Qualitates correptionis, 475. Ordo correptionis est ut primum fiat secreto, deinde coram testibus, tandem per denuntiationem ad superiorem, 476 ; huic tamen ordini in quibusdam casibus licite derogatur, 477.

II. De eleemosyna 316

Eleemosynæ præceptum graviter obligare demonstratur ex SS. Litteris, et ex SS. Patribus, 479 ; ejusque natura explicatur, 480.

Præceptum illud obligat omnes, 481, erga omnes, 482. Non urget nisi ex parte recipientis adsit indigentia, 484, 485, ex infortunio vel ex virtute, 486, extrema, gravis vel etiam communis, 487-488 ; et ex parte dantis possibilitas, non solum absoluta, seu libera bonorum dispositio, 489, sed etiam moralis, seu possessio superflui, 490. Regulæ speciales, 491.

Extreme vel graviter indigentibus tribuendum est necessarium ; aliis sufficit dare partem superflui, 492. Ad

eleemosynam generatim requiritur donatio gratuita, 493. Eleemosynæ qualitates, 494. Asseritur Ecclesiæ libertas benefaciendi, 495. Indicantur obligationes gubernii erga pauperes, 496.

CAPUT II.

DE EFFICACIA CHARITATIS THEOLOGICÆ 332

Obtinetur justificatio per charitatem actualem, 497, simpliciter perfectam, 498, etiamsi non sit valde intensa, vel dominans, vel diuturna, 499. Charitas justificat per modum ultimæ dispositionis de congruo, 500, ante susceptionem sacramenti, sed non sine sacramenti voto, 501. Amor charitate inferior disponit ad justificationem remote extra sacramentum vel proxime in sacramento, 502. Charitati externæ, seu elemosynæ, efficacia ad peccata remittenda asseritur, 503, et explicatur, 504.

PARS III.

DE DEFECTU CHARITATIS THEOLOGICÆ 338

Indicatur multiplex charitatis defectus, sc. per omissionem, quando debitus actus charitatis non ponitur, vel per commissionem, quando ponitur actus sive internæ benevolentiæ, sive beneficentiæ externæ, sive paci et unioni contrarius, 505.

CAPUT I.

DE DEFECTU CHARITATIS AFFECTIVÆ 338

Interno charitatis affectui principaliter opponitur odium, secundario acedia et invidia, 506.

ARTICULUS I. — De odio 338

Odium est actus quo alium aversamur, 508, vel ei malum volumus, 509 ; opponitur duplici speciei amoris, 510.

§ I. — De odio Dei 340

Odium Dei possibile est in homine, 512 ; semper mortale est, si sit abominationis, 513, et peccatum omnium gravissimum, si sit inimicitiæ, 514.

§ II. — De odio proximi 341

Odium abominationis proximi quoad naturam vel

qualitatem bonam, peccatum est, non autem quoad qualitatem malam, 515. Odium inimicitiæ erga proximum est semper peccatum ex genere suo mortale, et probabiliter unius et ejusdem speciei moralis, 516. Non tamen semper peccatum est affectus quo aliquis vult malum proximo vel quatenus ipsi bonum est, 518, vel quatenus bonum est aliis, 519, vel quatenus requiritur ad justitiam servandam, 520. Modus agendi cum inimicis, 521.

ARTICULUS. II. — De acedia et invidia 348

Acedia et invidia considerantur prout ab odio distinguuntur, 522.

§ I. — De acedia 348

Acedia est tristitia de bono spirituali divino a nobis participando, 523–524 ; est peccatum oppositum charitati, et mortale, vitiumque capitale, 525 ; remedium ejus est pugna, non fuga, 526.

§ II. — De invidia. 349

Invidia est tristitia de bono proximi quasi nostram gloriam minuente, 527 ; est peccatum mortale charitati oppositum et vitium capitale, 529. Differt invidia a timore, æmulatione et indignatione, 529. Ejus remedia, 530.

CAPUT II.

DE DEFECTU CHARITATIS EFFECTIVÆ 352

Peccata opposita beneficentiæ, de quibus hic agendum est, sunt scandalum et cooperatio, 531.

ARTICULUS I. — De scandalo 352

Scandalum active sumptum est offendiculum ; passive vero ruina et casus, 532 ; definitur scandalum activum dictum vel factum minus rectum, præbens occasionem ruinæ, 533. Ratione efficaciæ, distinguitur in directum et indirectum, per se vel per accidens, 534 ; ratione autem intentionis, distinguitur in diabolicum, simpliciter intentum, et interpretative volitum, 535. Semper locum habet quando proximus jussu, consilio, etc. inducitur ad id quod fieri nequit sine peccato, 536, et quando absque sufficienti causa fit illud ex quo proximus sumpturus est occasionem peccandi, 537. Regulæ speciales, 538. Principiorum applicatio, 539. Scandalum activum est

peccatum ex genere suo mortale, 540, et diversæ speciei malitiam continere potest, 541. Probabiliter non multiplicatur pro numero personarum scandalizatarum, 542. Scandalum passivum non est speciale peccatum, 543.

Articulus II. — De cooperatione. 362

Cooperatio triplici modo locum habet, 545. Proxima est vel remota, 546, positiva vel negativa, 547, formalis vel materialis, 548. Cooperatio formalis semper illicita, 549, illicita etiam cooperatio materialis immediata, 550; item per se prohibetur cooperatio mediata, 551, quæ tamen permittitur, 552, si fiat per actionem ex se bonam vel indifferentem, 553, et cum sufficienti causa. Principiorum applicatio materiis politicis, 555, 556, relate ad reipublicæ gestionem, 557, susceptionem militiæ, 558, et officiorum publicorum, 559, legum iniquarum executionem activam, 560, et passivam, 561.

CAPUT III.

De defectu charitatis conjunctivæ 371

Indicantur peccata opposita paci privatæ ac publicæ, 564. Discordia est peccatum, 565, contra charitatem, ex genere suo mortale, 566; similiter contentio, 567; utraque oritur ex vana gloria, 568. Schismatis peccatum committitur duplici modo, 569, 570, sc. per separationem a capite Ecclesiæ, 571, vel per separationem a membris 572; est peccatum gravissimum contra charitatem, 573. Charitati etiam opponitur immoderatus nationalismus, 575, et principium de non interventu, 576.

Bruxelles. — A. Vromant, Imprimeur, rue de la Chapelle, 3.

239.15
B666
4975
BOUQUILLON, THOMAS
AUTHOR
Institutiones Theologiae Moralis
TITLE Specialis ad Usum Theol.
DATE LOANED | BORROWER'S NAME | ROOM NUMBER
STORAGE - GSPL
GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709
4975